Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/p2lettressecrtes03joha

The Institute of Mediaeval
LIBRARY
Toronto, Canada

BIBLIOTHÈQUE DES ÉCOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES ET DE ROME
PUBLIÉE
SOUS LES AUSPICES DU MINISTÈRE DE L'ÉDUCATION NATIONALE

LETTRES SECRÈTES ET CURIALES

DU PAPE

JEAN XXII

(1316-1334)

RELATIVES A LA FRANCE

PUBLIÉES OU ANALYSÉES D'APRÈS LES REGISTRES DU VATICAN

PAR

† AUGUSTE COULON ET S. CLÉMENCET
ANCIENS MEMBRES DE L'ÉCOLE FRANÇAISE DE ROME

Tom. III

NEUVIÈME FASCICULE

Ouvrage publié avec le concours du Centre National de la Recherche Scientifique

PARIS
ÉDITIONS E. DE BOCCARD
1, Rue de Médicis, 1
—
1967

JOHANNIS XXII[1] LITTERARUM SECRETARUM

ANNUS QUINTUS DECIMUS (1)

4278 5 septembre 1330.

Reginam Angliae hortatur ut ad firmationem pacis cum Franciae rege laboret. (Reg. 116, fol. 41 (69) v°, c. 213).

« *Eidem regine* [*Anglie*]. Letanter audivimus pacem inter filios nostros carissimos Philippum Francie et E. Anglie reges illustres fuisse consummatam feliciter, et ad hoc per prefatum regem Anglie in Franciam solennes nuncios destinatos. Sed, proh dolor, fama nunciat publica et nonnullorum hoc continent littere quod prefati nuncii imperfecto negocio sine spe aliqua recesserunt. Utinam, carissima filia, statum regni Anglie consideranter attenderes et versus illos in memoria retineres : « Quicquid agas, prudenter agas et respice finem. — Ferre minora volo ne graviora feram ». Supponentes quod pax omnino confirmari deberet, filio nostro carissimo regi Francie predicto dum Avinione fuit verbum fecimus de matrimonio alias prolocuto, qui gratum nobis dedit responsum dummodo pax prout prolocuta fuerat firmaretur. Adhuc, carissima filia, providentiam hortamur et rogamus attente regiam ut tractatum pacis rumpi non sinas, sed quanta securitas regno et regi, quantaque desolatio ejus emulis ex ea poterunt provenire ac e regione quantus furor emulis accrescere poterit consideranter attendens, ut perfici debeat partes tue diligentie interponas. Gratia Domini Nostri Jhesu Christi sit tecum que in hiis et aliis te dirigat et protegat ab adversis. Amen. Datum ut supra [nonis septembris, anno quinto decimo]. »

In eundem modum regi Anglie.

4279 6 septembre 1330.

Cancellario Franciae ut magistrum Hugonem de Engolisma archidiaconum Cantuariensem commendatum habeat eique in agendis assistat auxiliis et consiliis oportunis. (Reg. 116, fol. 22 (50) v°, c. 88).

« *Guillelmo de Sancta Mora, decano ecclesie Turonensis, regis Francie cancellario.* Grata et admodum — Datum VIII idus septembris, anno decimo quinto. »

4280 8 septembre 1330.

Aymonem comitem Sabaudiae ne Ludovicum olim Bavariae ducem complicesque ejus in terras suas recipiat vel eis auxilium praestet. (Reg. 116, fol. 181 (210), c. 875 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 479, n. 1381).

« *Aymoni, comiti Sabaudie.* Quia que dilecto — Datum VI idus septembris, anno decimo quinto. »

(1) Les lettres secrètes de Jean XXII pour les quinzième et seizième années du pontificat (5 septembre 1330-4 septembre 1332) sont enregistrées dans le Registre Vatican 116. Les feuillets de celui-ci ont été affectés, anciennement, d'une double numérotation, la première, en chiffres romains, dans le milieu supérieur du recto, la plus récente, en chiffres arabes, en haut et à droite du recto. Ces numérotations ne concordant pas, car la seconde seule tient compte des premiers feuillets du manuscrit occupés par l'Index, nous avons cru bon d'indiquer, pour chaque acte, à la suite de l'analyse, en premier lieu la foliotation en chiffres romains, puis, entre parenthèses, celle en chiffres arabes.

4281 13 septembre 1330.

Guillelmo de Sancta Mora, regis Franciae cancellario, ut Hugoni de Engolisma, archidiacono Cantuariensi assistat fidemque ei adhibeat, et cur eidem regi scribere ipse distulerit. (Reg. 116, fol. 22 (50) v°, c. 89).

« *Eidem cancellario.* Grata admodum nobis (1) — —Quare autem tantum rescribere super illis distulerimus regi prefato, scribimus quod utique supponimus ad tui noticiam proventurum. Datum idibus septembris, anno decimo quinto. »

4282 Avignon, 16 septembre 1330.

Inquisitori in partibus Carcassonensibus ut habitum ordinis fratrum Minorum quo Bartholomeus Brugene olim ordinis fratrum Minorum sed de haeresi convictus et expulsus ab eodem ordine in carceribus detentus indutus fuit, procuratori vel gardiano dicti ordinis Minorum Carcassonensium assignet. (Reg. 116, fol. 1 (29), c. 1 ; — J.-M. Vidal, *Bullaire de l'inquisition française*, p. 153, n. 102).

« *Inquisitori heretice pravitatis in partibus Carcassonensibus auctoritate apostolica deputato.* Exposuit nobis dilectus — Datum Avinione, XVI kalendas octobris, anno quinto decimo. »

4283 18 septembre 1330.

Regi Franciae de negocio Januensi et de electis Abrincensi et Bajocensi scribit. (Reg. 116, fol. 21 (49), c. 81).

« *Philippo, regi Francie.* Litteras regias per quas dilectis filiis magistro Johanni Aufuney cantori Constantiensi et nobili viro Hugoni Quereti senescallo Bellicadri super negocio Januensi petiit regalis providentia per nos fidem adhiberi credulam recepimus leta manu, et demum data nobis per eosdem cantorem et senescallum sua in quadam cedula credencia super hiis eaque per nos diligentius intellecta, quia negocium illud multipliciter si perficeretur reputaremus accomodum et merito illius negocii quod non ignorat scit prudentia regia admodum oportunum, carissimo in Christo filio nostro Roberto regi Sicilie illustri super premissis per litteras scribimus oportunas. Rursus dilectis filiis .. Abrincensi et .. Bajocensi electis, Abrincensi videlicet prorogando usque ad annum sue conservationis terminum et securitati consulendo alterius super sua provisione juxta votum regium favorabiliter duximus providendum. Datum XIIII kalendas octobris, anno quinto decimo. »

(1) Ut in n. 4279.

4284 [19 septembre 1330] (1).

Regi Franciae nuntiat quod Petrus de Corvaria ad gratiam Apostolicae Sedis et Ecclesiae est receptus, erroribus abjuratis. (Reg. 116, fol. 23 (51) v°, c. 98 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 480, n. 1386).

« *Regi Francie.* Scimus, fili carissime, quod scisma illud quod isto tempore ille qui primus in celo inventor fuit scismatis cum illis nequam hominibus qui ex parte illius sunt procuravit turbatione et amaritudine regium cor replevit. Sane quia justum est ut qui passionum fuerunt socii non sint a consolatione et gaudio alieni, ad gaudium excellentie regie nunciamus quod Petrus de Corvaria, qui caput scismatis fuerat, in festo beati Jacobi Pisis in nostrorum nunciorum et aliorum tam prelatorum quam clericorum secularium et regularium necnon et multorum nobilium et popularium civitatis ejusdem presencia constitutus, cum cordis amaritudine sicut intelleximus erroribus suis recognitis et etiam abjuratis ac beneficio absolutionis et reintegrationis a prefatis nostris nunciis humiliter postulatis, absolutus extitit et reincorporatus unitati Ecclesie, prius tamen quod nostris parere mandatis debeat corporali prestito juramento ; qui sponte die IIII augusti una cum nostro nuncio et certis personis nobilibus intravit mare, Illoque gressus ipsorum dirigente qui novit et iter prosperum faciente qui potest, die VI mensis ejusdem Nissiam incolumes pervenerunt, ubi errores suos recognovit similiter publice et etiam abjuravit, similia faciens in locis solemnibus usque Avinionem. Qui prosequens iter suum die XXIIII ipsius mensis Avinionem intravit et in crastinum in consistorio publico, proposito themate primo : « Pater, pecavi in celum et coram te jam non sum dignus vocari filius tuus », et eo prosecuto errores suos recognovit cum cordis amaritudine, prout

(1) Date proposée par Riezler.

signa exteriora indicabant, illisque abjuratis et quod nostris super predictis staret mandatis corporali prestito juramento, humiliter petiit se ad nostram et Ecclesie restitui gratiam qua suis nefandis excessibus merito se indignum reddiderat et [ad] unitatem Ecclesie qua similiter se fecerat alienum. Nos autem qui vicem Ejus in terris licet insufficientes gerimus cui proprium est misereri, qui commisse vicis exequeremur officium eum pie et benigne ad Ecclesie et nostram recepimus gratiam et restituimus Ecclesie unitati, prout in aliis patentibus litteris nostris continetur plenius quas in diversis aliis partibus destinamus, quarumque copiam dilecto filio magistro H. de Engolisma archidiacono Cantuariensi (*sic*) serenitati regie exhibebit.»

In e. m. ..regibus infrascriptis abjecta illa clausula : « prout in aliis etc »:

Regi Sicilie.
Regi Aragonum.
Regi Castelle.
Regi Portugal.
Regi Ungarie.
Regi Polonie.
Regi Majoricarum.
Datum.

4285 19 septembre 1330.

Hugoni episcopo Parisiensi ut litteras patentes apostolicas de conversione et abjuratione Petri de Corbaria, ordinis Minorum, ecclesiae Parisiensis capitulo et universitati Parisiensis studii fidelibusque earum partium communicare easque publicare studeat. (Reg. 116, fol. 22 (50) v°, c. 90 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 480, n. 1385).

« *Hugoni, episcopo Parisiensi.* Ad gaudium fraternitati tue dilectisque filiis .. ecclesie Parisiensis capitulo et universitati Parisiensis studii per nostras patentes litteras nunciamus quid Petrus de Corbario ordinis fratrum Minorum ad nostram nuper sponte presentiam veniens velut illuminatus ab Illo qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat super sua conversione ac recognicione et abjuratione heresum errorum et scismatum suorum egerit quidque nos misericorditer fecerimus erga eum, fraternitatem tuam in Domino attentius exhortantes quatinus litteras ipsas cum gaudio spirituali suscipiens reverenter predictis capitulo et universitati aliisque partium earum fidelibus contenta in ipsis litteris communicare ad Dei ac publicare gloriam studeas sicut circumspectioni tue videbitur expedire, sic solertem diligentiam sic sedulam operam adhibens in hac parte quod apud Deum et Sedem Apostolicam tue devotionis crescat meritum ac tuum augeatur laudis et glorie premium non indigne, rescripturus nobis fideliter quicquid agi per te contigerit in premissis. Datum XIII kalendas octobris, anno quinto decimo. »

4286 19 septembre 1330.

Geraldo de Capmulo ut praedictas litteras patentes et quasdam alias clausas eidem episcopo praesentans, eum ad praefatam publicationem inducat. (Reg. 116, fol. 22 (50) v°, c. 91).

« *Geraldo de Capmulo, cantori Parisiensi.* Litteras nostras patentes — Datum ut supra [XIII kalendas octobris, anno quinto decimo]. »

4287 19 septembre 1330.

Petro Galvanni de assistentia quam H. de Engolisma, archidiacono Cantuariensi, nuncio apostolico, praebuit commendat eumque ad perseverandum hortatur. (Reg. 116, fol. 23 (51), c. 94).

« *Petro Galvanni, decano ecclesie Sancti Audemari Morinensis diocesis.* Quod tam prompte — Datum XIII kalendas octobris, anno quinto decimo. »

4288 Avignon, 20 septembre 1330.

Geraldo de Bisturre facultatem compellendi per censuram ecclesiasticam decanum de Gaya, Cluniacensis ordinis, Lingonensis diocesis, ac debitores fructuum Camerae Apostolicae debitorum ad satisfaciendum concedit. (Reg. 116, fol. 1 (29), c. 2).

« *Magistro Geraldo de Bisturre, decano ecclesie Andegavensis, Apostolice Sedis nuncio.* Dudum tua insinuatione — Datum Avinione, XII kalendas octobris, anno quinto decimo. »

4289 Avignon, 20 septembre 1330.

Collectoribus subsidii oblati pro repressione rebellium partium Italiae per clerum Senonensis provinciae quittantiam dat. (Reg. 116, fol. 167 (194), c. 814).

« *Magistro Geraldo de Bisturre, decano ecclesie Andegavensis, ac Petro Papacii, clerico Albiensis diocesis penitentiarie nostre scriptori.* Dudum ad colligendum et recipiendum liberale subsidium per prelatos et personas ecclesiasticas necnon capitula et conventus civitatis et diocesis ac provincie Senonensis pro repressione hereticorum rebellium partium Italie contra Deum et Ecclesiam Romanam fidemque catholicam crudeliter sevientium nobis et Ecclesie memorate oblatum, necnon exigendum, petendum et recipiendum fructus, redditus et proventus beneficiorum ecclesiasticorum in eisdem civitate, diocesi ac provincia consistentium que apud Sedem Apostolicam vacabant tunc seu usque ad certi temporis spacium vacare contingeret, per nos sub certa forma reservatos pro necessitatibus nostre Camere utilius supportandis, tam nos quam ipsa Camera per diversas duximus litteras deputandos. Sane cum de pecuniis tam de dicto subsidio quam de fructibus prelibatis per vos seu vestrum alterum collectis seu receptis summas pecuniarum infrascriptas tam eidem Camere quam dilecto filio Petro de Thoffalhis Agennensis et Guillelmo de Petrilia Aniciensis ecclesiarum canonicis, nec non Ricavo de Gorda, civi Avinionensi, de mandato nostro recipientibus diversis duxeritis temporibus ut sequitur assignandas, videlicet die XX mensis augusti anni Domini MCCCXXVII per manus dilectorum filiorum Johannis de Brocia et Raymundi de Ponte, domicellorum Xanctonensis et Petragoricensis diocesum, de pecunia ejusdem subsidii vos ambo Petro et Guillelmo predictis trecentos quatuordecim florenos auri, quatuor regales auri, quatuor agnos auri, unum denarium ad massam auri, trecentas triginta duas libras decem solidos obolorum argenti, duos solidos quatuor denarios turonensium grossorum argenti de cuneo beati Ludovici, sexdecim libras decem solidos turonensium parvorum, quas pecunias vos asseruistis pro tribus milibus libris parvorum turonensium in regno Francie tunc currentium recepisse, singulis de ducentis quadraginta florenis pro viginti solidis et singulis de septuaginta quatuor florenis predictis pro XVIII solidis novem denariis regalibus, et agnis pro XXV solidis, denario cum massa pro triginta solidis, turonensibus grossis pro viginti duobus denariis, obolo et obolis argenti singulis pro octo denariis turonensium parvorum computatis; item die XXVIII januarii anni Domini MCCCXXVIII per manus predictorum Johannis et Raymundi ac dilecti filii Gaufridi Sagrabolli, clerici Avinionensis, de pecunia dicti subsidii eisdem Petro et Guillelmo quinque milia trecentos septuaginta quatuor florenos auri, sexentos agnos auri, octo denarios ad cathedram auri; item die XXIX ejusdem mensis januarii de pecunia predicti subsidii mille florenos auri per manus tuas, fili decane, predicto Ricavo; item die IX mensis junii anni XXVIII predicti per manus dicti Johannis de Brocia de pecuniis ejusdem subsidii prefatis Petro et Guillelmo mille nongentos nonaginta quatuor florenos auri et tres denarios ad cathedram auri; item die XXVII ejusdem mensis junii, tu, fili decane, de pecunia predicti subsidii tria milia florenos auri Ricavo predicto; item die X mensis decembris ejusdem anni XXVIII, tu decane, de pecunia fructuum predictorum mille quadringentos unum florenos auri, quatuordecim solidos novem denarios turonensium parvorum, singulis florenis pro viginti sex solidis et sex denariis turonensium parvorum computatis supradicte Camere; item die XIII ejusdem mensis decembris de pecunia dicti subsidii per te, decane, recepta, tria milia quingentos quadraginta florenos auri, vigniti novem denarios ad cathedram auri, decem solidos et tres denarios turonensium parvorum, quas pecunias asseruisti te recepisse pro quatuor milibus septingentis sexaginta septem libris septemdecim solidis et tribus denariis turonensium parvorum, florenis pro viginti sex solidis sex denariis et denariis ad cathedram pro quinquaginta tribus solidis turonensium parvorum singulis computatis; item et de pecunia quam a dilecto filio Geraldo de Campomulo, cantore ecclesie Parisiensis, tradente nomine dilecti filii Arnaldi Regis archidiaconi Cameracensis capellani nostri, et per eundem Arnaldum collecta de simili subsidio nobis per prelatos et personas ecclesiasticas provincie Remensis oblato, tu, decane predicte, receperas, mille octingentos viginti unum florenos auri, quingentos quinque regales auri, centum septuaginta duos agnos auri, viginti unum denarios ad cathedram auri, unum denarium ad massam auri, novem obolos argenti, septem denarios valesios Petro et

Guillelmo predictis, quas pecunias prefatum archidiaconum Cameracensem recepisse dixisti pro duobus milibus septingentis octuaginta quinque libris decem octo solidis et quatuor denariis parisiensium, singulis de octingentis quadraginta quinque florenis pro viginti solidis octo denariis, et singulis de nongentis septuaginta sex florenis pro viginti solidis sex denariis, regalibus pro viginti sex solidis, agnis pro viginti quatuor solidis sex denariis, denariis ad cathedram pro quadraginta uno solidis, denario ad massam pro triginta sex solidis, obolis argenti pro sex denariis obolo, et valesiis pro duobus denariis parisiensibus singulis computatis; item die II mensis aprilis anni Domini MCCCXXX tu, decane predicte, de pecunia fructuum predictorum mille ducentos quatuor florenos auri cunei et ponderis florenorum, quadringentos quinquaginta quatuor florenos auri tam de Pedimontis quam Dalphini cuniis, quadraginta sex regales auri, octo denarios ad cathedram et duos denarios ad massam auri, quas pecunias asseruisti te recepisse pro duobus milibus trecentis octuaginta septem libris quindecim solidis turonensium parvorum, floreno pro viginti septem solidis sex denariis, regalibus pro triginta quinque solidis, denariis ad cathedram et massam pro quinquaginta quinque solidis turonensium parvorum singulis computatis; item de pecunia predicti subsidii sexcentos quinquaginta quatuor regales auri Camere supradicte, quos quidem sexcentos quinquaginta quatuor regales auri asseruisti te percepisse pro mille centum quadraginta quatuor libris decem solidis turonensium parvorum, singulis regalibus pro triginta quinque solidis turonensium parvorum computatis; de quibus pecuniarum summis, que secundum diversas monetas predictas ad universales summas reducte summas faciunt que secuntur: videlicet viginti milia centum duos florenos, mille ducentos novem regales, septingentos septu [a] ginta sex agnos, sexaginta novem denarios ad cathedram, quatuor denarios ad massam auri, duos solidos quatuor denarios turonensium grossorum argenti, trescentas triginta duas libras decem solidos novem denarios obolorum argenti, decem septem libras quindecim solidos turonensium parvorum septem denarios valesios, tam ab eadem quam a prefatis canonicis quam etiam [a] Ricavo predicto prout cuilibet assignate fuerunt recognitionis et quitationis habuistis cautelas. Nos volentes vestris indempnitatibus paterne solicitudinis studio super hiis precavere, vestris supplicationibus inclinati, assignationes pecuniarum predictarum per vos vel vestrum alterum factas ut superius exprimitur, necnon recognitionis et quitationis cautelas vobis super assignationibus ipsis concessas ratas habentes et gratas, vos ex superhabundanti de eisdem summis pecuniarum absolvimus et quitamus, vobis et eis ac heredibus et successoribus vestris et vestrum cujuslibet nichilominus concedentes ut super premissis per aliquem seu aliquos nequeatis quavis occasione vel causa imposterum quomodolibet molestari, volentes et etiam declarantes quod per recognitiones et quitationes per Cameram, canonicos et Ricavum predictos vobis ut prefertur concessas ac ratificationem et quitationem presentes predicte summe vel earum alique non intelligantur quomodolibet dupplicate. Nulli ergo etc... Datum Avinione, XII kalendas octobris, anno quinto decimo.»

4290 Avignon, 22 septembre 1330.

Johanni, electo Abrincensi, Philippi regis Franciae obsequiis insistenti terminum munus consecrationis suscipiendi iterum usque ad unum annum prorogat eique indulget ut beneficia ecclesiastica quae in Rothomagensi, Constansiensi et Cenomanensi ecclesiis ante electionem tenuit retinere possit. (Reg. 116, fol. 1 (29) v°, c. 3).

«*Johanni, electo Abrincensi.* Sincere devotionis affectus — Datum Avinione, X kalendas octobris, anno quinto decimo».

4291 Avignon, 22 septembre 1330.

Raymundo Stephani testandi facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 188 (217), c. 937).

«*Magistro Raymundo Stephani, canonico ecclesie Sancti Martini de Campellis in Bria, Parisiensis diocesis, Camere nostre clerico.* Quia presentis vite — Datum Avinione, X kalendas octobris, anno quinto decimo.»

4292 Avignon, 22 septembre 1330.

Raymundo Stephani indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 188 (217) v°, c. 942).

« *Raymundo Stephani, canonico ecclesie Sancti Martini de Campellis in Bria, Parisiensis diocesis, Camere nostre clerico.* Sincere devotionis affectus — Datum Avinione, X kalendas octobris, anno quinto decimo. »

4293 Avignon, 22 septembre 1330.

Priori et fratribus monasterii Sanctae Mariae in suburbiis civitatis Caturcensis, Cartusiensis ordinis, parrochiales ecclesias de Cazilhaco, de Juvinharigis ac de Montejustino, Caturcensis diocesis, unit, reservata portione pro vicariis dictarum ecclesiarum. (Reg. 116, fol. 147 (174) v°, c. 777 ; Reg. 98, c. 1 ; Reg. Avin. 37, fol. 135 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54765).

« *Johannes episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.* Dudum ad divini cultus augmentum animarumque salutem fidelium studiis solicitis intendentes, locum tunc vocatum de Templo, situm in suburbiis civitatis Caturcensis a dilectis filiis ..magistro et fratribus Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, ad quos ex ordinatione Sedis Apostolice post sublationem quondam ordinis Templariorum pervenerat, Ecclesie Romane nomine acquisitum, dilectis filiis.. priori et fratribus ordinis Cartusiensis cum omnibus edificiis, capellis, juribus et pertinentiis suis auctoritate apostolica duximus concedendum, ecclesiam tunc seu capellam Beate Marie dicti loci eadem auctoritate in monasterium prelibati Cartusiensis ordinis erigentes, ac etiam statuentes quod ex tunc prior et conventus ipsius ordinis Cartusiensis jugiter famulantes Domino juxta statuta ejusdem ordinis perpetuis temporibus essent ibi, sicut in aliis litteris nostris inde confectis plenius continetur. Sane cum jam prior et conventus supradicti Cartusiensis ordinis sint in eodem monasterio divinis vacantes obsequiis collocati, nos volentes eisdem priori et conventui tam presentibus quam futuris de necessariis pro se suisque familiaribus providere, de Cazilhaco et de Juvinharigis ac de Montejustino ecclesias parrochiales, Caturcensis diocesis, ad cujuscumque seu quorumcumque collotionem (*sic*), presentationem vel quamcumque aliam dispositionem pertineant cum omnibus juribus et pertinentiis ubicumque consistentibus predicto monasterio Beate Marie Caturcensis, predicti Cartusiensis ordinis, per priorem et conventum prelibati monasterii habendas, tenendas et perpetuo possidendas auctoritate apostolica concedimus, annectimus et unimus, ita quod predicti prior et conventus dicti monasterii per se vel per procuratorem seu procuratores suos earundem ecclesiarum et cujuslibet ipsarum, rectoribus seu prioribus earum qui nunc sunt cedentibus vel decedentibus, ac pertinenciarum et jurium earundem possessionem auctoritate propria ingredi, recipere ac retinere licite valeant, cujusvis assensu minime requisito, ipsarumque fructus, redditus, jura et obventiones pro utilitatibus et necessitatibus dicti monasterii atque suis prout commodius expedire viderint convertere ac etiam dispensare, reservatis certis partibus ipsorum reddituum pro singulis vicariis perpetuis quas in singulis eisdem ecclesiis perpetuo esse volumus et eciam ordinamus singulis ipsarum ecclesiarum vicariis sicut inferius exprimitur assignandis, non obstantibus .... mentio specialis. De capellaniis autem et vicariis perpetuis ecclesiarum predictarum ipsarumque vicariis seu capellanis perpetuis in ecclesia de Cazilhaco predicta per episcopum Caturcensem, qui est pro tempore, quociens oportunum extiterit ad presentationem preceptoris Hospitalis predicti, de cujus patronatu antea dicta ecclesia existebat, instituendis habeat septuaginta libras turonensium parvorum annis singulis sibi de proventibus ejusdem ecclesie assignandas. In ecclesia vero de Juvinhargis predicta remanebit vicaria perpetua hactenus assignata et augmentabitur de viginti libris turonensium parvorum de bonis ejusdem ecclesie assignandis, cujus vicarii presentatio ad episcopum Electensem qui est pro tempore, de cujus patronatu eadem ecclesia prius dicebatur existere, volumus pertinere. Fructuum autem reddituum et proventuum ecclesie de Montejustino predicte medietas ad eosdem priorem et conventum, et alia ad vicarium perpetuum ejusdem ecclesie pertinebit. Et quia super jure conferendi dictam ecclesiam seu vicarium perpetuum in ea presentandi inter eundem episcopum Caturcensem et dilectum filium.. priorem domus de Francono ordinis Grandimontensis dicte Caturcensis diocesis in Romana curia, ut intelleximus, causa pendet, nos jus instituendi seu presentandi dictum vicarium in ipsa ecclesia pro illo qui obtinebit in causa hujusmodi dispositioni nostre specialiter reservamus. Ceterum volumus auctoritate predicta nichilominus ordinantes quod vicarii perpetui ecclesiarum predictarum qui earundem curam animarum habebunt de partibus quas eis, ut superius continetur, dimitti volumus omnia

earundem ecclesiarum onera supportare totaliter teneantur. Nos enim ex nunc decernimus irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc... nostre concessionis, annexionis, unionis, voluntatis, ordinationis et constitutionis infringere etc... Datum Avinione, X kalendas octobris, anno quinto decimo. »

4294 Avignon, 26 septembre 1330.

Stephano de Ruffo indulgentiam in articulo mortis in e.m. ac Raymundo Stephani (1) concedit. (Reg. 116, fol. 188 (217) v°, p. c. 942).

« In eundem modum Stephano de Ruffo, operario ecclesie Caturcensis. Datum Avinione, VI kalendas octobris, anno quinto decimo. »

4295 Avignon, 28 septembre 1330.

Arnaldo de Verdala et Bernardo de Pereto ut de bonis quondam Petri Roderii, episcopi Carcassonensis, dispositioni apostolicae reservatis quae colligere debent, octo florenos auri Petro episcopo Carcassonensi a die provisionis sibi factae usque ad sex menses pro singulis diebus assignent. (Reg. 116, fol. 1 (29) v°, c. 4.).

« *Magistris Arnaldo de Verdala, archidiacono Mirapiscensi, et Bernardo de Pereto, canonico Agatensi.* Volentes dudum de — Datum Avinione, IIII kalendas octobris, anno quinto decimo. »

4296 Avignon, 28 septembre 1330.

Eisdem ut ornamenta seu paramenta episcopalia quae fuerunt quondam Petri, dicti Petri Roderii quondam episcopi Carcassonensis praedecessoris, eodem Petro nunc episcopo assignent. (Reg. 116, fol. 2 (30), c. 5).

« *Eisdem.* Dudum vos de — Datum ut supra. »

4297 Avignon, 28 septembre 1330.

Eisdem collectoribus ut de obligationibus pecuniarum a praefato Petri Roderii contractis ac de remunerationibus servitoribus suis debitis ipsum informent. (Reg. 116, fol. 2 (30), c. 6).

« *Eisdem.* Volentes dudum de — Datum ut supra [Avinione, IIII kalendas octobris, anno quinto decimo]. »

4298 Avignon, 28 septembre 1330.

Eisdem ut debita et credita dicti olim episcopi exigant et levent bonaque ejusdem quae ad manus eorum pervenerunt in pecuniam commutent. (Reg. 116, fol. 2 (30), c. 7).

« *Eisdem.* Pridem de bonis — Datum ut supra [Avinione, IIII kalendas octobris, anno quinto decimo]. »

4299 28 septembre 1330.

Petrum Guigonis et Raymundum de Valleaurea collectores redditiuum primi anni beneficiorum ecclesiasticorum vacantium in diocesi Bellicensi in e. m. ac in diocesi Basiliensi constituit. (Reg. 116, fol. 65 (93) v°, c. 316 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 487, n. 1392 ; Sauerland, *Quellen zur lothringischen Geschichte* t. I, p. 290, n. 631).

« *Petro Guigonis de Castronovo, archidiacono de Vico in ecclesia Metensi, et Raymundo de Valleaurea, canonico Vivariensi, Apostolice Sedis nunciis.* Attendentes dudum quod — Datum ut supra [Avinione, IIII kalendas octobris, anno quinto decimo]. »

In e. m. in civitate et diocesi Bellicensibus.
In e. m. in civitate et diocesi Virdunensibus.
In e. m. in civitate et diocesi Bisuntinis.
In e. m. in civitate et diocesi Metensibus.
In e. m. in civitate et diocesi Tullensibus.

4300 Avignon, 30 septembre 1330.

Guillelmo Cabiroli ut bona quondam Bertrandi episcopi Sarlatensis dispositioni apostolicae reservata exigat et recipiat. (Reg. 116, fol. 2 (31) v°, c. 8).

« *Guillelmo Cabiroli, canonico Tholonensi, Apostolice Sedis nuncio.* Dudum dispositionem bonorum

(1) Cf. n. 4292.

— Datum Avinione, II kalendas octobris, anno quinto decimo.»

4301 Avignon, 30 septembre 1330.

Praefato Guillelmo ut executoribus testamenti dicti episcopi medietatem bonorum ejusdem episcopi, scilicet trecentos florenos auri de bonis ejusdem assignet. (Reg. 116, fol. 2 (31) v°, c. 9).

« *Eidem.* Cum bone memorie — Datum ut supra.»

4302 Avignon, 3 octobre 1330.

Episcopo Vivariensi et Sancti Ruphi juxta muros, Valentinae, et Crudatensis, Vivariensis diocesum monasteriorum abbatibus ut Albertum de Cassanatico, Gratianopolitanae diocesis, civesque Valentinos qui treugas inter Guillelmum episcopum Valentinum et Diensem ex una parte ac Ademarum de Pictavia ex altera indictas violaverant, ad earumdem treugarum observationem inducant, alias contra eos procedant. (Reg. 116, fol. 174 (203) v°, c. 847).

« *..episcopo Vivariensi et.. Sancti Ruphi juxta muros Valentine et.. Crudatensis Vivariensis diocesum monasteriorum abbatibus.* Dudum inter venerabilem — Datum Avinione, V nonas octobris, anno quinto decimo.»

4303 3 octobre 1330.

Guillelmum episcopum Valentinensem ut Albertum de Cassanatico subditosque suos ad observationem treugarum cum Ademaro de Pictavia indictarum compellat. (Reg. 116, fol. 181 (210) v°, c. 878).

« *Guillelmo, episcopo Valentino et Diensi.* Nosti, frater, quod — Datum V nonas octobris, anno quinto decimo.»

In e. m. eidem nobili [Ademaro de Pictavia].

4304 3 octobre 1330.

Eidem [Ademaro de Pictavia] ut treugas cum Alberto de Cassanatico usque ad festum Omnium Sanctorum proximo futurum indictas usque ad festum nativitatis beati Johannis Baptistae proroget. (Reg. 116, fol. 182 (211), c. 879).

« *Eidem nobili.* Cum dudum inter — Datum ut supra [V nonas octobris, anno quinto decimo].»

In e. m. predicto Alberto [de Cassanatico].

4305 3 octobre 1330.

Guillelmo de Rossilione, Ademario de Rossilione et Hugoni Ademari de Montilio dominis ut ad pacem inter Guillelmum episcopum Valentinum et Ademarum de Pictavia reformandam diligentiam adhibeant. (Reg. 116, fol. 182 (211), c. 880).

« *Guillelmo de Rossilione, abbati Sancti Felicis in ecclesia Valentina, et nobili viro Ademario de Rossilione et Hugoni Ademari de Montilio dominis.* Cum super tractanda — Datum ut supra [V nonas octobris, anno quinto decimo].»

4306 4 octobre 1330.

Regi Franciae de juramento quod senescallus Vasconiae incongrue ab episcopo Agennensi praestari petit. (Reg. 116, fol. 22 (50), c. 86).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Cum, sicut accepimus, venerabilis frater noster Amanevus episcopus Agennensis dilecto filio nobili viro Johanni de Blanvilla senescallo regio Agennensi et Vasconie recipienti tuo, fili carissime, nomine fidelitatis prestiterit juramentum, et prefatus senescallus petat ab eodem episcopo aliud sibi tanquam senescallo juramentum ea potissime ratione prestandi quia bone memorie Arnaldus episcopus Agennensis predecessor ejusdem episcopi, quando terra ducatus Aquitanie fuit regi Aquitanie duci restituta, unum quondam Guillelmo de Valentia dicti ducis locumtenenti et aliud Johanni de Griliaco tunc pro eodem duce senescallo ducatus predicti prestitit juramentum, quamvis ex tunc nec idem episcopus nec predecessores sui qui fuerunt pro tempore nisi unum solum prestiterint juramentum, asseratque dictus episcopus ex hiis et aliis per senescallum eumdem sibi et ecclesie sue Agennensi varia gravamina et indebitas molestationes inferri, serenitatem regiam rogamus attente quatinus benigne velit audire

super predictis gentes dicti episcopi regia celsitudo, non sinens eundem super dicto juramento petito per eundem senescallum prestari, quod utique nec juri nec moribus ut asserit idem episcopus congruit, nec etiam super aliis juribus eisdem episcopo et ecclesie de jure seu antiqua consuetudine competentibus molestari, sed eos potius pro Dei honore Apostoliceque Sedis reverentia favore regio prosequatur. Datum IIII nonas octobris, anno quinto decimo. »

4307 Avignon, 4 octobre 1330.

Arnaldo de Verdala ut ab administratoribus beneficiorum, quae Philippus de Majoricis in provincia Narbonensi olim obtinebat, rationem fructusque ab eis perceptos recipiat (Reg. 116, fol. 2 (30) v°, c. 10).

« *Arnaldo de Verdala, archidiacono Mirapiscensi, Apostolice Sedis nuncio.* Cum sicut accepimus — Datum Avinione, IIII nonas octobris, anno quinto decimo. »

4308 6 octobre 1330.

Regi Franciae quod transitus magistri Hospitalis ad Rhodi insulam, cui Borbonesii dux sociari vellet, differri non potest. (Reg. 116, fol. 21 (49), c. 82 ; — Tabacco, *La casa di Francia nell'azione politica di papa Giovanni* XXII, p. 356, n. VII).

« *Eidem* [*regi Francie*]. Litteras regias novissime, fili carissime, recepimus continentes quomodo dilecto filio magnifico principi Ludovico duci Borbonesii providentia consuluerat regia ut ultramarinum suum ut citius poterit exequatur passagium, super hoc eidem licentia impertita, laudans insuper quod illud cum dilecto filio Heliono, magistro Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, faciat cum illa societate qua poterit meliori. Et quia hoc non posset dictus dux exequi in presenti, dictum magistrum per litteras regias requisisti ut terminum passagii sui differat usque diem aprilis instantis ultimam et abinde usque ad diem aprilis ultimam subsequentem, ita tamen si sibi visum fuerit quod sine dampno et periculo insule Rodi et aliarum terrarum illarum partium hoc bono modo valeat adimplere, preces nobis nichilominus super hoc porrigendo quatinus vellemus dilationi assentire hujusmodi ac dicto magistro super hoc scribere, ita tamen si nobis visum fuerit quod dilatio hujusmodi insule Rodi et aliis ultramarinis partibus prejudicialis seu periculosa esse nequeat vel dampnosa. Profecto, fili carissime, aperte percepimus ex predictis quod a quocumque periculo contingente ex dilatione, si eam concedi contigerit, te intendis immunem provide preservare. Sane si tua, fili carissime, circumspectio hoc intendit, proculdubio non minus nos hoc debemus intendere et sedule providere. Dum enim consideranter attendimus quantum dicti magistri passagium secundum humanum judicium Illo cujus negocium agitur annuente tam pro insule Rodi custodia [et] aliarum terrarum fidelium illarum partium quam pro acquisitione nonnullorum eorum que detinentur ab infidelibus eorumque oppressione esse poterit fructuosum, quantaque possent sequi incomoda et pericula varia tam circa dictam insulam et terras fidelium alias si dicti magistri passagium usque ad prefixum in dictis litteris terminum differretur, necnon et dum consideramus attente quantam spem de suo transitu fideles conceperint quantusque timor infideles invaserit, que quidem spes si differatur passagium in desolationem vertetur et diffidentiam, timorque tolletur ab infidelibus aususque ipsorum temerarii et effrenis superbia invalescent, proculdubio quod sine prejudicio, periculo premissorum et dampno differri suum passagium sicut petitur valeat non videmus. Quis etiam considerare non possit si pro isto spatio subsidium fidelium illarum partium substrahatur quod interim tantum perfidorum potentia excrescere poterit sicque fideles, quod absit, opprimere poterunt quod frustra de magistri et ducis predictorum tractabitur passagio in termino postulato. Si hec, fili carissime, tu et dux predictus consideraretis attente, videtur nobis quod nullatenus instare curabitis ut presens magistri differatur passagium, sed potius instabitis etiam importune et modis omnibus [ut], si Deo placuerit, absque more dispendio celeriter compleatur. De tua quidem, fili, memoria non credimus cecidisse quotiens a fratribus insule predicte et ab aliis receperis litteras quod insula perditionis periculo subjacebat. Nosti quoque quomodo ut princeps catholicus volens huic periculo providere nobis dictoque magistro scripsisti super hoc sepius et tandem magistrum ipsum ad tuam presentiam evocasti. Et si dudum ubi spes de magistri transitu habebatur in periculo

fuerit insula antedicta, quid putas erit si spes passagii husjumodi substrahatur ? Adhuc, fili carissime, videtur nobis quod si iturus sit prefixo termino dux predictus quod (*sic*) multum intersit sua ut magister precedere debeat viamque sibi, si annuerit Dominus, preparet, ut cum venerit recipi possit tutius et securius in illis residere partibus, et ut miles Christi strenuus prosequi et opprimere fidei catholice inimicos. Hec sunt, fili carissime, que nobis suadet ratio in hac parte et credimus quod suadebit cuilibet qui ad hoc suum sedule animum voluerit applicare. Non enim videtur quod certa probabiliter deseri debeant pro incertis. Certum autem videtur probabiliter quod magistri presentia esse debeat in illis partibus plurimum oportuna tam quoad conservationem eorum que ad presens possidentur in illis partibus a fidelibus quam quoad acquirenda loca aliqua que detinent inimici. Transitus autem ducis est multipliciter dubius, quare non sunt talia dimittenda nec in dilatione videmus aliud nisi tantum gloriam, qua dicetur ab aliquibus : transit honorifice dux predictus; a nonnullis forte attribuetur transitus ordini Hospitalis, sicque nec illud per modum istum valebit assequi quod intendit, et tenemus indubie quod si quid adversi propter dilationem negociis Dei contingeret, quamdiu viveret remorsus conscientie quasi ipse causa illius existeret non abesset. Datum II nonas octobris, anno quinto decimo. »

4309 6 octobre 1330.

Ducem Borbonesii hortatur ut suum passagium ad insulam Rhodi acceleret, magistro Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani eum tamen precedente. (Reg.116, fol. 21 (49) v°, c. 83).

« *Eidem duci* [*Borbonesii*]. Solite benignitatis affectu recepimus magnificentie tue litteras nobis per dilectos filios priorem domus de Vicenis, ordinis de Grandimontis (*sic*), Parisiensis diocesis, et Petrum Larchier clericum, ac nobilem virum Henricum de Montaizino, militem, tuos nuncios presentatas, per quas mentionem de quibusdam litteris carissimi in Christo filii nostri Philippi, regis Francie illustris, pro certo negocio te, fili, contingente nobis missis, faciens eisdem tuis nunciis super hiis que nobis circa negotium ipsum exponerent fidem adhiberi credulam nosque reddere super expeditione illius favorabiles petiisti. Quos quidem nuntios patienter et benigne audivimus et intelleximus que ipsi super eodem negocio coram nobis exponere curaverunt. Vidimus etiam predictas litteras regias quarum series inter cetera continebat quod rex prefatus ut tuum transfretandi propositum prosequaris quantotius poteris licentia tibi concessa super hoc consulens, suadebat quod cum dilecto filio Heliono magistro Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani tecum meliori societate quam posses adhibita transfretantes (1), sed cum hoc in presenti exequi commode non valeres, prefatum magistrum ut suum ab ultima die mensis aprilis instantis proximo usque ad unum annum differret passagium, si hoc tamen absque dampno et periculo insule Rodi et aliarum terrarum earum partium que tenentur per christicolas posset fieri, per suas regias litteras requirebat, nos rogando etiam ut, consentientes dilationibus, si nobis hoc posse fieri sine prejudicio periculis atque dampno insule Rodi et aliarum terrarum illarum partium videtur, dicto magistro super hiis oportune scribere curaremus. Sane premissis et aliis que circa negotium predictum considerare potuimus in consistorio rationis et deliberationis discussis, nobis intentio non occurrit quod tanta passagii dicti magistri dilatio, attento statu periculoso insule ac transmarinarum partium predictarum, tolerari absque prejudicio, dampnis gravibus et periculis earum valeat, quinimmo ex hoc si fieret eisdem insule ac terris necnon partium predictarum christicolis varia scandalosa non facile restauranda exoriri pericula, sicut memorato regi seriose rescribimus probabiliter formidamus, que si attente tua consideraverit circumspectio, proculdubio credimus quod non pro dilatione sed pro acceleratione potius instabis passagii supradicti. Rursus ex eo videtur non parum tuis expedire oportunitatibus quod te magister predictus transfretando precedat, ut via tibi preparata per ipsum tutius in eis partibus recipi et residere securius valeas, ac ut pugil Christi strenuus hostes persequi fortius et opprimere fidei christiane. Attende, fili, quesumus, et considera diligenter quod si propter predictam dilationem transitus aliquod sinistrum insule terris ac christicolis predictis, quod absit, contingeret, quod in te quasi causa horum existeres remorsus conscientie perpetuo remaneret. Quare premissis et aliis que

(1) Corr. : *transfrerares* ?

tecum potes discutere in examine recte considerationis adductis, credimus et speramus in Domino quod pro dilatione predicta sed potius ut dicti magistri transitus accelerari debeat ulterius tua circumspectio non instabit, teque dispones ut ipsum sequaris non expectato termino supradicto. Datum ut supra [II nonas octobris, anno quinto decimo]. »

4310 6 octobre 1330.

Magistrum Hospitalem hortatur ut passagium ad insulam Rodi acceleret. (Reg. 116, fol. 181 (210) v°, c. 877).

« ...*magistro Hospitalis.* Litteras carissimi in Christo filii nostri Philippi, regis Francie illustris, recepimus quarum tenorem continet cedula presentibus interclusa, ex qua evidenter percipere poteris quod regis est intentio quod ab omni dampno ac periculo que insule Rodi ac terre alie fidelium illarum partium ex dilatione quam postulat possent incurrere mundus sit et immunis. Nos autem dum consideranter attendimus quantum tuum passagium secundum humanum judicium, Illo cujus negotium agitur annuente, tam pro insule Rodi custodia aliarumque terrarum fidelium illarum partium, quam pro acquisitione nonnullarum earum que detinentur ab infidelibus eorumque oppressione esse poterit fructuosum, quantaque possent sequi incomoda et pericula varia tam circa dictam insulam et terras fidelium alias si tuum passagium usque ad prefixum in dictis litteris terminum differretur, necnon et dum consideramus attente quantam spem de tuo transitu fideles conceperint quantusque timor infideles invaserit, que quidem spes si differatur passagium in desolationem vertetur et diffidentiam timorque tolleretur infidelibus aususque ipsorum temerarii et effrenis superbia invalescent procul dubio, quod sine prejudicio, periculo premissorum et dampno differi tuum passagium sicut petitur valeat non videmus. Tu autem sicut vir providens cura circa premissa taliter providere ne tibi quecumque ex dicta dilatione incommoda valeant imputari. Potes enim evidenter percipere quod rex et nos a premissis incommodis immunes omnino nos intendimus preservare. Datum II nonas octobris, anno quinto decimo. »

4311 Avignon, 6 octobre 1330.

Jacobo Spinula de Luculo ad Sedem Apostolicam venturo litteras de securo conductu pro tribus mensibus concedit. (Reg. 116, fol. 187 (216), c. 923).

« *Venerabilibus fratribus.. patriarchis,.. archiepiscopis ac.. episcopis, et dilectis filiis.. electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris, rectoribus et aliis ecclesiarum prelatis ipsorumque vices gerentibus, capitulis quoque, conventibus ceterisque personis ecclesiasticis regularibus et secularibus, exemptis et non exemptis Cisterciensis, Cluniacencis, Premostratensis, Camaldulensis, sanctorum Benedicti et Augustini, et aliorum ordinum ac domorum Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, sancte Marie Theotonicorum, Calatravensis et Humiliatorum magistris, prioribus et preceptoribus, necnon nobilibus viris ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, senescallis, justiciariis, potestatibus, capitaneis, rectoribus, bajulis, officialibus ceterisque dominis temporalibus universitatibus quoque et communitatibus civitatum, terrarum, castrorum, villarum et aliorum quorumcumque locorum et aliis universis ac singulis ad quos presentes littere pervenerint.* Cum dilectus filius nobilis vir Jacobus Spinula de Luculo — Datum Avinione, II nonis octobris, anno quinto decimo.

4312 7 octobre 1330.

Reservationem fructuum primi anni omnium beneficiorum vacantium in diocesibus Metensi, Bellicensi, Bisuntina, Virdunensi et Tullensi usque ad unum annum extendens, personis ecclesiasticis earumdem diocesum mandat ut eosdem fructus collectoribus assignent. (Reg. 116, fol. 166 (193) v°, p. c. 811).

Item (1) alie due similes in civitate et diocesi Metensi.

Item alie due similes in civitate et diocesi Bellicensi.

Item alie due similes in civitate et diocesi Bisuntina.

Item alie due similes in civitate et diocesi Virdunensi.

Item alie due similes in civitate et diocesi Tullensi.

(1) Cf. ci-après, n°s 4521 à 4528.

In istis datum executorii predicti : Datum nonis octobris, anno quinto decimo.

4313 Avignon, 9 octobre 1330.

Guillelmo de Orto et Guillelmo Rufi mandat ut bona mobilia quondam Guillelmi de Camareto, prioris de Celsiniis, Petro abbati Cluniacensi remittant. (Reg. 116, fol. 3 (31), c. 11).

« *Magistris Guillelmo de Orto, abbati Claromontensis, et Guillelmo Ruffi, canonico Aniciensis ecclesiarum.* Licet dispositionem bonorum mobilium quondam Guillelmi de Camareto prioris prioratus de Celsiniis, Cluniacensis ordinis, Claromontensis diocesis, dudum ex certis causis rationabilibus duxerimus reservandam nobis, bonorum ipsorum collectione per litteras nostras certi tenoris commissa, volentes tamen dilecto filio Petro abbati monasterii Cluniacensis, Matisconensis diocesis, quem favore benigno prosequimur, gratiam facere specialem, omnia et singula bona dicti prioris mobilia quecumque et ubicumque sint, que ipse alias si non obstaret predicta reservatio ad se pertinere de antiqua sui monasterii consuetudine asserebat, eidem abbati preter illa que pro nostris et Ecclesie Romane necessitatibus relevandis utilius de bonis retinemus predictis, videlicet omnia et singula debita et deposita que prefatus prior citra Rodanum habebat seu debebantur eidem, necnon ultra hoc mille quingentos et septem agnos auri, sexaginta regales auri, duo milia quinquaginta tres florenos auri de Florentia et mille quingentos turonenses grossos argenti, duximus de speciali gratia remittenda. Cum autem dilecti filii Bernardus de Ginebreda de Longavilla Gifardi et Petrus de Sancto Marciali de Caroloco prioratuum dicti ordinis priores Rothomagensis et Matisconensis diocesum procuratores ejusdem abbatis tam nomine procuratorio ipsius quam nominibus propriis ipsi et quilibet eorum in solidum se obligaverint efficaciter pro dictis mille quingentis et septem agnis, duobus milibus quinquaginta tribus florenis auri ac mille quingentis turonensibus grossis argenti, pro nobis et eadem Ecclesia ut superius continetur retentis, predicte Camere infra certum super hoc prefixum terminum persolvendis, sicut in instrumento publico inde confecto plenius continetur, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus eundem abbatem vel procuratorem suum in collectione ac receptione bonorum dicti prioris impedire nullatenus presumatis, et si qua de bonis eisdem, preter illa que ut superius continetur retinemus, ad manus vestras vel alterius vestrum pervenerint, ea eidem restituere absque dilationis et dificultatis obstaculo procuretis, processus si quos adversus dictum abbatem seu gentes et procuratores suos occasione predictorum bonorum feceritis revocantes nichilominus et promulgatas sententias relaxantes. Datum Avinione, VII idus octobris, anno quinto decimo. »

4314 9 octobre 1330.

Regi Franciae, de bonis Guillelmi de Camareto prioris de Celsiniis abbati Cluniacensi spectantibus scribit. (Reg. 116, fol. 22 (50), c. 84).

« *Regi Francie.* Insinuatione dilecti filii.. abbatis monasterii Cluniacensis nuper accepimus quod gentes regie pretextu cujusdam debiti quondam Petri Remigii in bonis quondam Guillelmi de Camareto, prioris de Celsiniis, ordinis Cluniacensis, Claromontensis diocesis, ad eundem abbatem suumque monasterium predictum ut asserit spectantibus impedimentum apponere curaverunt. Quocirca regiam excellentiam attentius deprecamur quatinus eundem abbatem super amotione impedimenti hujusmodi aliisque suis et monasterii prelibati negociis habere velit benivolentia regia pro nostra et Apostolice Sedis reverentia favorabiliter commendatum. Datum VII idus octobris, anno quinto decimo. »

4315 9 octobre 1330.

Eduardum comitem Barensem de devotione erga Ecclesiam regratiatur et eum ad perseverandum hortatur. (Reg. 116, fol. 22 (50) v°, c. 93 ; — Sauerland, *Quellen zur lothringischen Geschichte*, t. I, p. 290, n. 633).

« *Eduardo, comiti Barensi.* Ad eas quas — Datum VII idus octobris, anno quinto decimo. »

4316 15 octobre 1330.

Regi Franciae Guillelmum episcopum Biterrensem qui

nonnulla negotia in curia regia expedire habet commendat. (Reg. 116, fol. 22 (50), c. 85).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Cum venerabilis frater — Datum idibus octobris, anno quinto decimo. »

In e. m. mutatis mutandis Petro, archiepiscopo Senonensi.

In e. m. Johanni, electo Abrincensi.

In e. m. Andree, episcopo Atrebatensi.

In e. m. abbati Cluniacensi.

4317 15 octobre 1330.

Guillelmo, episcopo Biterrensi, indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218), c. 951).

« *Guillelmo, episcopo Biterrensi.* Devotionis tue sinceritas — Datum idibus octobris, anno quinto decimo. »

4318 Avignon, 22 octobre 1330.

Raymundum Andree unum de tribus presbyteris capellae Beatae Mariae de Miraculo Avinionensis instituit. (Reg. 116, fol. 175 (204), c. 848 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54767).

« *Raymundo Andree, capellano perpetuo capelle Beate Marie de Miraculo Avinionensis.* Probitatis tue meritis — Datum Avinione, XI kalendas novembris, anno quinto decimo. »

In e. m. Guillelmo Capelerii, capellano perpetuo ejusdem capelle.

4319 Avignon, 22 octobre 1330.

Capellam Beatae Mariae de Miraculis, Avinionensis diocesis, fundat et dotat, tresque presbyteros quibus redditus in diversis locis assignat, instituit. (Reg. 116, fol. 149 (175), c. 778 ; Reg. Vat. 98, fol. 5, c. 16 ; Reg. Avin. 37, c. 10, fol. 138 v° ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54766).

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Descendens de celis unigenitus Dei filius ut sub forma servi carne nostre mortalitatis assumpta dampnacionis sentenciam quam per reatum prothoplausti tota humani generis incurrerat posteritas aboleret, reginam in matrem videlicet precellam et gloriosam Mariam semper virginem dominam nostram que tanto Regi dignum fieret habitaculum preelegit, ipsa namque mater gracie ac regina celorum effecta cunctis sinum sue misericordie aperiens ut de gratie ipsius plenitudine accipiant universi omnibus se debitricem constituit caritatis, quemquam perire non sinens ad ejusdem matris auxilium devotis orationibus recurrentem. Et licet ipsa domina et advocata nostra quam idem benedictus Filius suus honoris privilegiis precipui decorare non cessat, ab Ipso gratias et beneficia pro fidelibus jugiter impetrando coruscare ubique miraculis continue non desistat, dudum tamen nobis et fratribus nostris apud Avinionem cum curia nostra residentibus, sicut nunc eciam residemus, quodam non pretermittendo nec oblivioni tradendo miraculo sed pie pro consolatione fidelium pocius memorando in conspectu multorum fidelium tunc astancium noscitur claruisse. Contigit equidem quod quidam juvenis occasione criminis pessimi, de quo dicebatur esse culpabilis, ut cremaretur ignibus per curie secularis judicium condempnatus, per ministros ejusdem curie ad quendam locum tunc vocatum de Lestel juxta civitatem Avinionensem, ubi malefactores quandoque plectebantur, perductus extitit, et ad stipitem per collum, brachia et tibias certamque partem aliam corporis ut penam subiret hujusmodi fortiter alligatus, ipsam Virginem gloriosam continuis invocabat orationibus, asserendo se ab eodem crimine penitus innocentem. Tandem vero lignis in non modica quantitate juxta eum circumquaque compositis et igne lignis eisdem immisso accensa fuit flamma vehementissime circa et supra ipsum et flante vento diffusa, sed cum idem juvenis quousque flamme involuerunt hujusmodi eumque cooperuerunt totaliter ab invocatione ipsius piissime Virginis non cessaret, post modicum spacium cum ab omnibus circumstantibus crederetur extinctus, solutus a vinculis et inustus omnino in conspectu magne multitudinis fidelium ibidem astantium de flammis incendii exiliit et exivit illesus, dicendo se inter flammas vidisse quandam splendidam dominam cum pulcherrimo puero qui eundem clementer a vinculis solverat, ab estu preservaverat incendii et mortis periculo liberarat ; et licet ministri predicti qui plures erant eundem juvenem in ignem rejicere niterentur, hoc tamen facere minime potuerunt. Percipientes itaque

verisimiliter ministri et alii circumstantes hoc esse miraculum manifestum, abire prefatum juvenem ad Avinionensem ecclesiam in honorem fundatam ejusdem precelse (1) genitricis Dei ad quam vota sua dirigebat specialiter libere permiserunt. Nos autem hoc audito miraculo gaudii spiritualis rore perfusi perquisitaque tam per relationem dicti juvenis ad nostram postmodum presentiam evocati quam multorum fidelium qui premissis presentes extiterant plenius veritate, divine clementie ac eidem matri gracie in humilitate spiritus vitulum exolvere curavimus labiorum, et ut tanti miraculi ad corroborationem orthodoxe fidei et consolationem fidelium remaneret tam presentibus quam posteris memoriale perhenne in loco ubi miraculum contigit hujusmodi, quandam capellam ad honorem divini nominis et ipsius Virginis gloriose tociusque celestis curie construi fecimus et fundari, ut in eadem capella domo Dei et orationis effecta venerandoque vocabulo ejusdem Virginis insignita laudetur divina potencia ipsiusque matris et Virginis implorentur suffragia et immoletur pro delictis populi ostia salutaris. Ut autem Deo et eidem Virgini sanctisque omnibus ibidem impendatur perpetuo debitus famulatus, volumus, statuimus ac eciam auctoritate apostolica ordinamus quod tres presbiteri ydonei per episcopum Avinionensem, qui erit pro tempore, instituendi honeste viventes et in assignatis sibi morantes domibus in communi, qui divina in predicta capella celebrent officia perpetuis temporibus habeantur. Et quia in humanis spiritualia sine temporalibus diucius superesse non possunt, nos intendentes eidem capelle ad opus dictorum presbiterorum de dote congrua providere, omnes oblationes et obventiones a fidelibus oblatas hactenus a tempore fundationis ipsius capelle circa et imposterum offerendas seu largiendas, ac domos quas pro habitatione dictorum presbiterorum juxta dictam capellam fieri fecimus, necnon ortum seu gerdinum, plateam et ayralia eidem capelle contigua, et insuper quandam vineam liberam continentem quatuor eminatas terre, confrontatam cum itinere quo itur de Avinione versus turrem dictam Episcopi et cum vinea Johannis Blanchi, civis Avinionensis, et ulterius census annuos infrascriptos, quos persone subscripte pro prediis, bonis et possessionibus expressis inferius tenentur solvere annuatim, videlicet, Guillelmus Grandis, serviens noster armorum, pro quodam hospicio sito prope dictam capellam, viginti tres solidos novem denarios turonensium parvorum; item Guillelmus Desiderii, civis Avinionensis, pro quodam hospicio sito prope capellam eandem triginta tres solidos novem denarios ejusdem monete; item quindecim solidos ejusdem monete Riquetus, macellarius Avinonensis, pro quodam ortu suo sito prope dictam capellam; item quindecim solidos turonensium parvorum Raymunda de Castro Raynardi et ejus liberi pro quodam orto suo sito prope dictam capellam; item duodecim turonenses grossos argenti Jacobus de Bellicadro, corderius, civis Avinionensis, pro quodam orto suo sito prope dictam capellam; item quadraginta unum solidos turonensium parvorum Stephanus Corderii pro quodam orto suo sito prope dictam capellam; item sexaginta solidos turonensium parvorum Jacobus Anglici pro quodam orto suo sito prope dictam capellam; item decem manganerios annone dictus Guillelmus Grandis pro quodam orto suo sito prope dictam capellam; item census bladorum infrascriptos quos persone debent infrascripte pro bonis et possessionibus subscriptis, videlicet : Sicardus de Novis, domicellus, unam eyminam ordei pro una sextariata vinee site in territorio Castri Raynardi ad Sanctum Sulpicium; item, terciam partem unius sextarii ordei Guillelmus Ysnardi et Dulcia ejus soror pro duabus sextariatis terre site in territorio Novarum apud Gacharellam, confrontatis cum vinea Guillelmi et Petri de Sancto Johanne; item duas cossias ordei in quibus Raymundus Reyre et ejus fratres pro una sextariata terre site in eodem territorio apud Gacharellam, confrontate cum vinea Rostagni Calvini; item unam cossiam ordei Guillermus Valade, filius quondam Bernardi, pro una sextariata terre site in Gacharella cum robina et vinea Petri Vallade confrontate; item tres cossias ordei Petrus Berengarii, filius quondam Ricardi, pro una eminata vinee site in predicto territorio in Gacharella, confrontate cum robina et vinea Marchi de Sancto Johanne; item sex cossias ordei Marchus de Sancto Johanne pro una carteriata vinee et orti sitorum in predicto territorio confrontatorum cum vinea Petri Berengarii; item terciam partem unius sextarii ordei Guillermus et Petrus de Sancto Johanne fratres pro quadam pecia vinee cum robina et terra Guillermi Isnardi confrontate; item terciam partem unius sextarii ordei Petrus Salvagii notarius pro

(1) Reg. : *precelle.*

duabus carteriatis vinee contiguis cum vinea Guillermi et Petri de Sancto Johanne superius proximo confrontata; item unum sextarium ordei heredes Rostagni Calvini pro una carteriata vinee site in eodem territorio Novarum apud Gacharellam, confrontate cum terra Raymundi Ravere; item tres sextarios annone Bertrandus Symon et Petrus Rocha, fratres, habitatores de Novis, pro una sextariata terre site in Areis, confrontate cum vinea dicta de Sersols et terra Johannis Marcellini; item duos sextarios annone Raymundus et Hugo Pantoleni, fratres, habitatores de Novis, pro tribus carteriatis vinee site in territorio Novarum apud clausum de Novaria (1), confrontate cum vinea Raymundi Fabri; item tres eminas annone Raymundus de Opere pro tresdecim sextariatis terre et vinee sitarum in eodem territorio Novarum apud Cucharellam confrontatarum cum podio et rupe dicta Canals dels Sarrasis; item tres eminas annone Jordanus et Jacobus Lunaris pro tribus eminatis terre site in eodem territorio apud Callatam, confrontate cum terra Poncii Ricardi; item unum sextarium annone Poncius Pujada pro quatuor carteriatis vinee site in eodem territorio ad clausum dictum de Nauria confrontate cum vinea magistri Johannis Bandini phisici; item tres sextarios annone idem Poncius Pujada pro duabus sextariatis terre site in eodem territorio apud Corrigiam, cum terra Raymundi de Insula confrontate; item unam eminam annone Bertrandus Berardi pro tribus eminatis terre site in eodem territorio ad pontem dictum Lamocoiera confrontate cum via publica Paludis; item tres sextarios annone Inardus Bolla pro tribus terre (*sic*) et quatuor sextariatis vinee sitarum in eodem territorio apud Balqueriam confrontatarum cum vinea Petri Michaelis; item tres eminas annone Sibinda Cocarona pro media eminata terre site ad viam de Secsols in eodem territorio Novarum confrontate cum dicta via et cum terra Petri Ruffi fabri; item tres eminas annone Guillermus Petri Martini pro media eminata terre site ibidem confrontate cum dicta via de Secsols et terra Raymundi Fabri; item unam eminam annone Petrus Moteti pro una sextariata terre site in eodem territorio ad pontem de Lamocoiera confrontate cum terra Pogesiorum; item tres sextarios annone Johannes Massellini pro una eminata terre site in areis Novarum confrontate cum via de Secsols et area Guillermi Petri Martini; item tres sextarios annone Johannes (1) de Novis domicellus pro tribus sextariatis terre site in eodem territorio Novarum apud Rotam, confrontate cum terra Raymundeti de Opere; item tres eminas annone Jacobus Bolla alias Mercorini pro duabus carteriatis vinee site in eodem territorio Novarum apud Blanqueriam confrontate cum vinea Jacobi Pujada; item quinque sextarios annone Guillermus Symonis pro quatuor carteriatis vinee site in eodem territorio apud Gacharellum; item quindecim sextarios annone idem Guillermus Symonis pro decem sextariatis terre site in eodem territorio Novarum apud pontem de Lamocoiera confrontate cum via publica et terra Pogessorum; item unum sextarium annone Raymundus Apeleni pro sex sextariatis vinee site in eodem territorio Novarum apud clausum de Nauria, confrontate cum terra Pantalenorum, et cum vinea Raymundi de Moleriis domicelli; item sex sextarios annone Berengaria filia Guillermi Alfonsi quondam pro sex sextariatis terre site in eodem territorio apud Gacharellum, confrontate cum robina et vinea Guillermi Symonis; item duos sextarios cum emina annone Hugo Candelerii pro duabus carteriatis cum dimidia vinee site apud Collatam in eodem territorio Novarum, confrontate cum robina et terra Poncii Ricardi; item tres eminas annone Poncius Ricardi pro tribus sextariatis terre site ibidem apud Callatam confrontate cum robina et terra Lunariorum; item tres eminas annone Johannes Mercorini alias Belle pro tribus eminatis vinee site apud Blanqueriam, confrontate cum vinea Jacobi Mercorini; item duos sextarios annone Petrus Vallade senior pro una carteriata vinee site in Gacharella confrontate cum vinea Marchi de Sancto Johanne; item duos sextarios annone Raymundus Fabri pro duabus carteriatis vinee site in eodem territorio Novarum apud clausum de Nauria cum via Sancti Remigii et vinea heredum Petri Fabri confrontate; item unam eminam annone Jacobus et Guillermus Petri Pujade, fratres, pro una sextariata terre site in eodem territorio Novarum als Angles confrontate cum Angliono circumcirca; item tres sextarios annone Petrus Ruffi Fabri pro una eminata terre site in eodem territorio ad viam de Secsols confrontate cum eadem via; item quatuor sextarios annone Petrus Michaelis pro quatuor carteriatis

(1) Reg. 116 : *Nauria* ?

(1) Reg. : *annone in quibus Johannes.*

vinee pro quibus servit quartam partem racemorum excrescencium in eadem, qui valent dictos quatuor sextarios annone vel circa ; cum omni emolumento trezenorum et laudemiorum que ratione dictorum censuum evenire contigerit eisdem presbiteris et capelle perpetuo auctoritate apostolica concedimus et donamus, volentes et concedentes quod ipsi presbiteri presentes et posteri predictis bonis et censibus superius expressatis per nos eis datis et concessis ut premittitur que acquiri et emi fecimus cum emolumento trezenorum et laudemiorum predictorum gaudere plene et pacifice valeant absque contradictione et difficultate quacunque. Preterea prefatam capellam cum omnibus predictis aliisque bonis et juribus sibi assignatis, datis et concessis ac per nos concedendis imposterum ab omni jure parrochiali capituli et ecclesie Sancti Agricoli Avinionensium in cujus parrochia prefata capella consistere dicitur auctoritate predicta penitus eximimus, volentes, statuentes et decernentes capellam eandem et ipsius presbiteros a prestatione cujuslibet subventionis et procurationis legatorum aut nunciorum ejusdem Sedis, vel ordinariorum quorumcunque necnon decimarum et primiciarum de fructibus terrarum, vinearum, ortorum et prediorum suorum que propriis sumptibus excolunt, vel in futurum excolent, perpetuis temporibus existere liberos et immunes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre voluntatis, constitutionis, ordinationis, concessionis, donationis et exemptionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinione, XI kalendas novembris, pontificatus nostri anno quinto decimo. »

4320 Avignon, 22 octobre 1330.

Guillelmo Capelerii providet de capellania perpetua capella Beatae Mariae de Miraculo Avinionensis (Reg. 98, fol. 7, c. 17).

« *Dilecto filio Guillelmo Capelerii, capellano perpetuo capelle Beate Marie de Miraculo Avinionensis, salutem.* Probitatis tue meritis — Datum Avinione, XI kalendas novembris, anno quinto decimo ».

4321 Avignon, 22 octobre 1330.

Raymundo Andreae providet de capellania perpetua ,n eadem capella. (Reg. 98, fol. 7, c. 18).

« *Dilecto filio Raymundo Andree, capellano perpetuo capelle Beate Marie de Miraculo Avinionensis, salutem.* Probitatis tue meritis — Datum ut supra. »

4322 Avignon, 23 octobre 1330.

Petro de Via ut studio juris civilis insistendo redditus beneficiorum suorum ecclesiasticorum in absentia usque ad quinquennium, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, percipere possit. (Reg. 116, fol. 3 (31), c. 12 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 51309).

« *Petro de Via, sacriste ecclesie Caturcensis.* Meritis tue probitatis — Datum Avinione, X kalendas novembris, anno quinto decimo. »

4323 Avignon, 23 octobre 1330.

Episcopo Rivensi, archidiacono de Montepensato et Petro de Meunaco ut redditus praedictos eidem Petro ministrari faciant. (Reg. 116, fol. 3 (31) v°, c. 13).

« *Judicibus : ..episcopo Rivensi,..archidiacono de Montepensato et magistro Petro de Meunaco, canonico ecclesie Caturcensis.* Meritis etc — Datum ut supra. »

4324 Avignon, 23 octobre 1330.

Arnaldo de Via similem gratiam concedit. (Reg. 116, fol. 4 (32), c. 14 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 51310).

« *Arnaldo de Via, canonico Laudunensi.* Tue devotionis meritis — Datum ut supra [Avinione, X kalendas novembris, anno quinto decimo]. »

4325 Avignon, 25 octobre 1330.

Arnaldo Comarci indulgentiam in articulo mortis, in e.m. ac Raymundo Stephani, concedit. (Reg. 116, fol. 188 (217) v°, p. c. 942).

« In e. m. (1) Arnaldo Comarci, Caturcensis diocesis. Datum Avinione, VIII kalendas novembris, anno quinto decimo. »

4326 28 octobre 1330.

Regi Franciae Raymundum, abbatem monasterii Sorosini, Vaurensis diocesis, pro quibusdam negociis ad curiam regiam se conferentem commendat. (Reg. 116, fol. 22 (50), c. 87).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Cum dilectus filius — habeas commendata.

In e. m., mutatis mutandis, cancellario.

In e. m. , mutatis mutandis, archiepiscopo Senonensi.

In e. m., mutatis mutandis, electo Abrincensi. Datum V kalendas novembris, anno quinto decimo. »

4327 28 octobre 1330.

Guilhalmono Johannis, ne impedimentum quibusdam hominibus suis vocatis de Cadelis praestet in solutione pensionis annuae monasterio Beatae Mariae Caturcensis, ordinis Cartusiensis, debitae. (Reg. 116, fol. 27 (55), c. 122).

« *Guilhalmono Johannis, militi de Caturco.* Ad ea te — Datum V kalendas novembris, anno quinto decimo. »

4328 31 octobre 1330.

Petro archiepiscopo Lugdunensi de venatione transmissa regratiatur eique favorem promittit. (Reg. 116, fol. 22 (50) v°, c. 92).

« *Petro, archiepiscopo Lugdunensi.* De venatione a — Datum II kalendas novembris, anno quinto decimo. »

4329 Avignon, 2 novembre 1330.

Priori et conventui monasterii Cartusiensis ut ad requisitionem prioris et conventus monasterii Beatae Mariae Caturcensis ejusdem Cartusiensis ordinis privilegia sua exhibeant episcopo Gratianopolitano ad transumptos faciendos. (Reg. 116, fol. 175 (204) v°, c. 849).

« .. *priori et conventui monasterii Cartusiensis, Gracionopolitane diocesis.* Dudum dilectis filiis — Datum Avinione, V nonas novembris (1), anno quinto decimo ».

4330 Avignon, 2 novembre 1330.

Episcopo Gratianopolitano ut praedicta privilegia transcribi faciat et transsumpta ascultata sigilloque suo munita ad Sedem Apostolicam transmittat. (Reg. 116, fol. 175 (204) v°, c. 850).

« *Eidem episcopo Gracionopolitano.* Dudum dilectis filiis — Datum ut supra » (2).

4331 Avignon, 3 novembre 1330.

Argentino, Virdunensi et Tullensi episcopis ut nobiles viros Symonem de Marchevilla, alias dictum de Porrores, et Johannem de Rubeomonte, Tullensis et Bisuntinae diocesum, qui Ademarum episcopum Metensem de castro suo de Vico, Metensis diocesis, ad quoddam aliud castrum suum vocatum de Rambevillario, Tullensis diocesis, se conferentem ceperant, ad ejusdem episcopi liberationem inducant, alioquin eos excommunicatos denuncient et ad comparendum citent. (Reg. 116, fol. 64 (92), c. 313 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 489, n. 1403 ; Sauerland, *Quellen zur lothringischen Geschichte*, p. 291, n. 635).

« ..*Argentinensi,.. Wirdunensi et.. Tullensi episcopis.* Infausti rumoris assertio — Datum Avinione, III nonas novembris, anno quinto decimo. »

4332 3 novembre 1330.

Rodulfo duci Lothoringiae ut Ademarum episcopum Metensem qui in terris suis a Symone de Marchevilla alias dicto de Parrores et Johanne de Rubeomonte captus fuit, liberari faciat. (Reg. 116, fol. 78 (106), c. 353 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 430, n. 1220 ; Sauerland, *Quellen zur lothringischen Geschichte*, p. 291, n. 636).

« *Rodulfo, duci Lothoringie.* Ad nostri aposto-

(1) Cf. n. 4292.

(1) *Sic.* On a corrigé, arbitrairement, *IV nonas.*

(2) Cf. note 1.

latus — Datum III nonas novembris, anno quinto decimo.»

In e. m. Isabelli, ducisse Lothoringie.

4333 3 novembre 1330.

Othoni duci Burgundiae ut pro ejusdem episcopi liberatione partes suas interponat. (Reg. 116, fol. 78 (106), c. 354; — Sauerland, *ibidem*.).

« *Othoni, duci Burgundie.* Disciplicibili admodum insinuatione — Datum III nonas novembris, anno quinto decimo.»

In e. m. Eduardo, comiti Barensi.

In e. m. Johanni, episcopo Lingonensi.

In e. m. Vitali, archiepiscopo Bisuntino.

In e. m. episcopo Argentinensi.

In e. m. episcopo Virdunensi.

In e. m. episcopo Tullensi.

In e. m. verbis competentibus mutatis scabino, duodecim et communitati Metensibus.

4334 Avignon, 4 novembre 1330.

Archiepiscopo Narbonensi ejusque suffraganeis et inquisitori haereticae pravitatis in regno Franciae deputato, Carcassonae commoranti, ut inquirant contra sacrilegos et maleficos in eorum civitatibus et diocesibus et inquisitionem ad Romanam curiam transmittant. (Reg. 98, fol. 2 v°, c. 2; Reg. Avin., 37, fol. 135 v°; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54769; Vidal, *Bullaire de l'inquisition française*, p. 154, n. 103).

« *Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Narbonensi ejusque suffraganeis et dilecto filio .. inquisitori heretice pravitatis in regno Francie per Sedem Apostolicam deputato Carcassone residenti.* Dudum venerabilis frater — Datum Avinione, II nonas novembris, anno quinto decimo.»

4335 Avignon, 4 novembre 1330.

Archiepiscopo Tholosano ejusque suffraganeis et inquisitori haereticae pravitatis Tholosae commoranti super eodem. (Reg. 98, fol. 3, c. 3; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54770; Vidal, *op. cit., ibid.*).

« *Venerabilibus fratribus ..archiepiscopo Tholosano ejusque suffraganeis et dilecto filio .. inquisitori heretice pravitatis in regno Francie per Sedem Apostolicam deputato Tholose residenti, salutem.* Dudum venerabilis frater — Datum Avinione, II nonas novembris, anno quinto decimo.»

4336 Avignon, 7 novembre 1330.

Guillelmo Lachapelia, ut non obstante commenda sibi facta de quadam boria nuncupata de Penna prope Caturcum, quam quondam Arnaldus de Villario tenebat, abbati et conventui monasterii Gardae Dei, Cisterciensis ordinis, Caturcensis diocesis dictam boriam restituat, eosque pacifica possessione gaudere permittat. (Reg. 116, fol. 4 (32), c. 15).

« *Guillelmo La Chapelia, preposito de Navis in ecclesia Tutellensi.* Olim tibi per — Datum Avinione, VII idus novembris, anno quinto decimo.»

4337 8 novembre 1330.

Episcopo Maurianensi terminum ad comparendum personaliter usque ad octabas instantis festae Epiphaniae intuitu Aymonis comitis Sabaudiae prorogat. (Reg. 116, fol. 175 (204) v°, c. 851).

« *Aymoni, episcopo Maurianensi.* Dudum tibi per — Datum VI idus novembris, anno quinto decimo.»

4338 10 novembre 1330.

Raymbaudae dominae de Ceperiis indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 188 (217) v°, p. c. 942).

« In e. m. (1) nobili mulieri Raymbaude, domine de Ceperiis, Venciensis diocesis. Datum Avinione, IIII idus novembris, anno quinto decimo.»

4339 10 novembre 1330.

Aymonem comitem Sabaudiae de laudabili proposito suo commendat, eum hortatur ne Bavari promissionibus acquiescat, nuntiatque ei se Roberto regi Siciliae pro pace

(1) Cf. n. 4292.

scripsisse. (Reg. 116, fol. 181 (210), c. 876 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 490, n. 1406).

« *Eidem* [*Aymoni, comiti Sabaudie*] Nobilitatis tue nuncios — Datum IIII idus novembris, anno quinto decimo. »

4340 10 novembre 1330.

Aymoni comiti Sabaudiae nuntiat terminum ad comparendum in Romana curia praescriptum Aymoni episcopo Maurianensi de quibusdam pecuniarum summis rationes reddituro, precum ejus intuitu prorogasse. (Reg. 116, fol. 182 (211), c. 885).

« *Aymoni, comiti Sabaudie.* Nobilitatis tue litteras — Datum IIII idus novembris, anno quinto decimo. »

4341 Avignon, 16 novembre 1330.

Raymundo Baboti ut in collatione fructuum primi anni beneficiorum vacantium in provincia Ebredunensi, tenorem litterarum apostolicarum tam quoad taxata quam non taxata beneficia observet. (Reg. 116, fol. 175 (204) v°, c. 852).

« *Raymundo Baboti, archidiacono Ebredunensi.* Consultatione tua quam — Datum Avinione, XVI kalendas decembris, anno quinto decimo. »

4342 17 novembre 1330.

Bernardo Audeberti indulgentiam in mortis articulo concedit. (Reg. 116, fol. 188 (217) v°, c. 943).

« *Bernardo Audeberti, archidiacono Nemausensi.* Devotionis tue sinceritas — Datum Avinione, XV kalendas decembris, anno quinto decimo. »

4343 19 novembre 1330.

Regi Franciae negotia Bertrandi episcopi Caturcensis et ejus ecclesiae ab officialibus regiis et procuratore generali in curia regia vexatorum commendat. (Reg. 116, fol. 25 (53) v°, c. 108).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Cum sicut audivimus — Datum XIII kalendas decembris, anno quinto decimo. »

In e. m. mutatis mutandis regis Francie cancellario.

In e. m. archiepiscopo Senonensi.

In e. m. electo Abrincensi.

4344 22 novembre 1330.

Reginae Franciae ut ad pacem inter Othonem ducem Burgundiae et Robertum de Atrebato habendam sollicitudinem interponat et apud eos insistet. (Reg. 116, fol. 24 (52) v°, c. 101).

« *Johanne, regine Francie.* Audivimus ad modum displicenter — Datum X kalendas decembris, anno quinto decimo. »

4345 22 novembre 1330.

Carolo comiti Alenconii ut ad praedictam pacem partes suas interponat. (Reg. 116, fol. 24 (52) v°, c. 102).

« *Carolo, comiti Alenconii.* Carissimum in Christo — Datum ut supra. »

In e. m. Ludovico, duci Borbonii.

In e. m. G. de Sancta Mora, decano Turonensi, regis Francie cancellario.

In e. m. Johanni, electo Abrincensi.

In e. m. Miloni, domino de Noeriis.

4346 Avignon, 22 novembre 1330.

Gasberto de Montelauzuno facultatem percipiendi fructus in absentia usque ad triennium, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, concedit. (Reg. 116, fol. 4 (32), c. 16 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 51654).

« *Gasberto de Montelauzuno, canonico Turonensi.* Vite ac morum — Datum Avinione, X kalendas decembris, anno quinto decimo. »

4347 Avignon, 22 novembre 1330.

Judicibus, ut eidem Gasberto praedictos fructus ministrari faciant. (Reg. 116, fol. 4 (32) v°, p. c. 16).

« *Judicibus.* Mandamus quatinus vos — Datum ut supra. »

4348 Avignon, 23 novembre 1330.

Episcopo Parisiensi et inquisitori Franciae ut Conradum, ordinis fratrum Minorum de provincia Alamaniae, sententialiter de haeresi condempnatum, signis verae correctionis et poenitentiae praeviis, suo ordini assignent. (Reg. 116, fol. 4 (32) v°, c. 17 ; — Vidal, *Bullaire de l'inquisition française*, p. 156, n. 104).

« .. *episcopo Parisiensi et inquisitori heretice pravitatis in regno Francie auctoritate apostolica deputato.* Pridem intelleximus quod vos contra Conradum de provincia Alamannie ordinis fratrum Minorum, qui diabolico exagitatus spiritu in diversas presertim dampnatas per constitutiones nostras hereses inciderat, in eis diutius pertinaciter persistendo secundum sanxiones canonicas et privilegia officio inquisitionis heretice pravitatis concessa exigente justicia proinde procedentes, eundem Conradum tandem coram vobis hereses supradictas confessum ad perpetuum carcerem ut ibidem commissa defleret et ea ulterius non committeret sententialiter condempnastis, certis sibi penitentiis aliis impositis nobisque ac nostris in officio predicto successoribus commutandi seu mitigandi penitentias sive penas hujusmodi vel ipsum ab eis absolvendi penitus nobis nichilominus potestate retenta. Nos autem, Illius cujus vices in terris licet insufficientibus meritis gerimus cuique proprium est misereri semper et parcere quantum possumus inherendo vestigiis, volentes agere in hac parte misericorditer cum eodem discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus si dictus Conradus signa vere correctionis et penitentie manifeste pretenderit et pretendat, ipsum suo assignetis ordini, prius tamen ei penitentia de qua discretioni vestre videbitur imposita et injuncta, inde facientes instrumentum confici publicum presentium seriem continens illud nobis postmodum fideliter transmissuri. Quod si te, fili inquisitor, abesse forsan contingeret, volumus, frater episcope, quod tu premissa solus exequi valeas et complere. Datum VIIII kalendas decembris, anno quinto decimo. »

4349 23 novembre 1330.

Regi Franciae de promotione Petri, episcopi Eduensis, scribit favorabiliter. (Reg. 116, fol. 25 (53) v°, c. 107).

« *Regi Francie.* Sublimitatis regie litteras per quas venerabilem fratrem nostrum P. episcopum Eduensem super promotione majori velut meritum nobis benivolentia regia commendavit solita benignitate recepimus et earum intelleximus seriem diligenter. Sane, fili carissime, quia preces in hac parte regie velut de caritatis prodeuntes radice Deo grate ut credimus nobisque admodum sunt accepte, ipsas exaudire favorabiliter loco et tempore proponimus oportunis. Datum VIIII kalendas decembris, anno quinto decimo. »

In e. m. Johanne, regine Francie.

4350 23 novembre 1330.

Regi Franciae ut ad pacem inter Oddonem ducem Burgundiae et Robertum de Atrebato, comitem Bellimontis, habendam partes suas efficaciter interponat. (Reg. 116, fol. 24 (52), c. 99).

« *Regi Francie.* Etsi ad omnium corda in pacis unanimitate servanda nostra suspiret intentio, principes tamen eo magis desideramus esse concordes quo inter eos periculosior est dicordia et pluribus onusta dispendiis et plures involvit. Sane quia, sicut ad nostrum infausti rumoris perduxit auditum, hostis antiqus, humane pacis emulus, fraterne invidus caritatis, divisionis amator, dissipator unionis et tranquilli status fidelium anxius persecutor, qui lites movet, jurgia suscitat, seditiones parit et dissentiones procurat, inter inclitos principes Oddonem ducem Burgundie et Robertum de Atrabato comitem Bellimontis gravis dissensionis materiam suscitavit ; et licet eandem pretendant se velle dicti principes per semitas justicie terminari, quia tamen de via litium, in qua frequenter nutriuntur et crescunt odia, ad bellicos actus fit transitus hac omissa (scriptum est enim quod lis festinans effundit sanguinem), veremur admodum ut prefati hostis versutia hoc quod absit procuret in principibus supradictis. Quocirca considerantes attente quod decet regalis apicis curam generalitatis et precipue inter principes sibi conjunctos affinitate et sanguinitate procurare

concordiam et nutrire, quodque ad laudes regnantis pertrahitur si a suis subditis pax servetur, serenitatem regiam eo ad id confidentius invitamus quo in pace subditorum tuorum te novimus delectari. Quocirca regalem excellentiam rogamus et hortamur attente quatinus discordiarum periculis et litigiorum vitatis amfractibus, ad reformandam pacem et concordiam inter principes supradictos divine retributionis obtentu diligenter intendens, ad id magnificentie regie partes sic efficaciter interponas quod operose tue solicitudinis interventu partibus tranquillitas quam affectamus desiderabiliter obveniat tibique Tributor bonorum omnium condigna tam pro operi tribuat premia in retributione justorum, nosque qui hoc gratum plurimum et acceptum habebimus ad regia complenda beneplacita promptiores reddamur. Datum IX kalendas decembris, anno quinto decimo.»

4351 23 novembre 1330.

Othonem ducem Burgundiae ad pacem cum Roberto (1) de Atrebato, comite Bellimontis, habendam hortatur. (Reg. 116, fol. 24 (52), c. 100).

« *Oddoni, duci Burgundie.* Displicenter nimis audivimus — Datum ut supra.»

In e. m. Roberto de Atrebato, comiti Bellimontis.

4352 23 novembre 1330.

Hugonem, episcopum Parisiensem, de publicatione litterarum apostolicarum super conversione Petri de Corvaria commendat, eumque hortatur ut in poenitentia Corrado, Minorum ordinis, de provincia Alamanniae, injungenda, secundum litterarum apostolicarum tenorem quas ei mittet procedat. (Reg. 116, fol. 25 (53) v°, c. 111 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 491, n. 1492).

« *Hugoni, episcopo Parisiensi.* Que circa publicationem — Datum IX kalendas decembris, anno quinto decimo.»

4353 24 novembre 1330.

Johannae reginae Franciae scribit quod ad ejus supplicationem episcopo Parisiensi et inquisitori haereticae pravitatis mandavit ut Corradum, ordinis Minorum, de haeresi sententialiter condempnatum ordini suo restituant, poenitentia salutari eidem injuncta. (Reg. 116, fol. 25 (53), c. 103 ; — Vidal, *Bullaire de l'inquisition française*, p. 156, n. 105).

« *Johanne, regine Francie.* Litteras regias super sententia lata per venerabilem fratrem nostrum Parisiensem episcopum et dilectum filium inquisitorem heretice pravitatis illorum partium contra Corradum ordinis fratrum Minorum accepimus et in eis contenta intelleximus diligenter. Profecto, filia carissima, si excellentie regie fuisset negotii exposita veritas, nec dicti fratris facinus reputares modicum nec gravem prefatam sententiam judicares. Considera, filia carissima, si tibi frater ille falso crimen imposuisset heresis et in hoc pertinaciter diebus pluribus perduraret, si tandem inductus a suis fratribus et aliis viris prudentibus veritatem agnoscens recognosceret se errasse etiamque falso crimen imposuisse predictum, si crimen istud leve aut modicum et, si per judicem extitisset condempnatus ad carcerem, si gravem sententiam hujusmodi reputares ? Sine dubio credimus quod nec crimen leve sed grave nec gravem sed multum levem sententiam hujusmodi extimares ; quare multominus predictum facinus quod ipsum fratrem convincebat hereticum non leve sed grave judicari debet merito cum inter gravissima numeretur, nec gravis sententia immo mitis admodum est censenda. Nec quod de antipapa proponitur juvat istum. Antipapa quidem non captus sed liber errorem suum recognovit et per suas litteras a nobis humiliter veniam postulavit, offerens se paratum per loca omnia de quibus nobis videretur expediens confiteri sua scelera et que contra nos fecerat vel dixerat revocare. Iste autem econtra spontaneus se nostris constitutionibus opposuit, asserens catholica que dicte constitutiones judicabant heretica et econtra, et captus propterea in heresi hujusmodi multo tempore pertinaciter perduravit. Sane, filia dilectissima, quia Illius cujus in terris licet indigni vices gerimus quantum Ipse nobis clementer tribuit imitantes exemplum, mortem ipsius Corradi nolumus sed ut vere convertatur et vivat, ecce quod pro Dei honore regieque interventionis obtentu dictis episcopo et inquisitori per nostras damus litteras in mandatis ut dictum Corradum si signa vera in eo penitentie per [ci]piant a carcere liberent suoque ordini illum

(1) Index : *Raymundo.*

restituant, eidem imposita penitentia de qua ipsis visum fuerit expedire. Datum VIII kalendas decembris, anno quinto decimo. »

4354 24 novembre 1330.

Roberto de Atrebato ut pacem faciat et regis animum contentet. (Reg. 116, fol. 25 (53), c. 104).

« *Roberto de Atrebato, comiti Bellimontis.* Utinam quod circa discessum a domo regia est per te, fili, minus provide attemptatum sic sine more dispendio cures reformare regiumque animum contentare quod hostis concordie et discordie seminator nil rancoris aut odii in regia vel tua mente valeat seminare. Nosti quidem quantum honoris et favoris tibi ex singulari benivolentia regia accrescebat quantumque indignatio regia si, quod absit, eam incurreris tuo statui derogaret. Intende igitur, fili, sedule ut quod factum absque rationis judicio ordinate rationis judicio ad statum debitum revocetur. Scripsissemus enim antea, sed fuit vox quod plene reconsiliatio erat facta. Datum VIII kalendas decembris, anno quinto decimo. »

4355 24 novembre 1330.

Regi Franciae ne contra Robertum de Atrebato odium habeat. (Reg. 116, fol. 25 (53), c. 105).

« *Regi Francie.* Decet, fili carissime, magnificentiam regiam sedule intendere ut gesta tua tuo nomini conveniant dignitatis ; rex quidem diceris, rex autem dicitur a regendo ; si ergo vis esse quod diceris, rege te primum ; tunc autem te reges laudabiliter si nulla in te dominata fuerit passio que non ratione regatur. Sane circa aliorum regimen, decet te mansuetudine uti potius quam rigore, et errantes benigne ab erroris devio revocare ; sic quod diceris, scilicet rex, utique eris. Hoc pro tanto dicimus ut discessum dilecti filii nobilis viri Roberti de Atrabato, comitis Bellimontis, improvide factum nil in mente germinet regia odii vel rancoris, sed ipsum potius in gratia habeat pristina quod Deo gratum esse non ambigimus et dignitati regie convenire. Nosti quidem, fili carissime, quanta sit tibi consanguinitate et affinitate conjunctus. Gratia Domini Nostri Jesu Christi cor regium in hiis et aliis agendis dirigat et ab omni adversitate protegat et defendat. Datum ut supra [VIII kalendas decembris, anno quinto decimo]. »

4356 24 novembre 1330.

Petro archiepiscopo Senonensi, ut G. de Concossio, canonico Aquensi, qui nonnullas litteras apostolicas regi Franciae aliisque principibus praesentare habet, assistat. (Reg. 116, fol. 25 (53) v°, c. 106).

« *Petro, archiepiscopo Senonensi.* Cum dilectum filium — Datum ut supra [VIII kalendas decembris, anno quinto decimo]. »

4357 Avignon, 24 novembre 1330.

Petro Rocas testandi facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 188 (217), c. 938).

« *Petro Rocas, rectori parrochialis ecclesie de Vernaco, Caturcensis diocesis.* Quia presentis vite — Datum Avinione, VIII kalendas decembris, anno quinto decimo. »

4358 Avignon, 25 novembre 1330.

Consilio civitatis Massiliensis ut officiales quos Robertus Siciliae rex pro regimine civitatis mittit, benigne recipiant. (Reg. 116, fol. 182 (211), c. 883).

« *Consilio civitatis Massilianensis* (sic). Cum gentes carissimi — Datum Avinione, VII kalendas decembris, anno quinto decimo. »

4359 Avignon, 26 novembre 1330.

Eduardo comiti Barensi litteras ejus recepisse scribit eique de oblatione subsidii regratiatur. (Reg. 116, fol. 27 (55), c. 124 ; — Sauerland, *Quellen zur lothringischen Geschichte*, t. I, p. 292, n. 637).

« *Eduardo, comiti Barensi.* Oblationem quam per — Datum Avinione, VI kalendas decembris, anno quinto decimo. »

4360 26 novembre 1330.

Arnaldo de Bonevilla, ut Bertrandum, Raymundi Bernardi de Miromonte, Caturcensis diocesis, filium, cui castrum de Miromonte, Petragoricensis diocesis, promiserat, contentare studeat. (Reg. 116, fol. 26 (54) v°, c. 120).

« *Arnaldo de Bonevilla, canonico ecclesie Sancti Frontonis Petragoricensis.* Pro parte dilecti — Datum VI kalendas decembris, anno quinto decimo. »

4361 28 novembre 1330.

Regi Franciae Symonem de Preseyaco ad regalem curiam accedentem commendat. (Reg. 116, fol. 26 (54) v°, c. 117).

« *Regi Francie.* Dilectum filium nobilem — Datum IIII kalendas decembris, anno quinto decimo. »

4362 28 novembre 1330.

Arcambaldo comiti Petragoricensi, ut dotem Agnetis, germanae suae, principissae Achayae, persolvat. (Reg. 116, fol. 26 (54) v°, c. 118).

« *Arcambaldo, comiti Petragoricensi.* Suas nuper nobis carissimi in Christo filii nostri R. rex et Sancia regina Sicilie illustres, necnon dilectus filius nobilis vir Johannes princeps et dilecta filia nobilis mulier Agnes uxor sua, germana tua, principissa Achaye consocias litteras destinarunt continentes qualiter pro principis et principisse matrimonio sustentando ac devota vita jam trium ex ipsis extantium actore Domino filiorum, et prosecutionibus denique bellicis quas regni partes et dictus principatus exposcunt, graviora dicti principi quam sue sufferant facultates incumbunt onera expensarum. Adjecto suppliciter ut cum tu, fili, pro dotalicio dicte germane tue per te in certis jam elapsis terminis exolvendo et sub diversis obligationibus non servatis adhuc viginti septem millia florenorum auri dicto principi solvere tenearis, quod sibi satisfacias de conventis interponeremus consideratione premissa benignius partes nostras. Quia igitur justum est satisfieri dicto principi de premissis neque decet nobile genus tuum quod, sicut plerumque contingit, defectus solutionis hujusmodi maxime inter conjugales affectus scandalum pariat, vel dicta nobilis saltem indotata quodammodo magisque facta onerosa per consequens ante viri oculos erubescat, rogamus nobilitatem tuam et hortamur attente paterno tibi consilio suadentes ut, prenarratis causis diligenter attentis, sic eidem principi satisfacere studeas quod nostra non credatur exhortatio negligi et prelibatus princeps possit merito contentari. Datum IIII kalendas decembris, anno quinto decimo. »

4363 28 novembre 1330.

Talayrando episcopo Autisiodorensi ut eundem Archambaldum ad praemissa inducat. (Reg. 116, fol. 26 (54) v°, c. 119).

« *Talayrando, episcopo Autisiodorensi.* Suas etc — Datum ut supra [IIII kalendas decembris, anno quinto decimo]. »

4364 Avignon, 1er décembre 1330.

Bertrando episcopo Caturcensi ut Guilhalmono Johannis scolari Caturcensi, nato Raymundi Johannis de Caturco, tonsuram clericalem conferat, quamvis septimum aetatis suae annum nondum compleverit. (Reg. 116, fol. 5 (33), c. 18).

« *Bertrando, episcopo Caturcensi.* Cum dilectus filius — Datum Avinione, kalendis decembris, anno quinto decimo. »

4365 1er décembre 1330.

Cancellario regis Franciae negocia quae Johanna domina de Seveyraco occasione baroniae de Seveyraco in curia regia expedire habet, iterum commendat. (Reg. 116, fol. 25 (53) v°, c. 109).

« *Eidem cancellario.* Negocia que dilecta — Datum kalendis decembris, anno quinto decimo. »

In e. m. electo Abrincensi.

4366 1er décembre 1330.

Petro abbati Cluniacensi ejusdem Johannae negocia commendat. (Reg. 116, fol. 25 (53) vo, c. 110).

« *Petro, abbati Cluniacensi.* Negocia etc.. — Datum ut supra. »

4367 Avignon, 6 décembre 1330.

Mimatensem ecclesiam per obitum Guillelmi episcopi in partibus transmarinis defuncti vacantem reservat. (Reg. 116, fol. 150 (177), c. 782).

« *Ad futuram rei memoriam.* Fidedignorum relatione percepto — Datum Avinione, VIII idus decembris, anno quinto decimo »

4368 Avignon, 6 décembre 1330.

Bona mobilia ejusdem episcopi reservat. (Reg. 116, fol. 150 (177), c. 783).

« *Ad futuram rei memoriam.* Nuper fidedigna relatione — Datum Avinione, VIII idus decembris, anno quinto decimo. »

4369 Avignon, 6 décembre 1330.

Raymundo de La Perayreda indulgentiam in articulo mortis in e. m. ac Bernardo Audeberti concedit. (Reg. 116, fol. 188 (217) vo, p. c. 943).

« In e. m. (1) Raymundo de La Perayreda, magistro hostiario nostro. Datum Avinione, VIII idus decembris, anno quinto decimo. »

In e. m. Lambarde, uxori dicti Raymundi.

In e. m. Raymundo de Belloforti, priori prioratus de Camporotundo, ordinis sancti Benedicti, Caturcensis diocesis. Datum ut supra.

4370 Avignon, 10 décembre 1330.

Ecclesiam Sancti Remigii Avinionensis diocesis in collegiam erigit eique redditus assignat. (Reg. 116, fol. 150 (177) vo, c. 787; Reg. 98, fol. 3, c. 6; Reg. Avin. 37, fol. 136, c. 6; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54776).

(1) Cf. n. 4342.

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Ad ea curis excitamur continuis et libenter dirigimus studia mentis nostre per que ad Dei laudem et gloriam cultus augeatur ubique divinus et animarum salus per nostrum ministerium procuretur. Circa que tanto intenciori voto efficacem adhibere curamus operam, quanto ad id ex cura suscepti regiminis sentimus amplius nos astrictos. Sane dudum post promotionem nostram ad apostolice dignitatis apicem attendentes quod mensa episcopalis ecclesie Avinionensis, quam in sponsam habuimus in minoribus constituti, adeo in suis proventibus erat tenuis et exilis quod presul ipsius ecclesie qui esset pro tempore non poterat exinde juxta status sui decenciam congrue sustentari, prioratus ecclesiarum Sancti Remigii et Sancti Petri Avinionensis diocesis, cum omnibus juribus et pertinentiis suis mense predicte duximus auctoritate apostolica uniendos imperpetuum ac etiam annexandos, certa in ecclesia Sancti Remigii predicta, que parrochialis erat sicut adhuc existere dinoscitur, vicario perpetuo qui curam animarum ibidem gereret de proventibus ejusdem ecclesie portione retenta. Cumque mensa predicta per nostre solicitudinis studium de bonis et rebus aliis adeo effecta postmodum fuerit opulenta quod pro divino cultu augendo in castro Sancti Remigii ejusdem diocesis, ubi dicti prioratus consistunt, loco utique populoso certa pars prioratuum eorundem ac ipsorum reddituum et proventuum potest detrahi absque enormi mense lesione predicte, nos ex premissis et aliis causis rationabilibus que ad hoc nostrum animum induxerunt ecclesiam Sancti Remigii predictam ad hoc aptam et habilem in collegiatam capellanorum auctoritate apostolica duximus tenore presencium erigendam, et ut ibidem de cetero cultus predictus augeatur et agatur solenniter per ministros ydoneos et Ei cui nonquam sine remuneratione servitur devote ac jugiter famuletur, duodecim capellanorum in eadem ecclesia collegium facientium, necnon et quatuor clericorum numerum auctoritate predicta constituimus ac etiam ordinamus quorum quidem capellanorum unus prior qui preerit aliis ac primum locum et primam vocem habebit, alii vero undecim capellani qui secundum suarum provisionum ordinem loca et voces obtinebunt in eodem collegio nuncupentur; clerici vero in diaconatus et subdiaconatus ac aliis minoribus officiis prout per predictum collegium ordinabitur servire jugiter seque ad ordines facere promoveri hujusmodi juxta ipsius

ordinationem collegii teneantur. Volentes et auctoritate statuentes predicta quod omnes predicti tam prior quam capellani personaliter et continue in eadem ecclesia residentes missarum sollempnia vicibus seu septimanis alternis, aliaque divina tam ipsi quam clerici predicti jugiter psallere diurna et nocturna, horis debitis et consuetis officia, et in communi vivere teneantur, omnesque capellani predicti in ecclesia Sancti Remigii predicta ejusque parrochia curam habeant animarum quam duo ipsorum singulis annis per priorem et collegium eligendi gerant et exerceant diligenter, nec sic electi ad onus hujus cure illud respiciant sed pocius devote suscipiant, seque cum effectu disponant ad illud solerter et fideliter exercendum, alias medietate distributionum suarum illo anno penitus sint privati aliis duobus qui eligentur ad hoc per dictum collegium et curam ipsam sponte suscipient applicanda. Ceterum volumus et auctoritate ordinamus predicta quod predictorum prioris et capellanorum institutio ad episcopum Avinionensem qui erit pro tempore pertineat, quodque ipsi qui per episcopum predictum aut alium vice sua, seu per quemcunque superiorem instituti[erint], nisi tunc fuerint in sacerdotio constituti, se ad illud infra annum faciant promoveri. Alioquin ex tunc alio tamen impedimento cessante legitime prebendis ipso jure censeantur privati et ad restitutionem eorum que inde medio tempore receperunt dicte faciendam ecclesie sint astricti. Rursus predictorum clericorum electionem et institutionem quociens oportunum fuerit, ad predictum collegium volumus pertinere. Et quia dignum est quod hiis (1) stipendiis sustententur ecclesie qui ejusdem officiis ascribentur, cum a mercede repelli non debeant qui ad onera eliguntur, presertim quia in humanis spiritualia sine temporalibus diu superesse non possunt, nos eidem ecclesie ac collegiis pro dote ac peculio damus, assignamus, concedimus, annectimus et incorporamus bona omnia et singula que secuntur, videlicet : hospicium prioratus ecclesie predicte Sancti Remigii contiguum dicte ecclesie cum circuitu suo, confrontatum cum cimiterio parvo ecclesie ac cum hospicio heredum Hugonis Machareni jam defuncti et cum carreria castri Sancti Remigii et Barriis ; necnon et quandam domum que olim fuit Thome Arrioti, presbiteri quondam dicti castri, confrontatam cum carreria que est juxta ecclesiam predictam et cum hospicio heredum dicti Thome Arrioti, et cum hospicio Raymundi Porcelli ; item et quandam curtem seu solum eidem domui contiguum confrontatum cum barrio dicti castri quod erat dicti prioratus Sancti Remigii ; item quandam palheriam cum domibus, circuitu, viridario, area et pescario contiguis, et molendinum ad ventum que erant de prioratu ecclesie Sancti Remigii predicte, que quidem palheria cum circuitu suo et viridario confrontatur cum cimiterio magno dicte ecclesie Sancti Remigii, ac cum domo heredum quondam dicti Thome Arrioti et cum itinere publico et cum pasquerio Bertrandi Molinerii et Guillelmi Caponis, et area cum pasquerio et molendinum confrontantur cum via publica et cum area Johannis Porcellini et cum pasquerio Bertrandi Molinerii ; item ecclesiam seu vicariam Sancti Martini de Sancto Remigio que parrochialis est dicti castri, cum omnibus juribus, pertinentiis, oblationibus et obventionibus infra dictam ecclesiam et ejus cimiteria provenientibus quoquomodo ; item prioratum ecclesie Sancti Petri de dicto castro cum omnibus juribus et pertinentiis suis ubicumque tam in castro Sancti Remigii quam extra et in quibuscunque bonis seu rebus consistant, exceptis hiis que secuntur, videlicet : capella Sancti Petri et oblationibus que obvenient infra illam ac domibus, hospiciis et furnis ejusdem prioratus Sancti Petri et domo seu palheria sita extra barria dicti castri confrontata cum palheria Rostagni Dayragua et cum carreria publica, necnon et area ac terra seu pasquerio eidem contiguo. Item damus, concedimus, annectimus et incorporamus ecclesie ac collegio supradictis omnes tasquas terrarum et vinearum ecclesie seu prioratus Sancti Remigii ubicumque sint in territorio Sancti Remigii vel extra, ac omnes terras proprias quas habet dictus prioratus Sancti Remigii in territoriis Sancti Remigii et de Romanino in tenementis de Vinosis et de Bienda, et nemus de Garrigia rotunda cum hermaciis et terris eidem nemori contiguis, necnon et omnes terras, vineas et alias possessiones in quibus dictus prioratus recipit medias vel tercias aut alias partes seu quotas de fructibus excrescentibus in ipsis, ubicunque ipsas habeat dictus prioratus in territorio Sancti Remigii vel extra ; item et pratum magnum de juxta molendinum aque Sancti Remigii usque ad vallatum quod est in eodem prato a parte molendini confrontatum cum prato Stephani Roberti et cum

(1) Reg. : *hiis qui.*

prato Hugonis Boquerii necnon et faishas seu prata de juxta piscarium molendinum (*sic*), et terram contiguam itineri molendini confrontatam cum terra Bertrandi Bocamaura et cum via publica; et quamdam terram que confrontatur cum alia predicta terra, itinere intermedio, et cum itinere publico ac cum terra Rostagni Dayroga; item illa decimaria quam percipit prioratus predictus Sancti Remigii in territorio de Malhania infra parrochiam Sancti Remigii et decimaria de Villasola que est in territorio de Romanino, cum omnibus juribus, deveriis et pertinentiis suis sive sint tretzena vel laudimia seu alia jura quecumque; item parrochialem ecclesiam de Ayragas (1) predicte Avinionensis diocesis quam eidem ecclesie collegiate Sancti Remigii et collegio predictis cum omnibus juribus et pertinentiis suis ubicumque consistentibus habendam, tenendam et perpetuo possidendam per collegium supradictum auctoritate apostolica concedimus, annectimus et unimus, ita quod collegium predictum per se vel procuratorem seu procuratores ipsius ecclesie de Ayragas ejusque jurium et pertinentiarum, rectore ipsius qui nunc est cedente vel decedente, corporalem possessionem auctoritate nostra ingredi, recipere ac retinere libere valeant, cujusvis assensu minime requisito, non obstantibus quibuscunque litteris dicte Sedis Apostolice super quorumcumque provisionibus impetratis seu etiam impetrandis aut reservationibus vel prohibitionibus seu processibus quibuscumque ipsarum auctoritate factis aut etiam faciendis quas ad dictam ecclesiam de Ayraga volumus non extendi, sed nullum per hoc quoad assecutionem aliarum ecclesiarum seu beneficiorum ecclesiasticorum prejudicium generari, seu si aliquibus communiter vel divisim a dicta sit Sede indultum quod de ecclesiis vel beneficiis ecclesiasticis quibuscunque ad eorum collationem vel presentationem seu quamcunque aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri, vel quevis dispositio fieri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim ex nunc decernimus irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctorictate, scienter vel ignoranter, contigerit attemptari. Volumus autem quod statim cum dicta ecclesia de Ayragas, cedente vel decedente ipsius rectore qui nunc est, ad manus collegii supradicti pervenerit, vicario perpetuo in eadem ecclesia per episcopum Avinionensem qui erit pro tempore instituendo, qui ejusdem ecclesie ac parrochianorum ipsius curam animarum habeat, quinquaginta libre dicte monete turonensis, quas pro perpetua vicaria ipsius ecclesie taxamus tenore presencium, de bonis et proventibus ejusdem ecclesie assignentur, de quibus quidem quinquaginta libris sibi taxatis et ut premittitur assignandis omnia ejusdem ecclesie onera ordinaria et extraordinaria teneatur et debeat supportare; que quidem omnia per nos collegio supradicto concessa sic absolute et irrevocabiliter pro valore quadringentarum nonaginta octo librarum et decem solidorum parvorum turonensium volumus et intelligimus esse data, quod etsi hujusmodi bona redditus et proventus ac ecclesia de Ayraga supradictam summam excederent, aut e contra, non possit dictum collegium plus ratione dotis petere, nec de illis quicquam repeti vel exigi valeat ab eodem. De quibus bonis et proventibus sic donatis prefatis priori et capellanis ac clericis stipendia sua exolvi et exhiberi volumus in hunc modum, videlicet quod priori triginta et singulis aliis capellanis quindecim et singulis clericis predictis septem libre cum dimidia dicte monete pro grosso annis singulis exolvantur; pro distributionibus vero cotidianis predictus prior duos solidos et singuli capellani duodecim ac singuli clerici sex denarios dicte monete singulis diebus recipiant, quos illi qui horis diurnis et nocturnis intererint modo infra scripto lucrentur, scilicet terciam partem hujusmodi distributionum in matutinis et aliam terciam in missa, residuam vero terciam partem in vesperis, et absentibus nisi propter infirmitatem vel propter negocia ecclesie destinatis seu deputatis ab eodem collegio subtrahantur. Preterea sicut de distributionibus lucrandis vel amittendis premittimus, sic etiam de grosso volumus et ordinamus quod pro tempore quo fuerint presentes vel absentes nisi pro causis expressis superius computatis diebus singulis lucrentur et perdant. Quod autem supererit de grosso vel de distributionibus prioris et aliorum capellanorum ac clericorum absencium per medium dividatur, ita quod media pars accrescat commodo presencium et alia medietas thesauro ejusdem ecclesie pro libris et ornamentis et aliis necessitatibus et utilitatibus ecclesie acquiratur. Et ut redditus et

(1) Reg. : *d'Ayragas.*

proventus ac bona hujusmodi per nos eidem collegio et clericis assignata et donata ministrentur utiliter et fideliter, sicut premittitur, dispensentur, volumus quod collegium predictum unum vel duos ex dictis capellanis singulis annis deputet et instituat qui premissorum diligenter et fideliter curam gerant, inde collegio predicto anno completo rationem legitimam reddituri. Premissa autem omnia et singula sic firma et stabilia perpetuis volumus temporibus permanere quod pretextu cujusvis unionis, annexationis seu applicationis per nos facte de dictis prioratibus eorumque bonis et juribus ecclesie Avinionensis predicte seu episcopali mense ipsius aut quibusvis causis seu occasionibus aliis impugnari vel annullari aliquo tempore nullatenus valeant vel infringi. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane quicquid in contrarium a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter quovismodo contigerit attemptari. Rursus prefatos priorem et capellanos exhortamur in Domino eisque districtius injungimus et mandamus ut honeste viventes ac intra et extra ecclesiam honestam et laudabilem conversationem habentes, per ordinationes suas salubres et utiles studeant efficaciter providere quod sic solenniter sicque jugiter divina ibidem officia celebrentur et animarum cura quam neglectui dari nolumus exerceatur quod proinde divina captata gratia et fidelium devotione adaucta, circa divini cultus augmentum experiamur completa in ipsa ecclesia vota nostra. Preterea volumus et eciam ordinamus quod predictum collegium de bonis predictis sibi per nos donatis ut premittitur superius et concessis ut superius est expressum onera que perpetuo vicario ejusdem ecclesie incumbebant et ultra hoc decimam pro parte vel quota bonorum et proventuum hujusmodi donatorum quando eam per Sedem Apostolicam imponi contigerit supportare ac solvere teneantur, quodque prefati prior et capellani ac clerici simul in eisdem domibus sibi ut premittitur donatis et assignatis morentur et dormiant et vivant in unione caritatis et amore fraterne dilectionis totaliter in communi, sic quod per suas conversationes honestas et placidas ad alios salutis exempla transmittere ac Deo lucrifacere animas studeant doctrinis pariter et exemplis. Nulli ergo omnino etc. Datum Avinione, IIII idus decembris, anno quinto decimo. »

4371 Avignon, 10 décembre 1330.

Redditus Sanctorum Ilarii, Verani et Sulpicii ecclesiis prope castrum Novarum, Avinionensis diocesis assignantur pro sustentatione vicarii perpetui servituri in ecclesia parrochiali Sancti Ilarii. (Reg. 116, fol. 152 (179), c. 788 ; Reg. 98, f. 8 v°, c. 22 ; Reg. Avin. 37, f. 143, c. 23).

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Dudum ad divini cultus augmentum animàrumque salutem solicitis studiis intendentes, ex certis et rationabilibus causis que ad hoc nostrum animum induxerunt Sanctorum Ylarii, Verani et Sulpicii ecclesias prope castrum Novarum Avinionensis diocesis, que rurales tunc temporis existebant, cum omnibus juribus et pertinentiis suis episcopali mense Avinionensis ecclesie perpetuo duximus uniendas, et ut populus qui prope dictam ecclesiam Sancti Ilarii ad inhabitandum in loco videlicet de Bastida ad dictam Avinionensem ecclesiam pertinente se transtulerat regeretur salubrius et audire divina officia et ecclesiastica recipere sacramenta valeret, ac eidem Sancti Ilarii et aliis Sanctorum Verani et Sulpicii ecclesiis deserviretur decencius in divinis, auctoritate apostolica statuendum duximus ac eciam ordinandum quod extunc dicta ecclesia Sancti Ilarii parrochialis existeret, suamque haberet parrochiam limitatam ac ibi perpetuus vicarius per episcopum Avinionensem qui esset pro tempore instituendus, qui tam eidem parrochiali Sancti Ilarii quam aliis Sanctorum Verani et Sulpicii ecclesiis deserviret et ejusdem Sancti Ilarii ecclesie curam gereret perpetuis temporibus, haberetur, certam portionem dicto vicario videlicet duodecim annone et quinque ordei saumatos annis singulis, et duas secheratas prati, necnon terras ecclesie predicte Sancti Ilarii ab omni prestatione taxarum et decime liberas et immunes, ac carnalagii, ortaliciorum, lini et canapis infra parrochiam dicte ecclesie excrescencium seu proveniencium decimas totumque manuale scilicet vigilias, oblationes et legata et insuper triginta saumatas vini annuatim infra sex annos ex tunc proximo subsequentes, infra quos in terris predictis plantasse vineam potuisset predictus vicarius, nichilominus assignantes, de quibus hospitalitatem servare debitam, synodaticum et cathedraticum ac procurationes suis metropolitano et ordinario, necnon partem decime que pro ecclesiis ipsis consuevit exolvi pro rata pensionis predicte solvere, ac tam sibi ipsi quam aliis ejusdem ecclesie servitoribus providere

de necessariis teneretur; et subsequenter ejusdem ecclesie fecimus parrochiam limitari sicut in litteris nostris et instrumentis super predictis confectis plenius continetur. Sane cum sicut accepimus de bonis et proventibus hujusmodi assignatis, predictus vicarius ecclesiarum ipsarum qui est pro tempore non posset congruam sustentationem habere, nec onera eidem juxta ordinationem nostram predictam incumbentia commode supportare, nos volentes providere sibi super hoc et vicariam hujusmodi augmentare ultra ea que pro dicta vicaria per nos assignata fuerunt alias sicut continetur superius et concessa, terras infrascriptas ad predictas Sanctorum Sulpicii et Verani ecclesias pertinentes eidem vicarie ac vicario qui nunc est ibidem ejusque successoribus concedimus auctoritate predicta apostolica, donamus, annectimus perpetuo et unimus, quas ab omni prestatione taxarum et decimarum esse liberas imperpetuum volumus et immunes. Preterea ne super dictis duodecim annone et quinque ordei saumatis dicto vicario inter cetera ut superius exprimitur assignatis dictique bladi solutione possit imposterum dubitationis seu altercationis materia suboriri, nostre intentionis et voluntatis extitisse et existere declaramus quod per episcopum Avinionensem qui erit pro tempore vel ministros suos de area seu orreo bastide predicte prefati episcopi dictum bladum predicto vicario ejusque successoribus annis singulis tempore messium absque contradictione et difficultate qualibet exolvatur. Terre vero predicte nunc per nos assignate ut prefertur sunt hec, videlicet quedam pecia terre que capit in semine circa quindecim saumatas bladi ubi est iter quo itur versus locum de Ayraga, confrontata a parte orientis cum vinea Guillelmi Raynoardi et cum terra Planteriorum, item a meridie cum terra Guillelmi Raynerii et Bernardi Jordani, ab occidente vero cum terris et vineis Isnardi Ademarii et fratris sui et Poncii Olivarii, et a septentrione cum terris et vineis Andree Robier et Raynaudi Bausset et heredum Andree Aymi et Guillelmi Chabaudi, que terra ad dictam Sancti Verani ecclesiam noscitur pertinere. Terre vero ad dictam Sancti Sulpicii ecclesiam pertinentes unite vicarie et vicario [predictis] sunt hec, videlicet una pecia terra capiens in semine circa unam saumatam bladi confrontata cum terra Guillelmi Carolerii et cum dicta ecclesia Santi Sulpicii et cum itinere publico. Item alia petia terre capiens in semine circa quinque sextaria bladi confrontata cum terra Rostagni Alfonti et cum itinere supradicto. Quas quidem concessionem, donationem, annexionem et unionem robur firmitatis incommutabilis volumus et decernimus perpetuis temporibus obtinere, predicto vicario et quibusvis aliis nichilominus districtius inhibentes ne bona predicta vel eorum aliqua vendere, donare, alienare aut alii concedere vel in alium seu alios transferre quoquomodo presumant. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane quicquid contra hujusmodi nostre inhibitionis tenorem contigerit attemptari. Nulli ergo etc. Datum IIII idus decembris, anno quinto decimo. »

4372 11 décembre 1330.

Rogero episcopo Lemovicensi de caseis et allecibus regratiatur. (Reg. 116, fol. 26 (54) v°, c. 116).

« *Rogero, episcopo Lemovicensi.* Caseos et allecia — Datum III idus decembris, anno quinto decimo. »

4373 12 décembre 1330.

Regi Siciliae ut praelatis et inquisitoribus regni sui contra fraticellos assistat. (Reg. 116, fol. 91 (119), c. 427).

« .. *regi Sicilie.* Ad nostrum fili — Datum II idus decembris, anno quinto decimo. »

4374 12 décembre 1330.

Reginae Siciliae ut Robertum regem, virum suum, ad praemissa inducat. (Reg. 116, fol. 91 (119) v°, c. 428).

« .. *regine Sicilie.* Perducto noviter ad — Datum ut supra. »

4375 Avignon, 13 décembre 1330.

Petro Johannis prioratum ecclesiae collegiatae Sancti Remigii nuper erectae proprio motu confert. (Reg. 116, fol. 177 (206), c. 856 ; Reg. 98, fol. 4 v°, c. 8 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54777).

« *Petro Johannis, priori collegiate ecclesie Sancti Remigii, Avinionensis diocesis.* Meritis tue probitatis — Datum Avinione, idibus decembris, anno quinto decimo. »

4376 Avignon, 13 décembre 1330.

Marcellum Fabri unum de undecim ejusdem ecclesiae collegiatae Sancti Remigii presbyteris creat. (Reg. 116, fol. 177 (206), c. 857; Reg. 98, fol. 5, c. 9; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54778 à 54785).

« *Marcello Fabri, capellano perpetuo ecclesie collegiate Sancti Remigii, Avinionensis diocesis.* Meritis tue probitatis — Datum ut supra. »

In e. m. Petro Guidonis.
In e. m. Guillelmo Isarni.
In e. m. Bertrando Beraldi.
In e. m. Pontio Scatilli.
In e. m. Petro Arrioti.
In e. m. Raymundo Aycardi.
In e. m. Thibaudo Grossi.

4377 Avignon, 14 décembre 1330.

Rogerio episcopo Lemovicensi ut commissionem sibi factam de repetendo bona et debita ecclesiae de capella Talhafer, ejus diocesis, a quondam episcopo Penestrino fundatae, absque mora exequatur. (Reg. 116, fol. 5 (33), c. 19).

« *Rogerio, episcopo Lemovicensi.* Dudum de statu — Datum Avinione, XIX kalendas januarii, anno quinto decimo. »

4378 15 décembre 1330.

Regi Franciae quod antequam litterae regiae pro Johanne de Saffris praesentatae fuissent, de decanatu Lingonensi jam disposuerat. (Reg. 116, fol. 27 (55), c. 121).

« .. *regi Francie.* Quia antequam regie — Datum XVIII kalendas januarii, anno quinto decimo. »

In e. m. Oddoni, duci Burgundie, verbis competentibus mutatis.

4379 S.d. [15 décembre 1330]. (1)

Guillelmum, decanum Turonensem, Noviomensi ecclesiae in episcopum praeficit. (Reg. 116, fol. 190 (219), c. 965).

« *Guillelmo, electo Noviomensi.* Noviomensi ecclesia ex eo nuper pastoris regimine destituta quod nos venerabilem fratrem nostrum Symonem olim episcopum Noviomensem per nos a vinculo quo eidem astrictus tenebatur ecclesie absolutum ad ecclesiam Bituricensem tunc vacantem de fratrum nostrorum consilio duximus transferendum, nos predicte Noviomensi ecclesie volentes de pastore providere ydoneo et ad te tunc decanum ecclesie Turonensis dirigentes intuitum mentis nostre, de persona tua memorate Noviomensi ecclesie de fratrum eorundem consilio duximus providendum, te illi preficientes in episcopum et pastorem. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus impositum tibi onus hujusmodi suscipiens reverenter, ad gubernationem prelibate ecclesie Noviomensis providam sic mentis tue studia dirigas et disponas quod divina tibi assistente gratia felicis sub tuo fructuoso regimine se suscepisse in spiritualibus et temporalibus gaudeat incrementa tuque preter celestis mercedem premii nostram et Apostolice Sedis gratiam uberius assequaris. »

4380 S.d. [15 décembre 1330] (2).

Johannem archidiaconum de Laceyo Mimatensi ecclesiae in episcopum praeficit. (Reg. 116, fol. 190 (219), c. 966).

« *Johanni, electo Mimatensi.* Vacante nuper ecclesia Mimatensi per obitum bone memorie Guillelmi episcopi Mimatensis, nos eidem ecclesie, cujus provisionem nobis hac vice certis causis rationabilibus ad hoc nostrum animum inducentibus reservavimus, volentes de pastore ydoneo providere et ad te tunc archidiaconum de Laceyo in ecclesia Lingonensi dirigentes intuitum mentis nostre, de persona tua memorate Mimatensi ecclesie etc. ut supra. »

(1) Nous avons donné à cet acte et au suivant la date du c. 967 (n. 4381), 15 décembre 1330.
(2) Cf. ci-dessus, n. 4379.

4381 Avignon, 15 décembre 1330.

Johanni de ecclesia Abrincensi ad Morinensem ecclesiam per obitum Ingeranni episcopi vacantem dispositionique apostolicae reservatam translato mandat ut ad dictam Morinensem ecclesiam gubernandam accedat. (Reg. 116, fol. 190 (219) v°, c. 967 ; — Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 469, n. 2925).

« *Johanni, electo Morinensi.* Nuper ecclesia Morinensi — Datum Avinione, XVIII kalendas januarii, anno quinto decimo. »

4382 S.d. [15 décembre 1330] (1).

Petrum archiepiscopum olim Senonensem Rothomagensi ecclesiae in archiepiscopum praeficit. (Reg. 116, fol. 190 (219) v°, c. 968).

« *Petro, archiepiscopo olim Senonensi in archiepiscopum Rothomagensem electo.* Nuper ecclesia Rothomagensi per obitum bone memorie Guillelmi archiepiscopi Rothomagensis vacante nos eidem ecclesie de persona volentes providere ydonea, et ad te tunc archiepiscopum Senonensem dirigentes intuitum mentis nostre, te a vinculo quo Senonensi ecclesie tenebaris astrictus de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis absolvendum et de te memorate Rothomagensi ecclesie de dictorum fratrum consilio duximus providendum, te illi preficiendo in archiepiscopum et pastorem. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus ad gubernationem ejusdem ecclesie Rothomagensis providam sic tue mentis studia dirigas et disponas quod sub tuo fructuoso regimine divina tibi assistente gratia spiritualibus et temporalibus commodis amplietur tuque preter retributionis eterne mercedem nostram et Apostolice Sedis gratiam uberius assequaris. »

4383 S.d. [15 décembre 1330] (2).

Guillelmum archiepiscopum olim Bituricensem ecclesiae Senonensi in archiepiscopum praeficit. (Reg. 116, fol. 190 (219) v°, c. 969).

(1) Nous avons donné, à cet acte et au suivant la date du c. 970 (n. 4384), 15 décembre 1330.

(2) Cf. ci-dessus, n. 4382.

« *Guillelmo, archiepiscopo olim Bituricensi in archiepiscopo Senonensi electo.* Ecclesia Senonensi pro eo nuper pastoris solatio destituta quod nos venerabilem fratrem nostrum Petrum archiepiscopum olim Senonensem per nos a vinculo quo astrictus ipsi tenebatur ecclesie absolutum ad Rothomagensem ecclesiam tunc vacantem duximus de fratrum nostrorum consilio transferendum, nos prefate Senonensi ecclesie de persona volentes providere ydonea etc. ut supra, verbis competentibus mutatis. »

4384 Avignon, 15 décembre 1330.

Symoni de ecclesia Noviomensi ad ecclesiam Bituricensem vacantem per translationem Guillelmi archiepiscopi ad ecclesiam Senonensem translato, mandat ut ad dictam ecclesiam Bituricensem gubernandam accedat. (Reg. 116, fol. 190 (219) v°, c. 970).

« *Symoni episcopo olim Noviomensi in archiepiscopum Bituricensem electo.* Ex eo nuper — Datum Avinione, XVIII kalendas januarii, anno quinto decimo. »

4385 16 décembre 1330.

Regi Franciae nuntiat se ecclesiis Rothomagensi, Bituricensi, Noviomensi, Morinensi, Abrincensi et Mimatensi de ydoneis praelatis providisse. (Reg. 116, fol. 26 (54), c. 114).

« *Eidem regi* [*Francie*]. A regia memoria non credimus excidisse qualiter pridem dum apud Sedem Apostolicam super nonnullis secum familiariter conferremus, se offerente ad hoc materia regali exposuimus providentie quantum sua intererat quantaque inde commoda sequi poterant si regni sui ecclesie presertim metropolitane prelatos haberent juxta illarum exigentiam ydoneos et expertos, quantaque spiritualiter ac temporaliter poterant formidari discrimina ubi tales hujusmodi ecclesiis non presiderent persone. Hac itaque, fili carissime, consideratione inducti, intellecta vacatione Rothomagensis ecclesie una utique de potioribus dicti regni, desiderantes eidem et aliis vacaturis de talibus ut premittitur providere personis, deliberatione cum fratribus nostris habita super

hoc diligenti, venerabilem fratrem nostrum P. olim Senonensem ad eandem Rothomagensem et ad dictam Senonensem venerabilem fratrem nostrum G. olim Bituricensem archiepiscopos, ac ad ipsam Bituricensem venerabilem fratrem nostrum Noviomensem episcopum et ad Morinensem dilectum filium J. electum Abri[n]censem duximus de fratrum eorundem consilio transferendos, Noviomensi vero dilectum filium G. decanum Turonensem cancellarium regium, et Abrincensi dilectum filium J. cantorem Constantiensem nuncium regium, Mimatensi denique ecclesiis dilectum filium J. archidiaconum Lingonensem prefecimus de fratrum ipsorum consilio episcopos et pastores. Rogamus itaque regalem providentiam et hortamur attente quatinus zelum nostrum erga provisiones conditionesque ecclesiarum hujusmodi, ac etiam merita provisorum provida consideratione discernens, tam provisos ipsos quam eorum ecclesias habeat benivolentia regia commendatos, presertim cum omnes persone predicte de tuo regno originem traxerint grateque sint tue regali excellentie tuique honoris et commodi notorie fervidi zelatores. Datum XVII kalendas januarii, anno quinto decimo. »

4386 16 décembre 1330.

Reginae Franciae de eodem. (Reg. 116, fol. 26 (54), c. 115).

« *Johanne, regine Francie.* Quantum, filia carissima — Datum ut supra. »

4387 18 décembre 1330.

Archiepiscopo Narbonensi ejusque suffraganeis et inquisitori haereticae pravitatis in regno Franciae deputato Carcassonae commoranti, quod contra aliquos mortuos de haeresi condempnatos de qua dum viverent confessi non fuerint, sine speciali Sedis Apostolicae licentia non procedant. (Reg. 98, fol. 3, c. 4 et 5 ; Reg. Av. 37, fol. 136 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54786 ; J.M. Vidal, *Bullaire de l'inquisition française*, p. 157, n. 106).

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopo Narbonensi ejusque suffraganeis et dilecto filio .. inquisitori heretice pravitatis in regno Francie per Sedem Apostolicam deputato, Carcassone residenti, salutem.* Etsi officium inquisitionis — Datum Avinione, XV kalendas januarii, anno quinto decimo. »

4388 Avignon, 18 décembre 1330.

Archiepiscopo Tholosano ejusque suffraganeis et inquisitori Tholosae residenti super eodem. (Reg. 98, fol. 3, c. 55) ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54787 ; J.M. Vidal, *op. cit., ibid.*)

« *Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Tholosano ejusque suffraganeis et dilecto filio .. inquisitori heretice pravitatis in regno Francie per Sedem Apostolicam deputato, Tholose residenti, salutem.* Etsi officium inquisitionis — Datum ut supra. »

4389 21 décembre 1330.

Othoni duci Burgundiae quod antequam litterae ejus pro Hugone de Corrabuef decano ecclesiae Cabilonensis praesentatae fuissent, de ecclesia Morinensi jam disposuerat. (Reg. 116, fol. 27 (55), c. 125 ; — Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 474, n. 2946).

« *Othoni, duci Burgundie.* Quia priusquam tue — Datum XII kalendas januarii, anno quinto decimo. »

In e. m. ducisse Burgundie.

4390 22 décembre 1330.

Regi Franciae intimat P. tituli Sancti Martini in Montibus presbyterum cardinalem a gratia Sedis Apostolicae nunquam elongatum fuisse. (Reg. 116, fol. 25 (53) v°, c. 112 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 494, n. 1420).

« *Regi Francie* . Ad nostram nuper veniens presentiam dilectus filius noster P. tituli Sancti Martini in Montibus presbiter cardinalis non absque mentis angustia nobis exposuit sibi fuisse de illis partibus noviter nunciatum quod aliqui acuentes lingam detractionis in eum sublimitati regie quedam de ipso sinistra suggerere, ac ad ea palliando mendaciter adicere presumpserunt quod idem cardinalis adeo extra nostram existebat gratiam quod nec sibi loqui nec audire volebamus eundem. Sane, fili

carissime quia pium esse noscitur perhibere testimonium veritati et innocentem a detractorum morsibus liberare, magnificentiam regiam volumus non latere quod cardinalis ipse nulla fecit que sciverimus hactenus propter que a nostra esse gratia debuerit vel debeat alienus, quinimmo suis meritis exigentibus illam promeruit jugiter et meretur. Quare circumspectio regia talibus detractoribus eorumque calumpniosis detractionibus non accomodet quesumus aures suas. Datum XI kalendas januarii, anno quinto decimo.»

In e. m. Johanne, regine Francie.

4391 Avignon, 23 décembre 1330.

Hugonem de Mirabello de certis pecuniarum summis quas in Terraconensi et Caesaraugustana provinciis ac Majoricensi Elnensique diocesibus collectas Camerae assignaverat, quittat. (Reg. 116, fol. 170 (199) v°, c. 831).

«*Hugoni de Mirabello, preposito ecclesie Mimatensis, capellano nostro.* Cum infrascriptas pecuniarum — Datum Avinione, X kalendas januarii, anno quinto decimo.»

4392 24 décembre 1330.

Guigoni dalphino Viennensi ut nuntiis Azonis de Vicecomitibus, vicarii Mediolanensis, ad Sedem Apostolicam accedentibus, de securo conductu provideat. (Reg. 116, fol. 182 (211) v°, c. 886).

«*Guigoni, dalfino Viennensi.* Cum certi ambaxiatores — Datum VIIII kalendas januarii, anno quinto decimo.»

4393 24 décembre 1330.

Imberto Dalphini, praedicti Guigonis germano, ut pro praemissis partes suas interponat. (Reg. 116, fol. 182 (211) v°, c. 887).

«*Nobili viro Imberto Dalphini.* Cum certi ambaxiatores — Datum ut supra.»

In e. m. Isabelli, dalphine Viennensi.

In e. m. locumtenenti dalphini Viennensis.

4394 Avignon, 28 décembre 1330.

Raymundo de Caraygue gratiam prius factam de fructibus percipiendis in absentia et de non suscipiendo majores ordines usque ad unum annum prorogat. (Reg. 116, fol. 14 (42), c. 57; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 52101).

«*Raymundo de Caraygue, rectori parrochialis ecclesie de Bisano, Narbonensis diocesis, familiari nostro.* Tue probitatis meritis — Datum Avinione, V kalendas januarii, anno quinto decimo.»

4395 28 décembre 1330.

Regi Franciae nuntiat P., tituli Sancti Martini in Montibus presbyterum cardinalem nunquam a gratia Sedis Apostolicae elongatum fuisse, eumque hortatur ut eundem cardinalem calumpniosis detractionibus rejectis, commendatum habeat. (Reg. 116, fol. 26 (54), c. 113).

«*Eidem regi.* Nuper dilectus filius — Datum V kalendas januarii, anno quinto decimo.»

4396 Avignon, 29 décembre 1330.

Raymundo Pascalis indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 188 (217) v°, c. 945).

«*Raymundo Pascalis seniori de Melgorio, laico, Magalonensis diocesis.* Provenit ex tue — Datum Avinione, IIII kalendas januarii.»

4397 1er janvier 1331.

Guillelmo de Concossio testandi facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 188 (217), c. 939).

«*Guillelmo de Concossio, canonico Aquensi.* Quia presentis vite — Datum kalendis januarii, anno quinto decimo.»

4398 1er janvier 1331.

Eidem indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218), c. 948).

« *Guillelmo de Concossio, canonico Aquensi.* Provenit ex tue — Datum kalendis januarii, anno quinto decimo. »

4399 Avignon, 5 janvier 1331.

Ecclesiae Metensis reservatio. (Reg. 116, fol. 150 (177), c. 784 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 495, n. 1427 ; Sauerland, *Quellen zur lothringischen Geschichte*, t. I, p. 293, n. 640).

« *Ad futuram rei memoriam.* Intendentes Metensi ecclesie — Datum Avinione, nonis januarii, anno quinto decimo. »

4400 9 janvier 1331.

Petronillae de Cabos indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218), c. 949).

« *Petronille de Cabos, Caturcensis diocesis.* Sincere devotionis affectus — Datum Avinione, V idus januarii, anno quinto decimo. »

4401 Avignon, 13 janvier 1331.

Reservationem fructuum primi anni omnium beneficiorum vacantium a nono kalendas febroarii proximo instantis ad unum annum extendit. (Reg. 116, fol. 162 (189), c. 800).

« *Ad futuram rei memoriam.* Attendentes dudum multiplicia — Datum Avinione, idibus januarii, anno quinto decimo. »

4402 Avignon, 15 janvier 1331.

Armando de Poma, praeposito ecclesiae de Insula et thesaurario Biterrensis ecclesiae concedit ut usque ad triennium leges possit audire in loco ubi studium vigeat generale. (Reg. 116, fol. 176 (205) v°, c. 854).

« *Armando de Poma, preposito ecclesie de Insula, Cavallicensis diocesis.* Desiderantium imbui scientia — Datum Avinione, XVIII kalendas febroarii, anno quinto decimo. »

4403 Avignon, 17 janvier 1331.

Bernardo de Pereto tabellionatus officium concedit. (Reg. 116, fol. 186 (215), c. 917).

« *Magistro Bernardo de Pereto, clerico Camere nostre.* Ut commissum tibi — Datum Avinione, XVI kalendas febroarii, anno quinto decimo. »

4404 19 janvier 1331.

Bertholdo, episcopo Argentino, ut cum Johanne Lingonensi episcopo, administratore ecclesiae Basiliensis, et Rodulpho Constantiensi episcopo de modis conceptibus Ludovici de Bavaria obviandi tractet et ordinet. (Reg. 116, fol. 77 (105), c. 346 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 496, n. 1431).

« *Bertholdo, archiepiscopo* (sic) *Argentinensi.* Cum hostis ille — Datum XIIII kalendas febroarii, anno quinto decimo. »

In e. m. dicto episcopo Lingonensi administratori ecclesie Basiliensis usque : ibi diligenter tecum aliisque prelatis ac nobilibus, usque in finem. Datum ut supra.

In e.m. ut proxime dicto episcopo Constantiensi. Datum ut supra.

4405 19 janvier 1331.

Magistro et consulibus civitatis Argentinensis super eodem, in e. m. ac camerario, sculteto, magistris civium et consulibus civitatis Maguntinae. (Reg. 116, fol. 77 (105), p. c. 347).

« In e. m. magistro et consulibus civitatis Argentinensis. Nostis filii quod — Datum ut supra. »

4406 Avignon, 21 janvier 1331.

Universis Christi fidelibus priori et conventui de Monte Carmeli Caturcensi subsidia erogantibus ad eorum inchoatam ecclesiam perficiendam indulgentias centum dierum concedit. (Reg. 116, fol. 5 (33), c. 20).

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Ecclesiarum fabricis manum — Datum

Avinione, XII kalendas febroarii, anno quinto decimo.»

4407 Avignon, 21 janvier 1331.

Guillelmo La Chapelia et Galhardo Juliani ut eisdem religiosis pro dicta ecclesia quinquaginta florenos auri de bonis Camerae assignent. (Reg. 116, fol. 5 (33) v°, c. 21).

« *Guillelmo La Chapelia, preposito de Navis Tutellensis, ac Galhardo Juliani, canonico Caturcensis ecclesiarum, Sedis Apostolice nunciis.* Cum dilecti filii — Datum ut supra.»

4408 21 janvier 1331.

Archiepiscopo [Aquensi ?] ejusque suffraganeis et inquisitoribus in Provincia deputatis ut ad captionem illorum qui contra constitutionem quae incipit : « Quia quorundam declarationum » dogmatizant aliosque errores defendunt, procedant. (Reg. 116, fol. 161 (188), c. 797).

« .. *archiepiscopo .. ejusque suffraganeis et .. inquisitoribus heretice pravitatis in Provincia deputatis.* Dudum ad audientiam — Datum XII kalendas febroarii, anno quinto decimo.»

4409 22 janvier 1331.

Johanni de Polagniaco, ut contra quosdam fratres Minores qui haeresim Petri de Corvara, olim scismatici nunc ad Ecclesiam reversi, in villa Dunensi, Lingonensis diocesis, coluerunt, procedat ut incepit totumque rescribat. (Reg. 116, fol. 28 (56) v°, c. 131).

« *Johanni de Polagniaco, officiali Lingonensi.* Relatione percepimus fidedigna quod ad tuam nuper deducto presentiam quod cum quidam frater ordinis Predicatorum in villa Dunensi Lingonensis diocesis clero et populo inibi congregato proponente(1) verbum Dei et litteras apostolicas confessionem dilecti filii Petri de Corbario, ordinis fratrum Minorum, olim heretici et scismatici, ejusdem abjurationes errorum et heresum et alia per que ipse ad unitatem et gremium sancte matris Ecclesie redire meruit continentes solemniter eisdem clero et populo publicaret, quidam fratres ordinis predicti Minorum de conventu ville predicte ad sermonem et publicationem hujusmodi cum beguinarum multitudine accedentes, sermonem et publicationem eosdem perturbare temerariis ausibus presumpserunt, inicientes in eundem predicatorem manus suas violentas temere et asserentes dictum P. de Corbario super hiis que in antipapatu gesserat in aliquo non errasse, tu una cum dilectis filiis Oddone de Castronovo et Symone de Vallibus clericis, familiaribus venerabilis fratris nostri Johannis episcopi Lingonensis, te ad villam memoratam conferens cepisti super predictis horrendis et detestandis veritatem inquirere, te ad exhibendum super eis justitiam disponendo, super quibus tuam diligentiam plurimum in Domino commendantes discretionem tuam requirimus tibique districtius injungendo mandamus quatinus tam ex officio tuo quam auctoritate litterarum nostrarum quas tibi dirigimus super premissis et aliis negocium hujusmodi tangentibus [sic] diligenter et fideliter cures procedere quod inde debeas merito commendari, rescripturus nobis quamtotius fideliter que in hac parte repereris et duxeris quomodolibet facienda. Datum XI kalendas febroarii, anno quinto decimo.»

(1) *Sic.* Corr. : *proponeret* ?

4410 Avignon, 23 janvier 1331.

Johannem Raymundi in capellanum ecclesiae Beatae Mariae de Valleviridi, Nemausensis diocesis, instituit eique de fructibus ejusdem capellaniae providet. (Reg. 116, fol. 10 (38), c. 41 ; Reg. 98, fol. 4 v°, c. 7 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54788).

« *Johanni Raymundi, capellano perpetuo capellanie perpetue ordinate in ecclesia Beate Marie de Valleviridi, Nemausensis diocesis.* Ad cultum augendum — Datum Avinione, X kalendas febroarii, anno quinto decimo.»

4411 23 janvier 1331.

Henrico archiepiscopo Maguntino, Bertholdo Argentinensi, Rudolpho Constantiensi, Johanni Lingonensi episcopis et Maguntinensi, Argentinensi, Basiliensi et Friburgensi communibus Ulricum de Leuguemburg, ordinis Heremitarum sancti Augustini, poenitentiarium papae certas litteras clausas apostolicas praesentaturum commendat. (Reg. 116, fol. 77 (105) v°, c. 348).

« *Henrico archiepiscopo Maguntino, Bertholdo Argentinensi, Rudolpho Constantiensi, Johanni Lingonensi administratori ecclesie Basiliensis episcopis et dilectis filiis .. Maguntinensi, Argentinensi, Basiliensi et Friburgensi communibus.* Cum dilectus filius — Datum X kalendas febroarii, anno quinto decimo. »

4412 24 janvier 1331.

Episcopo Valentino mandat ut ab attemptatis contra Ademarum de Pictavia desistat. (Reg. 116, fol. 183 (212), c. 889).

« *Guillelmo, episcopo Valentino.* Displicibili admodum insinuatione percepto quod contra ordinationem nostram seu deputatorum a nobis turrem seu fortalicium in loco de Cresta construere guerramque contra partem dilecti filii nobilis viri Ademari de Pictavia movere ac certa edificia fratrum Minorum ejusdem loci demoliri satagis seu disponis, fraternitatem tuam attente requirimus et hortamur, sano tibi nichilominus consilio suadentes quatinus ab hujusmodi novitatibus et earum singulis sic cures desistere prompteque attemptata si qua forsan fuerint in contrarium revocare ut nos de oportuno remedio quod tibi non placeret forsitan providere super hiis non sit opus. Datum VIIII kalendas febroaarii (*sic*), anno quinto decimo. »

4413 25 janvier 1331.

Roberto Chamerlenc indulgentiam in articulo mortis in e. m. ac Petronillae de Cabos concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218), p. c. 949).

« In e. m. (1) Roberto Chamerlenc, canonico Lemovicensi. Datum VIII kalendas febroarii, anno quinto decimo. »

4414 Avignon, 25 janvier 1331.

Roberto Chamerlenc facultatem percipiendi fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad triennium, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, concedit. (Reg. 116, fol. 6 (34) v°, c. 25); — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 52487).

(1) Cf. n. 4400.

« *Roberto Chamerlenc, canonico Lemovicensi.* Ex tue devotionis — Datum Avinione, VIII kalendas febroarii, anno quinto decimo. »

4415 Avignon, 25 janvier 1331.

Judicibus ut eidem Roberto praedictos fructus ministrari faciant. (Reg. 116, fol. 7 (35), p. c. 25).

« *Judicibus.* Mandamus etc. — Datum ut supra. »

4416 30 janvier 1331.

Universis Christi fidelibus ecclesiam monasterii Sancti Ludovici de Pissiaco, Carnotensis diocesis, in certis festivitatibus visitantibus, indulgentias concedit. (Reg. 116, fol. 5 (33) v°, c. 22).

« *Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.* Vite perennis gloria qua mira benignitas omnium beatam coronat aciem civium supernorum a redemptis precio sanguinis fusi de precioso corpore Redemptoris meritorum debet acquiri virtute inter que illud esse pregrande dinoscitur quod ubique sed precipue in sanctorum ecclesiis majestas (1) Altissimi collaudetur. Cupientes igitur ut ecclesia monasterii Sancti Ludovici de Pissiaco Carnotensis diocesis in quo priorissa et sorores secundum instituta et sub cura fratrum ordinis Predicatorum viventes existant cujusque inclite recordationis Philippus rex Francie fundator extitit congruis honoribus frequentetur et fidelium populus eo concurrat devotius ad eandem quo ibidem potiora sue salutis munera se speraverit adipisci, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino in remissionem vobis peccaminum suadentes quatinus ad ecclesiam ipsam imploraturi a Domino veniam delictorum in humilitatis spiritu accedatis. Nos enim ut Christi fideles quasi per premia salubriter invitemus ad merita, Omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis qui ad predictam ecclesiam in singulis Nativitatis et Resurrectionis Domini, beate Marie Virginis nativitatis, beati Johannis Baptiste, ejusdem sancti Ludovici et sancti Dominici et sancti Thome confessorum, et sancti Petri Martiris festivitatibus ac in Parasceve et dedicationis ipsius ecclesie cum eam dedicari contigerit et anniversario dedicationis ejus-

(1) Reg. : *majestatis.*

dem diebus unum annum et quadraginta dies, per octo vero dies festivitates ipsas immediate sequentes causa devotionis accesserint annuatim centum dies de injunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinione, III kalendas febroarii, anno quinto decimo. »

4417 30 janvier 1331.

De eodem. (Reg. 116, fol. 5 (33) v°, c. 23).

« *Venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis presentes litteras inspecturis.* Cupientes ut ecclesia monasterii Sancti Ludovici de Pissiaco Carnotensis diocesis, in qua priorissa et sorores secundum instituta et sub cura fratrum ordinis Predicatorum viventes existunt, cujusque clàre memorie Philippus, rex Francorum, fundator extitit et quam carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francie illustris zelo pie devotionis accensus proponit in brevi facere dedicari, congruis honoribus frequentetur, ac piis ejusdem regis votis nobis super hoc supplicatis (1) humiliter benignius annuentes, singulis vestrum, etiam si de alienis existant quibuscumque provinciis, quos solemnitati dedicationis ejusdem ecclesie, que nondum dedicata existit pro eo quod idem monasterium est novella plantatio, cum dedicatio ipsa fiet interesse contigerit, quod omnibus vere penitentibus et confessis qui ad prefatam ecclesiam in dedicationis prefate ac deinde annuatim in singulis Nativitatis et Resurrectionis Domini, beate Marie Virginis, sancti Johannis Baptiste, ejusdem sancti Ludovici, sancti Dominici, beati Thome confessoris ac sancti Petri Martiris festivitatibus et in Parasceve ac predicte dedicationis anniversario diebus causa devotionis accesserint unius anni et quadraginta dierum indulgentiam deminuetis sibi penitentiis concedimus tenore presentium facultatem. Datum ut supra [Avinione, III kalendas febroarii, anno quinto decimo]. »

4418 1er février 1331.

Stephano Las Coutz, canonico ecclesiae Sanctae Mariae Majoris Pictavensis, ad partes Italiae destinato litteras de salvo conductu concedit. (Reg. 116, fol. 187 (216) v°, c. 928).

« *Eisdem* (1) [*venerabilibus fratribus .. patriarchis, ..archiepiscopis ac.. episcopis et dilectis filiis etc...*]. Cum nos dilectum — Datum kalendis febroarii, anno quinto decimo. »

4419 Avignon, 1er février 1331.

Petrum de Tavernaco capellanum perpetuum capellae Sancti Martini in ecclesia parrochiali Castrinovi Calcernerii constituit. (Reg. 98, fol. 8 v°, c. 21 ; Reg. 116, fol. 177 (206), c. 859 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54790).

« *Dilecto filio Petro de Tavernaco, capellano perpetuo capelle Sancti Martini site in ecclesia parrochiali Castrinovi Calcernerii, Avinionensis diocesis, salutem.* Ex tue probitatis — Datum Avinione, kalendis febroarii, anno quinto decimo. »

4420 Avignon, 1er février 1331.

Redditus capellae Beati Martini in ecclesia Beatae Mariae de Castronovo Calcernerii Avinionensis diocesis nuper constitutae assignat pro sustentatione unius capellani inibi perpetuo serviturí. (Reg. 98, fol. 7, c. 20 ; Reg. Avin. 37, fol. 140, c. 20 ; Reg. 116, fol. 153 (180), c. 789 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54789).

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Salvatoris nostri caritate — Datum Avinione, kalendis febroarii, anno quinto decimo. »

4421 2 février 1331.

Episcopo Valentino ut Bertrandi Ebredunensis et Bertrandi Viennensis archiepiscoporum, nuntiorum apostolicorum, exhortationibus acquiescens, treugas cum Ademaro de Pictavia inductas observet. (Reg. 116, fol. 183 (212), c. 890 et fol. 185 (214) v°, c. 911).

« .. *episcopo Valentino.* Infausti rumoris assertione — duxerit faciendum. »

In e. m. Ademaro de Pictavia. Datum IIII nonas febroarii, anno quinto decimo.

(1) Reg. : *supplicastis.*

(1) Cf. pour l'adresse, n. 4311.

4422 4 février 1331.

Regi Franciae negotia quae Aymericus vicecomes Narbonensis in regali curia expedire habet commendat. (Reg. 116, fol. 29 (57), c. 132). »

« .. *regi Francie.* Super hiis que — Datum II nonas febroarii, anno quinto decimo. »

In e. m. Johanne, regine Francie.

In e. m. magnifico principi Carolo, comiti Alenconii.

In e. m. nobili viro Miloni, domino de Noeriis.

In e. m. Guillelmo de Sancta Maura, dicti regis cancellario.

In e. m. Johanni, electo Morinensi.

In e. m. Petro, archiepiscopo Senonensi, in archiepiscopum Rothomagensem electo.

4423 4 février 1331.

Geraldo de Camulo facultatem testandi in e. m. ac Guillelmo de Concossio concedit. (Reg. 116, fol. 188 (217), p. c. 939).

« In e. m. (1) Geraldo de Camulo, cantori ecclesie, Parisiensis. Datum II nonas febroarii, anno quinto decimo. »

4424 4 février 1331.

Geraldo de Camulo indulgentiam in articulo mortis in e. m. ac Guillelmo de Concossio concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218), p. c. 948).

« In e. m. (2) Geraldo de Camulo, cantori ecclesie Parisiensis. Datum Avinione, II nonas febroarii, anno quinto decimo. »

4425 5 février 1331.

Sibiende de Crosolis indulgentiam in articulo mortis in e. m. ac Petronillae de Cabos concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218), p. c. 949).

« In e. m. (3) Sibiende de Crosolis, relicte quondam Johannis Bartholomei de Montepessulano laici vidue, Magalonensis diocesis. Datum nonis febroarii, anno quinto decimo. »

(1) Cf. n. 4397.
(2) Cf. n. 4398.
(3) Cf. n. 4400.

4426 6 février 1331.

Archiepiscopo Narbonensi ut Hugonem Augerii, praepositum ecclesiae Glandentensis, officialem suum ad curiam apostolicam mittat. (Reg. 116, fol. 29 (57), c. 134).

« .. *archiepiscopo Narbonensi.* Cum presentia dilecti — Datum VIII idus februarii, anno quinto decimo. »

4427 6 février 1331.

Piliforte relictae Aymerici de Monteacuto indulgentiam in articulo mortis in e. m. ac Petronillae de Cabos concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218), p. c. 949).

« In e. m. (1) nobili mulieri Piliforte relicte quondam Aymerici de Monteacuto, domicelle, Albiensis diocesis. Datum VIII idus febroarii, anno quinto decimo. »

4428 10 février 1331.

Raymundo de Chameraco et Bernardo Raynerii ut debita et credita quondam Vitalis episcopi Albanensis quae exigenda sunt exigant et recipiant solventesque quittant. (Reg. 116, fol. 34 (62) v°, c. 182).

« *Magistro Raymundo de Chameraco, canonico Massiliensi, Apostolice Sedis nuncio, et Bernardo Raynerii, monacho monasterii Sancti Salvatoris de Turre Tudensis diocesis.* Cum nonnulla debita — Datum IIII idus febroarii, pontificatus nostri anno quinto decimo. »

4429 Avignon, 11 février 1331.

Duranto de Serris tabellionatus officium concedit. (Reg. 116, fol. 186 (215), c. 918).

« *Duranto de Serris, clerico non conjugato nec in*

(1) Cf. n. 4400.

sacris ordinibus constituto, Ruthenensis diocesis. Ne contractuum memoria — Datum Avinione, III idus febroarii, anno quinto decimo. »

4430 Avignon, 12 février 1331.

Guidoni de Britannia ad supplicationem Philippi regis Franciae concedit ut matrimonium cum Maria, nata comitis Blesensis, contrahere possit, tempore prohibito non obstante. (Reg. 116, fol. 6 (34), c. 23).

« *Guidoni de Britannia.* Sedis Apostolice gratiosa benignitas personis sanguinis claritate sublimibus quas sibi devotas conspicit ea consuevit interdum rigorem canonum temperando mansuetudine concedere que aliis merito denegantur. Cum itaque, sicut accepimus, tu ad bona nuptiarum in brevi transire proponens cum dilecta in Christo filia nobili mulieri Maria, nata dilecti filii nobilis viri comitis Blesensis matrimonium intendas contrahere, cujus bonum impedire posset longa dilatio sicut fertur, nos carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris supplicationi super hiis benignius inclinati, ut tu et eadem Maria matrimonium in facie Ecclesie solennisare ac benedictionem nuptialem recipere etiam tempore quo id sacri canones interdicunt, quibuscumque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, alias tamen licite valeatis, tibi et eidem Marie hac vice de speciali gratia tenore presentium indulgemus. Nulli ergo etc... Datum Avinione, II idus febroarii, anno quinto decimo. »

4431 12 février 1331.

Episcopo Argentinensi ut Waltero de Gerolozache, domino in Laya, contra Ludovicum de Bavaria assistat. (Reg. 116, fol. 77 (105), c. 351 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 497, n. 1437 b).

« *Eidem episcopo.* Ecce quod dilecto — Datum ut supra [II idus febroarii, anno quinto decimo] ».

4432 13 février 1331.

Berengario Cotarelli, Stephano Alberti et officiali Carcassonensi ut Johanni de Levis, domino Mirapiscis, litteras apostolicas praesentantes, eum ejusque officiales ad desistendum ab injuriis Petro episcopo et ecclesiae Mirapiscensibus illatis ratione cujusdam clerici justiciae officialis erepti inducant, alioquin eis certum terminum ad comparendum assignent. (Reg. 116, fol. 6 (34), c. 24).

« *Berengario Cotarelli, Agathensis, et Stephano Alberti, Claromontensis ecclesiarum canonicis, ac ..officiali Carcassonensi.* Ad nostri apostolatus. — Datum Avinione, idibus febroarii, anno quinto decimo. »

4433 13 février 1331.

Johanni de Levis ut injurias officiali Petri, episcopi Mirapiscensis, et eidem ecclesiae Mirapiscensi illatas corrigat. (Reg. 116, fol. 32 (60) v°, c. 170).

« *Johanni de Levis, domino de Mirapisce.* Perduxit infauste relationis — Datum idibus febroarii, anno quinto decimo. »

4434 13 février 1331.

Petro de Ungula Hugonem de Vallibus fratrem Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, consideratione obsequiorum per ipsum Ecclesiae Romanae in Italiae partibus impensorum, commendat. (Reg. 116, fol. 183 (212), c. 891).

« *Petro de Ungula, priori Sancti Egidii.* Cum dilectum filium — Datum idibus febroarii, anno quinto decimo. »

4435 14 février 1331.

Regi Franciae ut cum P. patriarcha Jerosolimitano, nuntio regio de transmarinis partibus redeunte super faciendis deliberet. (Reg. 116, fol. 29 (57), c. 133).

« *Regi Francie.* Venerabilem fratrem nostrum P. patriarcham Jerosolimitanum, nuncium regium, redeuntem de transmarinis partibus nostroque se conspectui representantem benigne recepimus et quid sibi collegisque suis pro parte Soldani ad quem transmissus fuerat responsum fuerit explicantem intelleximus diligenter. Sane, quia nullam nobis

nec excellentie regie, ut nobis asseruit, asportabat litteram ex parte Soldani illius, desiderans se presentare conspectui regio de sua legatione redditurus plenarie rationem, ipsi iter suum prosequendi prompte licentiam duximus indulgendam; quandam tamen litteram clausam sigillis nunciorum quatuor sigillatam, in qua simul recollegerant quecumque sibi diversis temporibus dicta pro parte Soldani predicti fuerant, habet excellentie regie presentare, in qua dicta responsa poterit circumspectio regia seriosius intueri et deliberare quanta fides illis exhiberi debeat et quid sit super hiis faciendum. Nos quoque cum fratribus nostris super hiis que nobis in scriptis prefatus patriarcha dimisit similiter deliberare intendimus, Domino cujus res agitur concedente. Datum XVI kalendas marcii, anno quinto decimo.»

4436 14 février 1331.

Guillelmo de Medulione ut a dissentione cum Argoutio Ademari desistat et ad Curiam veniat (Reg. 116, fol. 183 (212), c. 892).

« *Guillelmo de Medulione.* Displicenter percepto quod — Datum XVI kalendas marcii, anno quinto decimo.»

4437 17 février 1331.

Archiepiscopis, episcopis et inquisitoribus regni Siciliae necnon comitatus Provinciae, Narbonensis et Tholosanae diocesum aliarumque cismarinarum partium ut contra fraticellos processus «Sancta Romana atque» datos Avinione III kalendas januarii anno pontificatus secundo (1), publicent et exequantur. (Reg. 116, fol. 81 (109), c. 382).

« *Venerabilibus fratribus.. archiepiscopo.. ejusque suffraganeis et dilectis filiis inquisitoribus heretice pravitatis in eis partibus* (2) *auctoritate apostolica deputatis.* Dudum ad audientiam — Datum Avinione, XIII kalendas marcii, anno quinto decimo.»

4438 Avignon, 18 février 1331.

Olrico Saumate ut personas ecclesiasticas provinciae Remensis quae subsidium contra haereticos de Italiae partibus oblatum nondum solverunt, ad promptam solutionem inducat. (Reg. 116, fol. 7 (35), c. 26; — Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 489, n. 2984).

« *Olrico Saumate, canonico Ruthenensi, Apostolice Sedis nuncio.* Licet probabiliter extimemus — Datum Avinione, XII kalendas marcii, anno quinto decimo.»

4439 Avignon, 18 février 1331.

Eidem ut ad partes praedictae provinciae se conferens illos qui Ecclesiae non subvenerunt ad liberalitatem inducat. (Reg. 116, fol. 7 (35), c. 27; — Fayen, *ibid.*, t. II, p. 489, n. 2985).

« *Eidem.* Cum nonnulli prelati — Datum ut supra.»

4440 18 février 1331.

Eidem Olrico Saumate canonico Ruthenensi ad Remensem provinciam destinato litteras de securo conductu concedit. (Reg. 116, fol. 187 (216) v°, c. 930; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 490, n. 2986).

« *Eisdem* (1). Cum nos dilectum — Datum Avinione, XII kalendas marcii, anno quinto decimo.»

4441 19 février 1331.

Priori monasterii Cartusiensis, Gratianopolitanae diocesis, ut monasterio de Bonopassu, ejusdem ordinis, Cavallicensis diocesis, per obitum quondam Gerardi de Senenca vacanti, priorem idoneum praeficiat. (Reg. 116, fol. 183 (212) v°, c. 896).

« *..priori monasterii Cartusiensis, Gracianopolitane diocesis.* Cum monasterium de — Datum XI kalendas marcii, anno quinto decimo.»

4442 20 février 1331.

Arnaldo de Verdala et Bernardo de Pereto, ut de bonis

(1) Cf. J. M. Vidal, *Bullaire de l'inquisition française*, p. 39, n. 16.

(2) Sans doute la Sicile, les actes précédents s'y référant.

(1) Cf. pour l'adresse, l'acte n° 4311.

quondam Petri Roderii, episcopi Carcassonensis, provisionem octo florenorum auri pro singulis diebus quinque mensium Petro episcopo Carcassonensi assignari faciant. (Reg. 116, fol. 7 (35) v°, c. 28).

« *Magistris Arnaldo de Verdala, archidiacono Mirapiscensi, et Bernardo de Pereto, canonico Agathensi, clerico Camere nostre.* Dedisse vobis quos — Datum X kalendas marcii, anno quinto decimo. »

4443 20 février 1331.

Eisdem ut creditoribus praefati Petri Roderii de bonis ejusdem satisfacere studeant. (Reg. 116, fol. 7 (35) v°, c. 29).

« *Eisdem.* Cum bonorum mobilium — Datum ut supra. »

4444 20 février 1331.

Eisdem remunerandi quosdam servitores praedicti Petri Roderii facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 7 (35) v°, c. 30).

« *Eisdem.* Dudum nobis exposito. — Datum ut supra. »

4445 20 février 1331.

Eisdem ut certas pecuniarum quantitates ad fabricam ecclesiae Carcassonensis spectantes aliasque a quondam Petro de Ruppeforti, episcopo Carcassonensi, pro ecclesiarum ruralium mensae episcopalis Carcassonensis reparationibus legatas, quas praefatus Petrus Roderii dicti Petri de Ruppeforti successor receperat, eis restituant quorum interesse noverint, ut in usus praedictos convertantur. (Reg. 116, fol. 7 (35) v°, c. 31).

« *Eisdem.* Fidedigna relatione percepimus — Datum ut supra. »

4446 20 février 1331.

Eidem Arnaldo de Verdala ut certas pecuniae quantitates a quondam Guillelmo Bremundi fusterio Carcassonensi pro passagio Terrae Sanctae legatas conservari faciat. (Reg. 116, fol. 8 (36), c. 32).

« *Eidem archidiacono.* Accepimus nuper quod — Datum ut supra [X kalendas marcii, anno quinto decimo]. »

4447 20 février 1331.

Praedicto archidiacono satisfaciendi de fructibus beneficiorum ecclesiasticorum quae Philippus de Majoricis olim in Narbonensi provincia obtinebat servitoribus ejusdem Philippi facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 8 (36), c. 33).

« *Eidem archidiacono.* Dudum tibi collectionem — Datum ut supra. »

4448 Avignon, 20 février 1331.

Praefatos archidiaconum et canonicum de quibusdam libris quondam Petri Roderii quos assignarunt quittat. (Reg. 116, fol. 8 (36), c. 34).

« *Eisdem archiadiacono et canonico.* Cum vos quos — Datum ut supra [X kalendas marcii, anno quinto decimo]. »

4449 Avignon, 21 février 1331.

Johanni de Rigaldo concedit ut apostolicis serviciis et litterarum studiis insistendo, ratione ecclesiae Sancti Petri de Albiaco, Tholosanae diocesis, non teneatur ad majores ordines usque ad triennium promoveri. (Reg. 116, fol. 8 (34), c. 35).

« *Johanni de Rigaldo, rectori parrochialis ecclesie Sancti Petri de Albiaco, Tholosane diocesis, familiari nostro.* Grata tue familiaritatis — Datum Avinione, IX kalendas marcii, anno quinto decimo. »

4450 21 février 1331.

Gerardo de Campomulo, cantori Parisiensi, mandat ut quasdam litteras per G. de Concossio praesentatas transmittere curet. (Reg. 116, fol. 27 (55), c. 123).

« *Gerardo de Campomulo, cantori ecclesie Parisiensis.* Cum dilectum filium G. de Concossio, canonicum Aquensem, familiarem nostrum, ad partes Francie pro certis negociis destinemus, volumus et mandamus quatinus canonicum eundem circa ea prout te requirendum duxerit dirigens oportune, si quas tibi litteras nostras quas nonnullis partium ipsarum principibus per eum dirigimus duxerit exhibendas, illas suscipiens cures illis quibus dirigimus assignare vel facere assignari, nos quamtocius oportune potueris redditurus quid super hoc egeris certiores. Ceterum super publicatione litterarum nostrarum de abjuratione et conversione P. de Corbario tibi nudius directarum quam quidem gratanter percepimus factam extitisse solenniter, tue diligentie studium plurimum commendamus. Datum VIIII kalendas marcii, anno quinto decimo. »

4451 21 février 1330.

Regi Franciae commendat H. de Engolisma, nuncium. (Reg. 116, fol. 27 (55), c. 126).

« *Regi Francie.* Ad excellentie regie noticiam deducimus per presentes quod articulos nobis per dilectum filium magistrum H. de Engolisma, archidiaconum Cantuariensem, latorem presentium in reditu suo de partibus Francie presentatos leta manu recepimus eosque intelleximus diligenter. Sane quia nostre intentionis erat clare et aperte singulis respondere, cum de multis ex illis non haberemus noticiam cum in facto consisterent quod nec per nos tractatum fuerat nec per nostros, vias et modos quesivimus per quos possemus ad illos certitudinaliter respondere, super quibus referendis regali excellentie eundem quem prius misimus ad regiam presentiam destinamus, cui super illis et nonnullis aliis innovatis et que circa illud innovantur continue fidem dignetur circumspectio regia adhibere, nosque de mora que propter premissa et quedam que idem exponet nuncius alia intervenit habeat excusatos. Nos enim in hiis complendis que alias idem nuntius retulit et que sibi referenda tibi commisimus quantum in nobis est immobiles permanemus. Datum VIIII kalendas marcii, anno quinto decimo. »

4452 21 février 1331.

Regi Franciae de probatione per duellum non admittenda. (Reg. 116, fol. 27 (55) v°, c. 127).

« *Eidem* [*regi Francie*]. De regia non credimus memoria excidisse quomodo dudum excellentie regie duximus suadendum, ut attente considerans quod probationem que per duella contingit fieri magistra rerum experientia doceat frequenter falsam esse, ut (*sic*) ob Dei reverentiam et honorem tueque salutis obtentum et glorie perennis augmentum cum viris in utroque jure divino scilicet et humano simul vel divisim expertis quid super hoc saluti tue expediret anime deliberares sedule, ac quod eorum deliberatio ordinaret inviolabiliter observari [statueres]. Sane quia an super premissis deliberareris ignoramus, preces adicimus precibus ut si deliberareris quod judicavit deliberatio statuas inviolabiliter observari. Si autem nondum deliberareris super hoc, cum peritis deliberare super hiis sedule non omittas. Si enim, fili carissime, in causa pecuniaria falsam admitti probationem nullatenus patereris, multo minus hoc pati debes in criminalibus in quibus majus periculum vertitur, propter quod et in illis certiorem et clariorem adhiberi probationem tam leges quam canones statuerunt. Indubie quidem speramus et credimus quod si videris et ordinaveris quod provida deliberatio suadebit, circa ista divinam in presenti promereberis abundantius gratiam et uberiorem gloriam in futuro. Datum ut supra. »

4453 21 février 1331.

Regem Franciae rationibus docet cur Guillelmum de Sancta Maura ecclesiae Rothomagensi non praefecerit. (Reg. 116, fol. 27 (55) v°, c. 128).

« *Eidem* [*regi Francie*]. Quia quidam, ut intelleximus, quare dilectum filium magistrum Guillelmum de Sancta Maura Rothomagensi ecclesie non prefecimus admirantur, cum per filiam nostram in Christo carissimam..reginam illustrem Francie super hoc multe nobis fuerint littere destinate, profecto si facti plenam haberent noticiam taliter admirantes, credimus quod admiratio hec cessaret. Verum est enim quod filia nostra carissima supradicta pro dicto magistro G. sepius nobis scripsit, sed tu, fili carissime, sicut nosti, tuas pro alio

litteras dirigebas quem etiam oretenus nobis nominaveras et recommendaveras ad majora ; quare si preces filie nostre carissime (1) pretulissemus regiis, credimus quod qui mirantur quia non fecimus, si fecissemus amplius mirarentur. Et si dicatur quod tu, fili carissime, per litteras regias nobis preces effuderas ut si nobis non placeret per te nominatus ad dignitatem predictam, hoc tibi curaremus antequam provideretur de alio nunciare, et queratur quare saltim hoc non fecimus, profecto, fili, si consideranter attendas, honori tuo in hoc detulimus et nominati predicti : non enim absque nota tui et nominati existeret si scripsissemus quod nobis non placeret. Preterea in hoc nostre providimus conscientie puritati quia etsi nominatus nobis placeret, alium tamen poteramus propter experientiam et scientiam, scilicet theologicam quam requirit officium pastorale, merito plus placere. Unde si hec considerentur attente in corde cujusquam non debet admiratio generari. Et premisse admirationi adjungitur alia, quia prefatus magister G. cancellarius tuus existit, quod quidem officium inter officia regia majus et honorabilius reputatur, ex quo quo (*sic*) quidem officio nonnulli ad majora quam sit archiepiscopalis honor fuerunt assumpti. Profecto, fili carissime, officium pontificum ab officio cancellarii multum distat, talisque potest ydoneior ad cancellariatus reputari officium qui non esset ad archiepiscopale seu episcopale etiam ydoneior aliis reputandus, immo multi possent pro cancellario reputari ydonei qui pro honore pontificali non essent ydonei reputandi, sicut patet de militibus qui cancellariatus interdum officio preferuntur. Nos quidem clare memorie Caroli secundi regis Sicilie cancellarii fuimus et scimus que ad illud officium pertinere noscuntur, que procul dubio sunt alia ab hiis que ad pontificalem pertinent dignitatem. Pontificis quidem est officium pastorale, gregem scilicet sibi commissum verbo doctrine scripture sacre et exemplo vite pascere et subsidio temporali. Hoc satis expresse Salvator noster docuit dum beatum Petrum suum constituit vicarium generalem dicendo : « Pasce oves meas et pasce agnos ». Officium quoque medici noscuntur habere quod inter lepram et lepram, id est inter peccatum et peccatum debent cognoscere et spiritales medicinas congruas ut a suis sanentur infirmitatibus ministrare. Habent quoque a sibi commisso populo extirpare vicia et virtutes plantare. Constituuntur insuper pro hominibus in hiis que sunt ad Deum, ut dona et sacrificium offerant pro peccatis ; habent insuper sacramenta ministrare ecclesiastica que proculdubio sunt ab officio cancellarii aliena. Unde officium illud non efficit ut sit quoad pontificale officium omnibus aliis preferendus. Ad illud quod dicitur quod multi ex illo officio ad altiores honores, ut pote cardinalatum qui pontificalem excedit, fuerint assumpti, dicimus quod etsi nonnulli ad cardinalatus honorem assumpti, plures fuerunt qui nec cardinalatus nec archiepiscopalem fuerint dignitatem assumpti. Vidimus quidem bone memorie P. de Mornayo cancellarium et quasi curie regie rectorem precipuum qui fuit episcopus Aurelianensis multo tempore, et tandem ad Autisiodorensem translatum nec ascendisse ad archiepiscopalem seu cardinalatus honorem. Vidimus etiam bone memorie P. Carcassonensem episcopum cancellarium non ad archiepiscopalem sed ad episcopatum Carcassonensem assumptum, tamen et dilectum filium P., tituli Sancti Martini in Montibus presbyterum cardinalem, de cancellarie officio ad Atrabatensem assumptum. Quod autem a nonnullis Noviomensis ecclesia parva pro tali homine reputatur, profecto a fide dignis percepimus quod episcopus Noviomensis est unus de paribus regni Francie quod utique ad honorem non minimum reputatur ; item quod ejus redditus in duobus vel tribus milibus librarum turonensium et ultra Bituricensem excedunt, multique viri magne nobilitatis illi ecclesie prefuerunt. Constat enim quod bone memorie Symon de Angella vir fuit magni generis et thesaurarius Turonensis, qui tamen illi ecclesie noscitur prefuisse. Venerabilis quoque frater noster Folcaldus de Rupe Cavardi Bituricensis archiepiscopus illi ecclesie multo tempore prefuit qui utique multum noscitur generosus, nec unquam percepimus quod ad aliam ecclesiam procuraverit se transferri sed in ea statum prelati tenuit honorabilem et honestum. Unde his omnibus nos et fratres nostri in consideratione deductis, cancellarium ipsum de eorundem fratrum consilio prefecimus ecclesie antedicte, nec debet aliquis admirari si ecclesie Rothomagensi prefecimus virum religiosum, doctorem famosum in theologica facultate, exercitatum in archiepiscopali officio, vita et moribus approbatum multipliciter et etiam commendatum, qui utique sciet gregem sibi commis-

(1) Reg. : *filia nostra carissima.*

sum pascere et morbis ejusdem spiritalibus salutarem adhibere medelam. Et si, fili carissime, que de ore nostro prodierunt cum fuimus insimul de memoria non exiverint regia, evidenter potuisti percipere quod non minorem reputabamus in episcopis precipue in archiepiscopis quam in cardinalibus sufficientiam requirendam. Unde aliquem nominatum ad cardinalatum quantum in nobis fuit admisimus quem non sic admisimus ad archiepiscopalis apicem dignitatis. Sed illis admirationibus variis pretermissis, sunt utique alia que tacentur de quibus potest et debet regalis circumspectio admirari merito et gaudere non quovis gaudio sed gaudio magno valde. Querit forsan aliquis quid est illud ? profecto novitas que admirationem parere consuevit. Ad huc queres que novitas fuit ista ? utique quod una die ad tres ecclesias archiepiscopales et ad tres episcopales sex consiliarii regii assumpti fuerint regi accepti multum et grati. Volvantur et revolvantur regesta apostolica et non credimus quod a seculo contigerit casus iste. Gaudeat ergo excellentia regia quod tot in una die ejus consiliarii sufficientes ad tot et tales ecclesias sint assumpti, et attendat circumspectio regia quod non parum sua immo post Christi vicarium plusquam cujuslibet alterius interest quod ecclesiis regni sui tales preficiantur prelati qui sibi commissum populum juxta Christi doctrinam et apostolicam sciant verbo et exemplo in fide et moribus informari (sic) extirpareque ab eis vicia et plantare virtutes. Nec omittat, quesumus, providentia regia dum instat pro aliquibus ad prelationem aliquam promovendis instare pro talibus in quibus supradicta concurrunt, nec se ab offensa Dei immunem extimet si ad ejus preces minus ydonei assumantur, quia profecto de hiis habebit in districti examine judicii ubi nil potentia vel nobilitas proderunt reddere rationem. Datum ut supra [VIIII kalendas marcii, anno quinto decimo]. »

4454 21 février 1331.

Reginae Franciae de eodem. (Reg. 116, fol. 28 (56) v°, c. 129).

« ..*regine Francie.* Cum dilectum filium — Datum ut supra. »

4455 21 février 1331.

Regi Franciae ut H. de Engolisma, archidiacono Cantuariensi, nuncio apostolico, quaedam expositure fidem adhibeat. (Reg. 116, fol. 28 (56) v°, c. 130).

« .. *regi Francie.* Cum nos dilectum — Datum ut supra. »

In e. m. Johanne, regine Francie.

In e. m., mutatis mutandis, Petro, archiepiscopo Rothomagensi.

In e. m. Guillelmo, archiepiscopo Senonensi.

In e. m., mutatis mutandis, Johanni, electo Morinensi.

4456 21 février 1331.

Leonardo de Verulis indulgentiam in articulo mortis in e. m. ac Guillelmo episcopo Biterrensi concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218), p. c. 951).

« In e. m. (1) magistro Leonardo de Verulis, canonico ecclesie Magdunensis, Aurelianensis diocesis. scriptori nostro. Devotionis tue sinceritas — Datum VIIII kalendas marcii, anno quinto decimo. »

4457 Avignon, 22 février 1331.

Johanni episcopo Magalonensi quod in ecclesia sua Magalonensi, ordinis sancti Augustini, personas ad hoc idoneas usque ad numerum quadraginta septem in canonicos instituere et recipere possit. (Reg. 116, fol. 8 (36) v°, c. 36).

« *Johanni, episcopo Magalonensi.* Tunc vigilare oculo — Datum Avinione, VIII kalendas marcii, anno quinto decimo. »

4458 Avignon, 23 février 1331.

Raymundo de Chameraco ut a collectoribus et subcollectoribus fructuum beneficiorum vacantium in Ruthenensi et Vabrensi diocesibus deputatis rationes recipiant, fructus collectos recipiant et ad Cameram destinant, suspectisque terminum ad comparendum assignent. (Reg. 116, fol. 8 (36) v°, c. 37).

(1) Cf. n. 4317.

« *Magistro Raymundo de Chameraco, canonico Massiliensi, Apostolice Sedis nuntio.* Volentes quod collectores — Datum Avinione, VII kalendas marcii, pontificatus nostri anno quinto decimo. »

4459 Avignon, 25 février 1331.

Guillelmo Barasci quod fructus beneficiorum suorum ecclesiasticorum in absentia usque ad triennium percipere possit, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (Reg. 116, fol. 9 (37), c. 38).

« *Guillelmo Barasci, canonico ecclesie Sancti Pauli de Sancto Paulo de Fenolhadesio, Electensis diocesis, familiari nostro.* Grata tue familiaritatis — Datum V kalendas marcii, anno quinto decimo. »

4460 Avignon, 25 février 1331.

Judicibus ut eidem Guillelmo praedictos fructus ministrari faciant. (Reg. 116, fol. 9 (37) v°, p. c. 38).

« *Judicibus.* Mandamus quatinus vos — Datum ut supra. »

4461 Avignon, 25 février 1331.

Guidoni Radulphi canonico Albiensi similem gratiam concedit. (Reg. 116, fol. 9 (37) v°, p. c. 38).

« In e. m. Guidoni Radulphi, canonico Albiensi usque : residendo — Datum ut supra. »

4462 Avignon, 25 février 1331.

Judicibus ut eidem Guidoni fructus praedictos ministrari faciant. (Reg. 116, fol. 9 (37) v°, p. c. 38).

« *Judicibus.* Mandamus etc — Datum ut supra. »

4463 25 février 1331.

Raymundo de Chamayraco ut quosdam libros de bonis quondam Garciae episcopi Aquensis et quondam Petri Borcerii, praepositi monasterii Sancti Salvi Albiensis, ordinis sancti Augustini, dispositioni apostolicae reservatis provenientes mittat et alios vendat. (Reg. 116, fol. 38 (66) v°, c. 199).

« *Raymundo de Chameraco, canonico Massiliensi.* Cum tibi collectionem — Datum V kalendas marcii, anno quinto decimo. »

4464 26 février 1331.

Bona quondam Guidonis, abbatis monasterii de Anania, ordinis sancti Benedicti, Magalonensis diocesis, reservat. (Reg. 116, fol. 155 (182) v°, c. 791).

« *Ad futuram rei memoriam.* Volentes de bonis — Datum IIII kalendas marcii, anno quinto decimo. »

4465 27 février 1331.

Petro Bernardi negotia a tutoribus Sibiliae, vicecomitissae de Castronovo, filiae quondam Girberti vicecomitis et haeredis in regis Aragoni curia expedienda commendat. (Reg. 116, fol. 47 (75) v°, c. 246).

« *Petro Bernardi, camerario monasterii Crassensis, Narbonensis diocesis, capellano nostro* — Ex parte etc... Datum ut supra [III kalendas marcii, anno quinto decimo]. »

4466 Avignon, 1er mars 1331.

Raymundo de Valle eligendi confessorem facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 9 (37) v°, c. 39 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 52894).

« *Raymundo de Valle, preposito ecclesie Mirapiscensis, familiari nostro.* Devotionis et fidei — Datum Avinione, kalendis marcii, anno quinto decimo. »

4467 Avignon, 1er mars 1331.

Eidem Raymundo quod horas canonicas et alia divina officia secundum morem Romanae Ecclesiae dicere ac

celebrare possit. (Reg. 116, fol. 9 (37) v°, c. 40; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 52892).

« *Eidem.* Tue devotionis sinceritas — Datum ut supra. »

4468 Avignon, 1er mars 1331.

Raymundo Johannis alias Las Coutz, quod horas canonicas et alia divina officia secundum morem Romanae Ecclesiae dicere ac celebrare possit. (Reg. 116, fol. 10 (38), p. c. 40; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 52893).

« In e. m. Raymundo Johannis alias Las Coutz, archidiacono de Ultradorniam in ecclesia Petragoricensi. Datum ut supra. »

4469 1er mars 1331.

Regi Franciae negotia Arnaldi vicecomitis Caramanni, ipsius nepotis, commendat. (Reg. 116, fol. 29 (57), c. 135).

« .. *regi Francie.* Cum dilectus filius — Datum kalendis marcii, anno quinto decimo. »
In e. m. comiti Alenconii.
In e. m. comiti Bellimontis.
In e. m. Miloni, domino de Noeriis.
In e. m. archiepiscopo Rothomagensi.
In e. m. cancellario regio.
In e. m. electo Morinensi.

4470 1er mars 1331.

Thomae electo Tullensi de subsidio trium millium florenorum auri quod a Galtero de Pria, milite, transmisit, regratiatur. (Reg. 116, fol. 78 (106), c. 355; — Sauerland, *Quellen zur lothringischen Geschichte*, t. I, p. 294, n. 644).

« *Thome, electo Tullensi.* De tribus millibus — Datum kalendis marcii, anno quinto decimo. »

4471 3 mars 1331.

Guillelmo Guitberti tabellionatus officium in e. m. ac Johanni Roardi concedit. (Reg. 116, fol. 186 (215), p. c. 920).

« In e. m. (1) Guillelmo Guitberti clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto, Biterrensis diocesis. Ne contractuum memoria — Datum V nonas marcii, anno quinto decimi. »

4472 5 mars 1331.

Heliono de Villanova ut quasdam domos sui ordinis Avinione sitas pro ambaxiatoribus venturis assignet. (Reg. 116, fol. 183 (212) v°, c. 894).

« *Heliono de Villanova, magistro Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani.* Cum pro certis ambaxiatoribus ad curiam Romanam ut speratur venturis in proximo hospiciis dilecti filii visitatoris et quondam Petri de Imola prioris Romani Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani prope domos tuas Avinione consistentibus egeamus ad tempus aliquod, tuam providentiam deprecamur quatinus predicta hospicia gentibus nostris mandes et facias morosa sublata qualibet [dilatione?] liberare. Datum III nonas marcii, anno quinto decimo. »

4473 5 mars 1331.

Petro de Ungula priori Tholosano et Sancti Aegidii Hospitalis mandat ut fratrem Raimundum de Lagarda recompensat pro bonis que dimisit ratione permutationis castrorum de Montericozo et de Emperiaco inter magistrum Hospitalis et vicecomitem Caramanni. (Reg. 116, fol. 183 (212) v°, c. 895).

« *Petro de Ungula priori Tholosano et Sancti Egidii Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani.* Cum ratione permutationis de castris de Montericozo et de Emperiaco, Caturcensis et Narbonensis diocesum, inter dilectos filios .. magistrum Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani ex parte una et nobilem virum Arnaldum Dueza vicecomitem Carammani ex altera, sicut tua novit prudentia, nuper facte, dilectus filius Raimundus de Lagarda frater Hospitalis predicti certam partem proventuum quos ut preceptor in dicto castro de Monte-

(1) Cf. n. 4534.

ricozo ejusque pertinentiis obtinebat sic ut suum effectum dicta consequatur permutatio dimissurus[est], circumspectionem tuam rogamus et hortamur attentius quatinus de redditibus et proventibus aliis ad dictum Hospitale spectantibus et per vicecomitem dimissis predictum que ad tuam dispositionem pertinent eidem Raimundo pro hiis que dimittet, ut prefertur, in eodem castro de Montericozo recompensationem adeo facias condecentem quod ei conquerendi occasione hujusmodi materia non supersit, ipsum recommendatum nichilominus super hiis et aliis favorabiliter habiturus. Datum III nonas marcii, anno quinto decimo.»

4474 6 mars 1331.

Regen Majoricarum versus Franciam iturum congratulatur (Reg. 116, fol. 47 (75) v°, c. 247)

« *Regi Majoricarum.* Comendamus attentum in Dei nomine versus Franciam iter tuum, tibi, fili carissime, paternis affectibus exoptantes ut angelus Domini qui proficiscentem Thobiam duxisse incolumem et reduxisse dinoscitur te in itu et reditu propitius comitetur. Datum II nonas marcii, anno quinto decimo.»

4475 6 mars 1331.

Raynaldo de Grimola ut Bertrandum de Capdenaco clericum Caturcensis diocesis, quem carceribus detinet mancipatum, officiali Ruthenensi assignet. (Reg. 116, fol. 29 (57) v°, c. 140).

« *Nobili viro Raynaldo de Grimola, senescallo Ruthenensi.* Ad audientiam apostolatus notri fidedigna relatione pervenit quod tu Bertrandum de Capdenaco clericum Caturcensis diocesis propter nonnullos excessus sibi impositos carceri mancipasti et detines eodem carcere mancipatum, licet predictorum excessuum ejusdem clerici cognitio et punitio ad forum noscatur dumtaxat ecclesiasticum pertinere, ideoque nobilitatem tuam requirimus et rogamus attente, tibi per apostolica scripta mandantes quatinus eundem B. dilecto filio .. officiali Ruthenensi et restituere et assignare procures per eum seu deputandos ab eo ad nostrum et Sedis Apostolice examen deducendum, et per illam super dictis excessibus, si de ipsis constiterit, puniendum vel absolvendum prout debita cognitione de premissis habita secundum justiciam fuerit faciendum. Datum II nonas marcii, anno quinto decimo.»

In e. m. respective dicto officiali ut dictas litteras presentet personaliter et moneat et inducat ut sibi restituat clericum supradictum.

4476 7 mars 1331.

Philippo de Sengineto ut duas ballas in portu Tholonensi a gentibus suis arrestatas Bartholomeo dicto Cardinale de Flisco, civi Januensi, relaxari faciat. (Reg. 116, fol. 183 (212) v°, c. 893).

« *Nobili viro Philippo de Sengineto, senescallo Provincie.* Dudum, sicut accepimus, dilectus filius Raynerius Buccari de Domoley, civis Pisanus, volens duas ballas mercium Lucentium facere ad has Provincie partes deferri easdem ballas sub securitate dilecti filii Bartholomei dicti Cardinale de Flisco civis et mercatoris Januensis super quadam gualea Frederici Spinule ut portatarum maris vitaret pericula ponderatas tradidit ad dictas partes Provincie deferendas. Cum autem dicta galea tam illis quam multis aliis bonis et mercibus onerata ingruente fortuna maris ad portum civitatis Tholonensis, concessa tamen per commune ipsius civitatis securitate ac fidentia, pervenisset, locumtenens tuus seu alie gentes regie predictam galeam arrestarunt asserentes merces et bona inimicorum carissimi in Christo filii nostri Roberti regis Sicilie illustris esse in ea. Nos itaque de predicto Raynerio a fidedignis personis nobisque dilectis que ipsum nobis commendarunt cordialiter laudabili testimonio nostro intellecto, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente quatinus dictas balas signatas signis descriptis in cedula presentibus interclusa predicto Bartholomeo vel ejus certo nuncio restitui facias quacumque dificultate sublata. Datum nonis marcii, anno quinto decimo.»

4477 7 mars 1331.

Guigoni dalfino Viennensi de litteris securi conductus pro nuntiis Mediolanensibus regratiatur. (Reg. 116, fol. 184 (213), c. 898).

« *Guigoni, dalfino Viennensi.* De litteris a — Datum nonis marcii, anno quinto decimo. »

4478 Avignon, 10 mars 1331.

Magistro Bertrandi Arnaudi praeposito ecclesiae Sistaricensis et Galhardo de Mazarolis, domicello, litteras de securo conductu concedit. (Reg. 116, fol. 187 (216) v°, c. 929).

« *Eisdem* (1). Cum nos dilectos — Datum Avinione, VI idus marcii, anno quinto decimo. »

4479 Avignon, 10 mars 1331.

Ricavo de Gorda pro emendis pannis ad Flandriae et Brabantiae partes destinato facultatem recipiendi a mercatoribus societatis Peruciorum de Florentia in dictis partibus seu Parisius commorantibus tria milia octingentos florenos auri concedit. (Reg. 116, fol. 177 (206), c. 858 ; — Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 493, n. 2998).

« *Ricavo de Gorda, civi et mercatori Avinionensi.* Cum te pro — Datum Avinione, VI idus martii, anno quinto decimo. »

4480 11 mars 1331.

Petrum archiepiscopum Rothomagensem de assistentia Hugoni de Engolisma, archidiacono Cantuariensi, nuntio apostolico, praestita commendat eumque ad perseverandum hortatur. (Reg. 116, fol. 29 (57) v°, c. 139).

« *Petro, archiepiscopo Rothomagensi.* Devotionis promptitudinem quam — Datum ut supra [V idus marcii, anno quinto decimo]. »

In e. m. Martino de Issartis, regis cancellario.

In e. m. Miloni, domino de Noeriis.

In e. m. Guillelmo de Sancta Mora, regis cancellario.

4481 11 mars 1331.

Regi Franciae, de negotiis regis Bohemiae. (Reg. 116, fol. 29 (57) v°, c. 136).

(1) Cf., pour l'adresse, n. 4311.

« *Regi Francie.* Acta regem Boemie tangentia et quare tamdiu regie celsitudini scribere distulimus super eis dilectus filius magister H. de Engolisma, archidiaconus Cantuariensis, quem ad regalem destinamus presentiam, eidem plenius vive vocis oraculo reserabit. Datum V idus marcii, anno quinto decimo. »

4482 11 mars 1331.

Regi Franciae, de provisione ecclesiae Noviomensis. (Reg. 116, fol. 29 (57) v°, c. 137).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Dilecto filio magistro H. de Engolisma, archidiacono Cantuariensi, exhibitori presentium nonnulla provisionem ecclesie Noviomensis concernentia imposuimus regie celsidudini exponenda, cujus in hac parte relatibus dignetur regalis providentia, quesumus, fidem plenariam adhibere. Datum ut supra. »

4483 11 mars 1331.

Regi Franciae ut ad quaestionem inter Odonem ducem Burgundiae et Robertum de Atrebato, occasione comitatus Atrebatensis vertentem, pace potius quam judicio finiendam studium adhibere non desistat. (Reg. 116, fol. 30 (58), c. 141).

« *Regi Francie.* Dum quantum questio que inter dilectos filios inclitos principes Oddonem ducem Burgundie et Robertum de Atrabato comitem Bellimontis, occasione comitatus Atrabatensis, vertitur pace pocius quam judicio finiatur Deo gratum existeret quantumque partibus eorumque amicis expediret et subditis, necnon et quantum honori conveniret regio, dumque pericula varia que illis ex dissensione possunt provenire hujusmodi consideranter attendimus, profecto urget nos caritas preces conculcare precibus ut quamquam benivolentia regia hoc retrotemptans nequiveris (*sic*) obtinere non desistat adhuc interponere solicitudinis sue partes, sed memor cujusdam sapientis consilii sic dicentis : « Cum que mones aliquem nec se vel ipse moneri, si tibi sit carus, noli desistere ceptis », adhuc curet insistere etiam si oportuerit importune, quia plerumque in multis perfici nequit annis quod fit prompte postmodum una die. Gratia

Domini Nostri Jhesu Christi cor in hiis et aliis agendis regat regium et protegat ab adversis. Amen. Datum V idus marcii, anno quinto decimo. »

4484 11 mars 1331.

Reginae Franciae ut super eodem apud regem et praefatos principes insistet. (Reg. 115, fol. 30 (58), c. 142).

« *Regine Francie.* Dum commoda que dilectorum filiorum inclitorum principum Oddonis ducis Burgundie et Roberti de Atrabato comiti[s] Bellimontis repromitat concordia consideranter attendimus, dumque discrimina varia que eorum comminatur dissensio consideramus attente, profecto questionem que inter ipsos occasione comitatus Atrabatensis vertitur pace sopiri potius quam judicio intensis desideriis affectamus, super quo filio nostro carissimo Philippo, regi Francie illustri, preces nostras impresentiarum dirigimus, ut non obstante quod super hoc alias interposuerit partes suas adhuc benivolentiam non pigeat regiam super hoc laborare, cum plerumque quod annis nequivit fieri pluribus una die sepe compleri postea videamus. Et quia, filia carissima, statum dictorum principum prosperum tuam magnificentiam supponimus indubie nec immerito affectare, benivolentiam regiam attentius deprecamur ut apud regem predictum quoad premissa velit intendere et apud predictos principes ut eidem acquiescere debeant velis interponere solicitudinis tue partes. Gratia Domini Nostri Jhesu Christi sit tecum filia carissima. Amen. Datum ut supra. »

4485 11 mars 1331.

Archiepiscopum Rothomagensem ut ad sopiendam dictam quaestionem tam apud regem et reginam Franciae quam apud principes et alios de quibus expedire viderit partes suas interponat (Reg. 116, fol. 30 (58), c. 143).

« *Archiepiscopo Rothomagensi.* Filio nostro carissimo Philippo illustri regi Francie preces nostras porrigimus ut ad sopiendam per viam pacis questionem quam inter inclitos principes Oddonem ducem Burgundie et Robertum de Atrabato comitem Bellimontis vertitur adhuc non obstante quod alias partes suas super hoc interponere voluerit interponat, cum nonnumquam quod nequit pluribus annis fieri contingat postea una die compleri. Et quia hec non leviter insident cordi nostro, fraternitatem tuam rogamus attente ut tam apud regem filiamque in Christo carissimam reginam Francie illustres quam apud ipsos principes et alios de quibus expedire videris interponas solicitudinis tue partes. Datum ut supra [V idus marcii, anno quinto decimo]. »

In e. m. Guillelmo, archiepiscopo Senonensi.
In e. m. Miloni, domino de Noeriis.
In e. m. Ludovico, duci Borbonesii.
In e. m. Johanni, electo Morinensi.
In e. m. G. de Sancta Maura, cancellario Francie.
In e. m. Carolo, comiti Alenconii.
In e. m. comitisse Alenconii. Datum ut supra.

4486 11 mars 1331.

Aymoni comiti Sabaudiae ut magistro Bertrando Arnaudi, praeposito ecclesiae Sistaricensis, clerico, et Galhardo de Mazairolis, domicello, nuntiis apostolicis, de securo conductu provideat. (Reg. 116, fol. 185 (214), c. 907).

« *Nobili viro Aymoni, comiti Sabaudie.* Cum nos dilectos — Datum V idus marcii, anno quinto decimo. »

In e. m. Guigoni, dalfino Viennensi.
In e. m. Guillelmo, episcopo Valentino.

4487 11 mars 1331.

Bertrando Bonifacii indulgentiam in articulo mortis in e. m. ac Guillelmo episcopo Biterrensi concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218), p. c. 951).

« In e. m. (1) Bertrando Bonifacii, canonico Parisiensi. Datum V idus marcii, anno quinto decimo. »

4488 Avignon, 12 mars 1331.

Canonicatum, praebendam et thesaurariam ecclesiae Laudunensis per Guillelmi Noviomensis electi consecrationem in proximo vacaturos dispositioni apostolicae

(1) Cf. n. 4317.

reservat, Guillelmo de Sancta Maura conferendos. (Reg. 116, fol. 11 (39), c. 44 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 53046).

« *Magistro Guillelmo de Sancta Maura, decano ecclesie Turonensis.* Sedis Apostolice gratiosa — Datum Avinione, IIII idus marcii, anno quinto decimo. »

4489 Avignon, 12 mars 1331.

Judicibus ut praefatos canonicatum, praebendam et thesaurariam cum eos vacare contigerit eidem Guillelmo assignent. (Reg. 116, fol. 11 (39) v°, p. c. 44).

« *Judicibus.* Mandamus quatinus vos — Datum ut supra. »

4490 12 mars 1331.

Bernardino de Pascalibus vicario et communi Valenciae ut respondeant principi petenti sibi ab eos praestari homagium, quod hoc absque offensa Ecclesiae Romanae non possint facere. (Reg. 116, fol. 184 (213), c. 901).

« *Bernardino de Pascalibus, vicario, ac ancianis consiliariis et communi Valencie.* Super responsione facienda — Datum ut supra [IIII idus marcii, anno quinto decimo]. »

4491 Avignon, 13 mars 1331.

Petro archiepiscopo Rothomagensi et Hugoni de Engolisma, ut bona quondam Petri Roderii, episcopi Carcassonensis, tam in Francia quam in diocesi Lemovicensi consistentia quae reservata fuerunt, recipiant medietatemque illorum Camerae assignare faciant, residuam medietatem heredibus dicti episcopi pro solvendis ipsius expensis funerariis ac complendis piis operibus quae ipse fecit assignantes. (Reg. 116, fol. 11 (39) v°, c. 45).

« *Petro, archiepiscopo Rothomagensi, et magistro Hugoni de Engolisma, archidiacono Cantuariensi.* Fidedigna relatione percepto — Datum Avinione, III idus marcii, anno quinto decimo. »

4492 13 mars 1331.

Regi Franciae negotia quae Robertus, Lercii et Montisfrini dominus, in curia regia expedire habet, commendat. (Reg. 116, fol. 30 (58) v°, c. 150).

« .. *Regi Francie.* Cum dilectus filius — Datum III idus marcii, anno quinto decimo. »

4493 13 mars 1331.

Petro archiepiscopo Rothomagensi eumdem Robertum commendat. (Reg. 116, fol. 30 (58) v°, c. 151).

« *Petro, archiepiscopo Rothomagensi.* Cum dilectus filius.... mutatis mutandis. Datum ut supra. »
In e. m. Guillelmo de Sancta Maura, cancellario Francie. Datum ut supra.

4494 15 mars 1331.

Talayrando, episcopo Autisiodorensi ut Hugoni de Engolisma, archidiacono Cantuariensi, pro nonnullis negociis ad curiam Franciae destinato assistet (Reg. 116, fol. 31 (59), c. 155).

« *Talayrando, episcopo Autisiodorensi.* Cum dilectum filium — Datum idibus marcii, anno quinto decimo. »

4495 Avignon, 15 mars 1331.

Capellae Beatae Mariae Virginis sitae in castro Novarum, Avinionensis diocesis, erectae in loco ubi synagoga Judaeorum consueverat esse, redditus pro sustentatione quatuor presbyterorum ibidem perpetuo serviturorum assignat. (Reg. 116, fol. 156 (183) v°, c. 794 ; Reg. 98, fol. 10, c. 27 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54791).

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Ad ea que — Datum Avinione, idibus marcii, anno quinto decimo. »

4496 16 mars 1331.

Blanchae comitissae Sabaudiae respondet se quosdam

mercatores ad concordandum cum Aymone comite Sabaudiae induxisse. (Reg. 116, fol. 184 (213) v°, c. 902).

« *Nobili mulieri Blanche, comitisse Sabaudie.* Antequam ad nos tue nobilitatis littere quas benigne recepimus pervenissent, nos intellecto pro parte dilecti filii nobilis viri Aymonis comitis Sabaudie quod mercatores illi de quibus fiebat in predictis litteris mentio nolebant cum eodem comite concordare, ipsos mercatores ad nostram feceramus propter hoc presentiam evocari, et demum, causa ipsorum et dicti comitis ad nos specialiter revocata, eisdem suasimus mercatoribus ut ad concordiam cum eodem comite rationabiliter devenerent et jam quasi in concordia hujusmodi credimus eos esse. Nos autem adhuc si oportuerit intendimus interponere sedule super hiis partes nostras. Datum XVII kalendas aprilis, anno quinto decimo. »

4497 Avignon, 17 mars 1331.

Piliforti de Rapistagno ejusque uxori indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218) v°, c. 955 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 53132).

« *Piliforti de Rapistagno, domino de Campanhaco, Albiensis diocesis, et Johanne ejus uxori.* Pure devotionis affectus — Datum Avinione, XVI kalendas aprilis, anno quinto decimo. »

4498 17 mars 1331.

Helicet de Manecuria indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218) v°, c. 956 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 53131).

« *Helicet de Manecuria, domine de Massuguerio, relicte quondam Petri Ramundi de Rapistagno, domini de Campanhaco, Albiensis diocesis.* Ferventis devotionis affectus — Datum XVI kalendas aprilis, anno quinto decimo. »

4499 18 mars 1331.

Regi Franciae ut submoveri jubeat obstacula a nonnullis ex officialibus regiis illatis permutationi et amortisationi quam Arnaldus Dueza, vicecomes Caramanni, cum ordine Hospitalis secundum concessionem regiam facere intendit. (Reg. 116, fol. 30 (58), c. 144).

« .. *regi Francie.* Intellecto gratanter quod benivolentia regia dilecto filio nobili viro A. Dueza, vicecomiti Carammani, nepoti nostro, quod cum ordine Hospitalis permutare ac pro nonnullis piis operibus amortizare de bonis et redditibus suis usque ad certam extimationem libere valeat gratiose indulsit, regie magnificentie proinde gratiarum referimus uberes actiones. Sane quia subsequenter accepimus quod nonnulli ex officialibus regiis absque rationabili causa litteras nituntur hujusmodi gratiarum [impedire], admirari non sufficimus unde illis tanta presumptio seu temeritas potius quod principis concessionibus taliter audeant obviare. Rogamus itaque regalem excellentiam ex affectu quatinus, cum ejus mansurum esse deceat beneficium, obstacula quevis super hiis jubeat submoveri. Datum XV kalendas aprilis, anno quinto decimo. »

4500 18 mars 1331.

Regi Franciae magistrum P. Galvanni responsurum remittit. (Reg. 116, fol. 30 (58) v°, c. 145).

« *Eidem.* Quid super illis pro quibus regia serenitas dilectum filium magistrum P. Galvanni, canonicum Parisiensem, ad nostram noviter destinavit presentiam duxerimus respondendum, idem canonicus sublimitati regie si audire voluerit referre poterit viva voce. Datum ut supra [XV kalendas aprilis, anno quinto decimo]. »

4501 18 mars 1331.

Johannae reginae Franciae petitiones suas a Remigio de Sancta Margareta, canonico Parisiensi, praesentatas admisisse respondit. (Reg. 116, fol. 30 (58) v°, c. 153).

« *Johanne, regine Francie.* Magnificentie regie receptis — plenius continetur. »

In e. m. Johanne, comitisse Alenconii, verbis competentibus mutatis.

In e. m. Johanne, ducisse Burgundie. Datum XV kalendas aprilis, anno quinto decimo. »

4502 19 mars 1331.

Philippum de Sangineto iterum rogat ut duas balas arrestatas Bartholomeo dicto Cardinali de Flisco civi Januensi restitui faciat. (Reg. 116, fol. 184 (213) v°, c. 903).

« *Nobili viro Philippo de Sangineto, senescallo Provincie.* Scripsisse tibi pridem meminimus ut duas balas mercium Lucentium que in galea Frederici Spinule fuerant per gentes regias arrestate dilecto filio Bartholomeo dicto Cardinale de Flisco civi Januensi, qui eas a dilecto filio Reynerio Buccari de Domoley cive Pisano sub securitate sua receperat, restituere procurares. Et licet per litteras tuas nobis rescripseris quod carissimus in Christo filius noster Robertus rex Sicilie illustris, scita dicte galee captione, omnia bona in eadem contenta per te vendi mandaverat precio quo posset pro parte sue curie meliori, nos tamen volentes dictas duas ballas prefato Bartholomeo restitui juxta priorum nostrarum continentiam litterarum, id quoad dictum regem supra nos recipientes omnino, eandem nobilitatem rogamus ut restitutionem facere non differas antedictam. Datum XIIII kalendas aprilis, anno quinto decimo. »

4503 20 mars 1331.

Regi Franciae B. episcopum Caturcensem qui nonnulla negotia in curia regia expedire habet, commendat. (Reg. 116, fol. 30 (58) v°, c. 146).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Venerabilem fratrem nostrum — Datum XIII kalendas aprilis, anno quinto decimo. »

4504 20 mars 1331.

Petro archiepiscopo Rothomagensi ut pro eodem B. apud regem partes suas interponat. (Reg. 116, fol. 30 (58) v°, c. 147).

« *Petro, archiepiscopo Rothomagensi.* Cum venerabilem fratrem — partes tuas ».

In e. m. nobili viro Petro de Cunheriis, consiliario regis, verbis competentibus mutatis.

In e. m. nobili viro Bertrando Rotundi, marescallo Francie.

In e. m. Guillelmo, electo Noviomensi. Datum ut supra [XIII kalendas aprilis, anno quinto decimo]. »

4505 21 mars 1331.

Regi Franciae B. de Pereto, thesaurarium ecclesiae Morinensis, clericum Camerae Apostolicae. qui ratione thesaurariae ipsius certa negocia in regia curia expedire habet, commendat. (Reg. 116, fol. 30 (58) v°, c. 148).

« *Regi Francie.* Cum dilectus filius — Datum XII kalendas aprilis, anno quinto decimo. »

4506 21 mars 1331.

Petro archiepiscopo Rothomagensi ut eidem B. assistat. (Reg. 116, fol. 30 (58) v°, c. 149).

« *Petro, archiepiscopo Rothomagensi.* Cum dilectus filius — auxiliis oportunis. »

In. e. m. Guillelmo, electo Noviomensi.

In e. m. Johanni, electo Morinensi.

In e. m. Petro de Cunheriis, consiliario regio.

In e. m. Petro, episcopo Belvacensi. Datum ut supra [XII kalendas aprilis, anno quinto decimo]. »

4507 21 mars 1331.

Abbati Psalmodiensi mandat ut coram ipsomet se praesentet. (Reg. 116, fol. 32 (60) v°, c. 166).

« *Abbati Psalmodiensi, ordinis sancti Benedicti, Nemausensis diocesis.* Cum super aliquibus tecum ac cum dilecto filio R. celerario monasterii Conchensis, ordinis sancti Benedicti, Ruthenensis diocesis, ac Bertrando de Balaguerio, canonico Ruthenensi, germanis tuis habeamus conferre, volumus quod una cum eisdem ad presentiam nostram cessante dilatione qualibet te conferre procures. Datum XII kalendas aprilis, anno quinto decimo. »

4508 23 mars 1331.

Episcopo Belvacensi ut inquiret de utilitate cujusdam bonorum permutationis inter abbatem de Corbeya et

Reginaldum de Aubigneyo faciendae. (Reg. 116, fol. 12 (40), c. 46).

« *Episcopo Belvacensi.* Exhibita nobis carissimi in Christo filii nostri Philippi, regis Francie illustris, petitio continebat quod dilectus filius abbas monasterii de Corbeya, ordinis sancti Benedicti, Ambianensis diocesis, Ecclesie Romane immediate subjecti, quasdam possessiones ad dictum monasterium pertinentes quas habet in villa de Aubigneyo, dicte diocesis, cum certis aliis possessionibus quas habet alibi dilectus filius nobilis vir Reginaldus de Aubigneyo permutare cupit, exinde conditionem prefati monasterii facere meliorem intendens, sed quia permutationem hujusmodi facere nequit absque licentia Sedis Apostolice speciali, nobis pro parte regis ejusdem extitit supplicatum ut facienda (*sic*) permutationem hujusmodi licentiam prefato abbati concedere dignaremur. Nos autem qui ex debito suscepti regiminis ecclesiarum et monasteriorum tenemur indempnittatibus precavere, volentes de premissis plenius informari, fraternitatis tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus per te vel alium seu alios de utrisque possessionibus predictis earumque conditionibus et valoribus ac quantum et qualiter supradicti monasterii conditio fieret ex eadem permutatione melior aliisque circumstantiis que circa talia debent attendi solerter, non obstantibus quibuscumque super predictis per nos alias factis, veritatem summarie simpliciter et de plano inquirens, nobis referre fideliter quicquid in hac parte repereris non postponas. Datum X kalendas aprilis, anno quinto decimo. »

4509 23 mars 1331.

Senescallo Provinciae ut quibusdam mercatoribus Romanam sequentibus curiam certas ballas et capsas ad Romanam curiam transferendas in portu Tholonensi ab officialibus Roberti regis Siciliae captas restitui faciat. (Reg. 116, fol. 184 (213) v°, c. 906).

« *Nobili viro Philippo de Sangineto, senescallo regio Provincie.* Sua nobis dilecti — Datum X kalendas aprilis, anno quinto decimo. »

4510 Avignon, 24 mars 1331.

Centullo, comiti Astariaci, et Mathae natae quondam Gastonis de Armaniaco, quod non obstante tertio et quarto gradibus consanguinitatis, matrimonium contrahere possint. (Reg. 116, fol. 35 (63), c. 183 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 53191).

« *Centullo, comiti Astariaci, et Mathe nate quondam Gastonis de Armaniaco, vicecomitis Fezensaguelli.* Etsi conjunctio copule — Datum Avinione, IX kalendas aprilis, anno quinto decimo. »

4511 24 mars 1331.

Petro de Ungula ut Hugoni de Vallibus, fratri Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, non obstante statuto de aliqua commendaria provideat. (Reg. 116, fol. 184 (213), c. 899).

« *Petro de Ungula, priori Tholosano et Sancti Egidii Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani.* Attendentes nuper vite — Datum IX kalendas aprilis, anno quinto decimo. »

4512 Avignon, 25 mars 1331.

Petro Raymundi et Guidoni de Convenis, qui ratione debiti decem millium librarum turonensium parvorum cum quondam Petro episcopo Carcassonensi ratione mutui contracti ostagia personalia Carcassonae tenebantur, ejusdem obligationis terminum a festo Resurrectionis Dominicae proximo futuro usque ad unum annum prorogat. (Reg. 116, fol. 35 (63), c. 184.

« *Petro Raymundi et Guidoni de Convenis, fratribus.* Super eo quod — Datum Avinione, VIII kalendas aprilis, anno quinto decimo. »

4513 26 mars 1331.

Officiali Engolismensi ut Aymericum de Sancto Cirico canonicum Engolismensem ad veniendum apud Sedem Apostolicam infra unius mensis spatium citet. (Reg. 116, fol 12 (40), c. 47).

« *..officiali Engolismensi.* Super certis negotiis — Datum VII kalendas aprilis, anno quinto decimo. »

4514 26 mars 1331.

Regi Franciae nuntiat viagium comitis Juliaci contra Sarracenos regni Granatae differri. (Reg. 116, fol. 31 (59), c. 154).

« *Regi Francie.* Celsitudinis regie iteratas recepimus litteras ut dilectum filium spectabilem virum Willelmum, comitem Juliaci, qui contra Sarracenos regni Granate cum gente armigera isto vere presenti disposuerat proficisci, deberemus inducere ut usque ad tempus vernale subsequens iter istud differre deberet, denegando sibi indulgentias et alias gratias apostolicas quas idem comes occasione predicta duceret postulandas. Nos autem in [presentia] duorum ex fratribus nostris cardinalium eidem comiti in nostra presencia constituto votum regium circa dilationem hujusmodi, quodque regia providentia sperabat in Domino dilationem hujusmodi dicto negocio profuturam, necnon quod tenebat indubie tua regia providentia quod carissimus in Christo filius noster Alfonsus, rex Aragonum illustris, cui tu, fili, super dilatione predicta viagii supradicti scripseras, votis tuis annueret, sedule duximus exponendum, suadentes eidem ut se votis regiis super dilatione hujusmodi conformaret. Ipse vero nobis ad premissa respondit quod tu, fili carissime, super hiis sibi locutus fueras excusationesque suas admittens, eidem pro prosecutione dicti negocii oportunas regias litteras duxeras concedendas, subjungens quod pro itinere isto expensas multas fecerat, illicque pro munitionibus faciendis gentem suam jam miserat et usque huc prosecutus iter suum fuerat et pro futuro tempore multipliciter a suo proposito poterat impediri. Sane post premissa, die videlicet Ramis Palmarum, prefatus comes recepit litteras per quas sibi contramandabat prefatus rex Aragonum viagium antedictum, propter quas retrocedere ipse comes disposuit a viagio antedicto. Virum nobilem Johannem de Hanonia non vidimus, et ideo nil diximus sibi. Licet autem a nonnullis nobilibus regni Francie super concedenda eis indulgentia pro dicto peragendo viagio instanter nobis fuerit supplicatum, hujusmodi tamen eorum supplicationibus non duximus annuendum. Datum VII kalendas aprilis, anno quinto decimo. »

4515 26 mars 1331.

Abbati monasterii de Corona ut Arnaldum Peonis, priorem majorem ejus monasterii, quem captum detinet Apostolicae Sedi transmittat. (Reg. 116, fol. 12 (40), c. 48).

« *..abbati monasterii de Corona, ordinis sancti Augustini, Engolismensis diocesis.* Volentes dilectum filium — Datum ut supra [VII kalendas aprilis, anno quinto decimo]. »

4516 26 mars 1331.

Officiali Grassensi ut Trigansam et Guillelmum Augerii clericos in suis carceribus detentos ad Curiam mittat non obstante quocumque mandato per curiam Ebredunensem emisso. (Reg. 116, fol. 177 (206) v°, c. 860).

« *..officiali Grassensi.* Cum velimus certis — Datum VII kalendas aprilis, anno quinto decimo. »

4517 27 mars 1331.

Rostagno de Sabrano indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218), p. c. 951).

« In e.m. (1) dilecto filio nobili viro Rostagno de Sabrano condomino de Turre, domicello Aquensis diocesis. Datum VI kalendas aprilis, anno quinto decimo. »

4518 31 mars 1331.

Astorgio de Campomulo subdiacono gratiam de non suscipiendo majores ordines ad aliud triennium prorogat. (Reg. 116, fol. 17 (45), c. 68 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 53206).

« *Astorgio de Campomulo, rectori parrochialis ecclesie Sancti Laurentii de Cunhalibus, Tholosane diocesis.* Obsequiose devotionis merita — Datum II kalendas aprilis, anno quinto decimo. »

4519 Avignon, 31 mars 1331.

Berengarium Guidonis unum de quatuor capellanis capellae novae Beatae Mariae de Novis, Avinionensis

(1) Cf. n. 4317.

diocesis instituit. (Reg. 116, fol. 178 (207), c. 864; Reg. 98, fol. 13, c. 28; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54792 à 54795).

« *Berengario Guidonis, presbitero, capellano capelle nove Beate Marie de Novis, Avinionensis diocesis.* Meritis tue probitatis — Datum Avinione, II kalendas aprilis, anno quinto decimo. »

In e. m. Berengario Cotaroni.

In e. m. Raymundo Lamberti.

In e. m. Raymundo Vilanius.

4520 1er avril 1331.

Regi Franciae, de receptione comitum de Salabrug et de Linianges, regis Bohemiae nuntiorum. (Reg. 116, fol. 30 (58) v°, c. 152; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 503, n. 1450).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Cum sicut pridem regie scripsimus celsitudini carissimus in Christo filius noster rex Boemie illustris frequenter nobis significasset quod suos ad nos intendebat nuncios destinare, ecce quod die Cene dominice proxime preterita dilecti filii nobiles viri de Salabrug et de Linnianges comites in nostra comparuerunt presentia, nobis ejusdem regis litteras credentie offerentes. Cumque occupati nunc usque circa divina illos audire adhuc plene nequiverimus, intendimus tamen amodo vacare super hoc et explicanda per eos providentie regie celeriter intimare. Datum kalendis aprilis, anno quinto decimo. »

4521 Avignon, 1er avril 1331.

Reservationem fructuum primi anni omnium beneficiorum vacantium in provincia Arelatensi a nonis praesentis mensis aprilis usque ad unum annum extendens, personis ecclesiasticis ejusdens provinciae mandat ut eosdem fructus collectoribus assignent. (Reg. 116, fol. 165 (192) v°, c. 808).

« *Venerabilibus fratribus.. archiepiscopo Arelatensi ejusque suffraganeis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis, archipresbiteris, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis ipsorumque vices gerentibus, capitulis quoque, conventibus ceterisque personis ecclesiasticis religiosis et secularibus exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Premostratensis, Grandimontensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum, necnon Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, beate Marie Theutonicorum et Calatravensis magistris, prioribus et preceptoribus per civitatem, diocesim et provinciam Arelatenses constitutis.* Dudum ad relevandum — Datum Avinione, kalendis aprilis, anno quinto decimo. »

4522 Avignon, 1er avril 1331.

Raymundo de Moreriis et Geraldo de Laneis ut praedictos fructus colligant. (Reg. 116, fol. 166 (193), c. 809).

« *Raymundo de Moreriis, preposito, et Geraldo de Laneis, infirmario ecclesie Arelatensis.* Dudum ad relevandum — Datum ut supra. »

4523 Avignon, 1er avril 1331.

Clero provinciae Ebredunensis de reservatione fructuum beneficiorum. (Reg. 116, fol. 166 (193), p. c. 809).

« In e. m. (1) archiepiscopo Ebredunensi ».

4524 Avignon, 1er avril 1331.

Hugonem de Mandagoto et Raymundum Baboti collectores in eadem Ebredunensi provincia constituit. (Reg. 116, fol. 166 (193), c. 810).

« *Hugoni de Mandagoto, preposito, et Raymundo Baboti, archidiacono ecclesie Ebredunensis.* Dudum et cetera — Datum ut supra [Avinione, kalendis aprilis, anno quinto decimo]. »

4525 Avignon, 1er avril 1331.

Clero provinciae Viennensis de reservatione fructuum beneficiorum. (Reg. 116, fol. 166 (193), p. c. 810).

« In e. m. (2) archiepiscopo Viennensi ».

(1) Cf. n. 4521.
(2) *Idem.*

4526 Avignon, 1er avril 1331.

Zachariam de Sancto Juliano et officialem Viennensem collectores in eadem provincia Viennensi constituit. (Reg. 116, fol. 166 (193), c. 811).

« *Dilectis filiis Zacharie de Sancto Juliano, priori secularis ecclesie Sancti Martini Viennensis et.. officiali Viennensi.* Dudum etc.. —. Datum ut supra [Avinione, kalendis aprilis, anno quinto decimo]. »

4527 Avignon, 1er avril 1331.

Clero provinciae Aquensis, de reservatione fructuum beneficiorum. (Reg. 116, fol. 166 (193), p. c. 811).

« In e. m. (1) archiepiscopo Aquensi ».

4528 Avignon, 1er avril 1331.

Hugonem Gaucelmi et Raymundum Naulonis collectores in eadem provincia Aquensi constituit. (Reg. 116, fol. 166 (193), c. 812).

« *Hugoni Gaucelmi, preposito, et Raymundo Naulonis, archidiacono ecclesie Aquensis.* Dudum etc. — Datum ut supra [Avinione, kalendis aprilis, anno quinto decimo] ».

4529 2 avril 1331.

Institutionem monasterii de Belloloco, ordinis Cisterciensis, in civitate Mirapiscensi a Constantia de Fuxo, relicta quondam Johannis de Levis domini Mirapiscensis fundati approbat, ipsumque monasterium eidem ordini incorporat nonnullaque ordinat. (Reg. 116, fol. 154 (181), c. 790).

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Pia Apostolice Sedis benignitas operibus pietatis intentu devotorum petitionibus hiis presertim que divini cultus augmentum et salutem animarum respiciunt eo libentius annuere consuevit quo per hoc obsequium exhibetur Altissimo magis gratum. Sane petitio dilecte in Christo filie nobilis mulieris Constantie de Fuxo, relicte quondam Johannis de Levis domini Mirapiscensis, nobis exhibita continebat quod olim tam ipsa quam vir suus predictus tunc vivens, cupientes terrena in celestia et transitoria in eterna felici commercio commutare, quoddam monasterium in civitate tunc villa Mirapiscensi vocatum monasterium Beate Marie de Belloloco, in quo religiose mulieres collocarentur sub clausura Domino serviture, obtenta diocesani qui tunc erat super hoc licentia fundaverunt de bonis proprii (*sic*) ac etiam dotaverunt, demumque dicta Constantia, dicto viro suo gravi egritudine corporali detento de qua sicut Domino placuit infra modicum tempus decessit, cupiens abbatissam [et] moniales ordinis Cisterciensis in eodem monasterio collocari, generali ipsius ordinis capitulo supplicavit ut dictum monasterium ac abbatissam et moniales predictas procurarent suo incorporare ordini perpetuo ac unire perpetuo procurarent (*sic*). Dictum vero capitulum, intellecta supplicatione hujusmodi, de Bonofonte ac de Calercio ejusdem ordinis monasteriorum Convenarum et Rivensis diocesum abbatibus tunc commisit ut dictum monasterium monialium earundem, decreto tamen diocesani et sui capituli si esset necesse petito primitus et obtento, incorporarent ordini supradicto ita quod moniales essent ibidem incluse perpetuo, et idem abbas de Calercio dicti monasterii pater esset. Cujus quidem permissionis pretextu dictus abbas de Calercio solus in negocio supradicto procedens, non petito nec obtento decreto predicto, ad incorporationem et unionem hujusmodi faciendas processit, abbatissam et conventum sepedicti ordinis creando in eodem monasterio ac etiam collocando. Sed postmodum memorata Constantia, dubitans quod incorporatio et unio predicte que per dictum abbatem de Calercio non petito nec obtento dicto decreto facte fuerant ut premittitur nequaquam fulcirentur de jure, ad nos curavit habere recursum, nobis humiliter supplicando ut easdem incorporationem et unionem ratas habentes et gratas eisdem robur apostolice firmitatis adicere omnemque supplere defectum qui ex causis expressis superius vel quibusvis aliis intervenisset quomodolibet in premissis de potestatis plenitudine, ac abbatisse et conventui ejusdem monasterii sub clausura manentibus quod omnibus privilegiis ordini predicto ab Apostolica Sede

(1) Cf. n. 4521.

concessis gaudere possent plenarie concedere de benignitate apostolica dignaremur. Cumque venerabilis frater noster episcopus et dilecti filii capitulum Mirapiscenses se petitioni hujusmodi opponentes assererent ex incorporatione, unione ac concessione predictis si fierent tam sibi quam ecclesie Mirapiscensi grandia prejudicia generari, nos volentes super hiis plenius informari certis judicibus per nostras certi tenoris litteras dedimus in mandatis ut ipsi vel duo ipsorum per se vel alium seu alios de prejudiciis hujusmodi se informare ac certificare nobisque referre quicquid reperirent super hiis fideliter procurarent. Deinde vero coram duobus ex eisdem judicibus qui super predictis inceperunt procedere per partes easdem quas tangere videbatur negocium hujusmodi aliquamdiu in eisdem partibus litigato, propositisque per partem dictorum episcopi et capituli quibusdam recusationibus et appellationibus ad Sedem Apostolicam interjectis, prefati judices negotium hujusmodi ad Sedem Apostolicam de voluntate ipsarum partium remiserunt. Quare predicta Constantia ad Sedem veniens supradictam nobis humiliter supplicavit ut, cum ipsa sit cum prompta executione parata ecclesie Mirapiscensi predicte de prejudiciis et dampnis [que] propter incorporationem et unionem predictas posset pati satisfacere competenter, dignaremur sublatis litigiosis anfractibus fundationem prelibati monasterii necnon creationem dictarum abbatisse et conventus ac ea que per eas in eodem monasterio acta sunt interim habere rata et grata, prefatumque monasterium incorporare ac unire dicto Cisterciensi ordini et memoratis abbatisse et conventui concedere quod privilegiis gaudere valeant supradictis.

« Subsequenter autem inter episcopum ac quosdam ecclesie predicte canonicos apud Sedem constitutos predictam ex parte una, et ipsam Constantiam necnon procuratorem earundem abbatisse et conventus ex altera tractatu super premissis habito, et retentis certis juribus pro episcopo capitulo et ecclesia Mirapiscensibus predictis sicut inferius continetur, nos supplicationi predicte benignius inclinati easdem fundationem et creationem actaque hujusmodi per abbatissam et conventum easdem rata habemus et grata, supplentes omnem defectum qui quomodolibet intervenerit in eisdem de apostolice plenitudine potestatis ac ea volentes et decernentes obtinere adeo perpetui roboris firmitatem acsi a principio servatis omnibus et adhibitis que circa ea observari et adhiberi debebant rite ac canonice processissent, prelibatumque monasterium eidem ordini Cisterciensi auctoritate apostolica incorporamus perpetuo et unimus, statuentes et etiam concedentes quod amodo abbatissa et conventus ipsius monasterii quas in eodem sub clausura permanere volumus perpetuo sub magisterio et doctrina ipsius ordinis prefatique abbatis de Calercio maneant et gaudeant privilegiis concessis eidem ordini vel imposterum concedendis, hiis tamen que secuntur adjectis super quibus inter eundem episcopum dictamque Constantiam et procuratorem dictarum abbatisse et conventus tractatus intervenisse noscitur specialiter et expresse, videlicet quod abbatissa et conventus predicte que nunc sunt et erunt imposterum decimas et primicias de omnibus bladis et vinis in quibuscumque prediis, terris et vineis tam novalibus quam aliis que ad manus ipsarum et ejusdem monasterii devenerunt quomodolibet hactenus vel devenient imposterum excrescentibus vel que in futurum excrescent solvere integraliter juxta consuetudinem patrie episcopo et capitulo predictis ac aliis ad quos perceptio decimarum et primitiarum in civitate vel diocesi Mirapiscensi spectat seu spectabit teneantur et debeant, fraude et dolo cessantibus quibuscumque, ortolagiis tamen ortorum ipsorum quos propriis sumptibus excolent et hiis que infra clausuram predicti monasterii nunc determinatam et factam excrescent a prestatione hujusmodi decime et primicie dumtaxat exceptis; de nutrimentis vero animalium sine fraude usque ad numerum septingentorum animalium decimam et primiciam minime solvere teneantur, sed si ultra numerum predictum ipsas animalia tenere contingeret, de illis que erunt supra dictum numerum decimam et primiciam juxta locorum in quibus tenebantur infra civitatem et diocesim predictas consuetudinem solvent integre et perfecte. Rursus de funeralibus illorum qui de parrochia ecclesie Mirapiscensis cujuscumque condicionis existant et ubicumque decedant apud eas et monasterium suum elegerint sepulturam, eisdem capitulo et sacriste supradicte ecclesie Mirapiscensis terciam partem fraude cessante absque more dispendio restituere teneantur, et nichilominus defunctorum hujusmodi corpora deferantur ad eamdem Mirapiscensem ecclesiam et eidem presententur primitus, sicut est hactenus fieri consuetum. Preterea volumus ac etiam ordinamus quod quilibet episcopus Mirapiscensis in sua nova creatione unam puellam ydoneam quam

elegerit, servata moderatione infrascripta, possit ponere in monasterio prelibato, quam predicte abbatissa et conventus in monialem teneantur recipere cessante difficultate qualibet et sororem. Item quia monachi et capellani in eodem monasterio residentes consueverunt in festo beati Mauricii cujus vocabulo est eadem Mirapiscensis ecclesia insignita processioni et misse majori que celebrabuntur in ipsa ecclesia interesse, volumus quod hujusmodi consuetudo laudabilis perpetuis temporibus observetur. Hec autem omnia pro episcopo et capitulo ac ecclesia Mirapiscensi predictis ut superius continetur adjecta sic eis volumus esse salva quod per dicta privilegia vel alio quovismodo eisdem super illis vel eorum aliquo minime derogetur, ymo volumus, statuimus, decernimus et auctoritate predicta ordinamus quod predicta privilegia dicto concessa ordini seu eisdem abbatisse et conventui vel etiam concedenda imposterum cujuscumque tenoris existant ad premissa que a prefatis episcopo, capitulo, sacrista et ecclesia Mirapiscensibus retinentur ut premittitur nullatenus extendantur, nec abbatisse conventui et monasterio predictis suffragari valeant quomodolibet contra ea. Rursus cum pro pace dictarum Constancie ac abbatisse et conventus ejusdem monasterii nobis instanter et humiliter fuerit supplicatum ut decem et novem monialium numerum preter abbatissam in eodem monasterio auctoritate predicta deputare et constituere dignaremur, nos attento sicut fidedignorum habet assertio quod pro tot et non pro pluribus facultates ejusdem monasterii suppetant in presenti, hujusmodi supplicationi benignius annuentes volumus, statuimus ac etiam ordinamus quod hujusmodi numerus habeatur in ipso monasterio de cetero perpetuis temporibus et etiam observetur nisi forsan in tantum excrescerent ejusdem monasterii facultates quod pluribus possent sufficere competenter. Siquidem premissis adicimus quod puella quam ibidem ponet in sua nova creatione Mirapiscensis episcopus, ut superius est expressum, recipiatur in loco vacanti si tunc ibidem fuerit locus vacans; alias autem primum locum inibi vacaturum puella ipsa, recepta tamen statim per abbatissam et conventum predictas ad nominationem ejusdem episcopi, expectabit. Nos enim ex tunc irritum decernimus et inane quicquid contra statutum et ordinationem nostram hujusmodi contigerit attemptari. Nulli ergo etc. Datum IIII nonas aprilis, anno quinto decimo.»

4530 3 avril 1331.

Guillelmi episcopi Valentinensis laudabile propositum pacem cum Ademaro de Pictavia faciendi commendat. (Reg. 116, fol. 184 (213) v°, c. 904).

« *Guillelmo, episcopo Valentinensi et Diensi.* Relatione dilecti filii nostri Bertrandi Sancte Marie in Aquiro diaconi cardinalis percepto quod nisi .. tractatores per te ac dilectum filium nobilem virum Ademarum de Pictavia super tractatu mutue pacis assumpti convenire valerent, paratus eras, assumptis tecum quatuor vel pluribus civibus Valentinis quos discretiores et utiliores super negocio pacis hujusmodi reperires, ad nostram presentiam, si predictus nobilis idem faceret, pro ipsius pacis concordia te conferre, nos tuum in hac parte laudabile propositum plurimum in Domino commendantes scire fraternitatem tuam volumus quod gratum nobis existeret admodum et acceptum si premissa que tibi suademus salubriter curaveris adimplere. Nos enim qui pacem ipsam desideranter appetimus, parati erimus intendere sedule circa eam, super quo etiam prefato nobili scribimus, ut ad ipsam venire presentiam non postponat. Datum III nonas aprilis, anno quinto decimo.»

4531 3 avril 1331.

Ademaro de Pictavia de eodem proposito scribit eumque hortatur ut ad Apostolicam Sedem veniat. (Reg. 116, fol. 184 (213) v°, c. 905).

« *Eidem Ademaro.* Cum intelleximus quod venerabilis [frater] noster Guillelmus episcopus Valentinus paratus est nisi tractatores per te ac ipsum super tractatu mutue pacis assumpta convenire valeant ad nostram presentiam [se conferre], si tu, fili, hoc idem feceris, nosque sibi scribimus super hoc ut cum quatuor vel pluribus civibus Valentinis quos discretiores et utiliores super dicte pacis negocio cognoverit ad eandem curet presentiam se conferre, nobilitati tue similiter suademus ut assumptis viris aliquibus providis pacisque hujusmodi zelatoribus ad presentiam eandem accedere non omittas. Nam nos qui pacem ipsam desideranter appetimus parati erimus intendere sedule circa eam. Datum ut supra.»

4532 3 avril 1331.

Petrum Gassini de una capellania perpetua in capella Beatae Mariae de Miraculo in loco de Lestel juxta Avinionem erecta providet. (Reg. 116, fol. 177 (206) v°, c. 861 ; Reg. 98, fol. 7, c. 19 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n° 54796).

« *Petro Gassini, capellano perpetuo capelle Beate Marie de Miraculo Avinionensis.* Probitatis tue meritis — Datum III nonas aprilis, anno quinto decimo. »

4533 3 avril 1331.

Bertrando La Vaysha indulgentiam in articulo mortis in e. m. ac Guillelmo episcopo Biterrensi concedit. Reg. 116, fol. 189 (218), p. c. 951).

« In e. m. (1) Bertrando La Vaysha, monacho ecclesie Tutellensis, ordinis sancti Benedicti. Datum III nonas aprilis, anno quinto decimo. »

4534 3 avril 1331.

Johanni Roardi tabellionatus officium concedit. (Reg. 116, fol. 186 (215) v°, c. 920).

« *Johanni Roardi, clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto, Agathensis diocesis.* Ne contractuum memoria — Datum III nonas aprilis, anno quinto decimo. »

4535 8 avril 1331.

Bertholdo episcopo Argentino de coeptis contra Ludovicum de Bavaria gratias agit, eum ad prosequendum hortatur eique de quadam persona scribit. (Reg. 116, fol. 79 (107) v°, c. 365 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 504, n. 1454a).

« *Bertholdo, episcopo Argentinensi.* Intellectis que tu, frater, una cum venerabili fratre nostro Rodulfo, episcopo Constanciensi, super hiis que nuper utrique vestrum scripsisse meminimus ad obviandum dampnatis Bavari conatibus tam diligenter quam provide ordinasti, ea velut Deo ac nobis grata plurimum et accepta multipliciter in Domino cum gratiarum actionibus commendamus, rogantes fraternitatem vestram attencius et hortantes quatinus cepta laudabiliter una cum eodem episcopo cui similiter rescribimus prosequi laudabiliter in dicto termino ut divinam ac nostram et Apostolice Sedis uberius merearis gratiam non omittas. Sane de persona illa de qua nobis scripsisti tibi ad presens certa rescribere non possumus, sed breviter informati plenius que nobis circa illam occurrerint intendimus nunciare. Datum VI idus aprilis, anno quinto decimo. »

(1) Cf. n. 4317.

4536 9 avril 1331.

Rogerio Bernardi de destructione a gentibus ejus cujusdam pontis et de exactione novi vectigalis in territorio Urgellensis civitatis. (Reg. 116, fol. 38 (66), c. 195).

« *Rogerio Bernardi.* Pro parte venerabilis fratris nostri Arnaldi episcopi et dilectorum filiorum capituli et sindicorum civitatis Urgellensis fuit nuper expositum coram nobis quod gentes tue quendam pontem quem olim jam sprestentis (1) annis elapsis beatus Ermogaudus tunc episcopus Urgellensis ad magnam utilitatem ecclesie et civitatis predictarum et orantium inde transeuntium in territorio ecclesie pia ductus consideratione construxit dudum non absque magnis ecclesie ac civitatis et subditorum ipsius ecclesie itinerantiumque predictorum dampnis et prejudiciis ac plurimorum scandalis te mandante seu ratum habente diruerunt ac etiam destruxerunt, itinerantes transire per viam aliam insolitam compellentes, et ulterius excessus cumulantes excessibus in quadam turri quam ibidem de novo in prejudicium ecclesie memorate construunt a transeuntibus, tam ab (2) ecclesie prelibate subditis quam aliis, novum vectigal exigere moliuntur, penasque generales processus Sedis Apostolice que consueverunt certis solennitatibus publicari contra illos inflictas qui nova imposunt pedagia in suarum animarum salutis dispendium non verentes. Cum autem premissa que, si vera sunt, tuis saluti obviant et honori absque Dei offensa et injuria proximi ne-

(1) *Sic.*
(2) Reg. : *a.*

queant tolerari, nobilitatem tuam attente rogamus, monemus et in Domino attentius exhortamur quatinus, premissis consideranter attentis sanoque ac salubri super predictis adhibito consilio, gravamina et injurias hujusmodi taliter facias revocari ecclesie ac civitati et aliis dampnum pacis (*sic*), satisfactione nichilominus prestita condecenti et offensa vitata divina, [ut]tua debeat prudentia commendari et aliud adhibere in hac parte remedium non sit opus. Datum V idus aprilis, anno quinto decimo. »

4537 9 avril 1331.

Aymerico de Martello indulgentiam in articulo mortis in e. m. ac Guillelmo episcopo Biterrensi concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218), p. c. 951 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 53299).

« In e. m. (1) Aymerico de Martello, Lemovicensis diocesis, familiari nostro. Datum V idus aprilis, anno quinto decimo. »

4538 Avignon, 12 avril 1331.

Episcopo Virdunensi oppressionibus quorundam nobilium resistere nequienti, facultatem concedit regem Franciae ut protectorem eligendi. (Reg. 116, fol. 71 (99) v°, c. 332 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 504, n. 1455 ; Sauerland, *Quellen zur lothringischen Geschichte*, t. I, p. 298, n. 653).

« *Henrico, episcopo Virdunensi.* Nuper nobis per litteras tuas significare curasti quod propter oppressiones, invasiones et injurias que a quibusdam nobilibus et potentibus illarum partium, quibus commode nequis resistere, tibi et ecclesie tue super feudis, bonis, castris et juribus ac juridictionibus ad dictam ecclesiam spectantibus irrogate sunt hactenus et jugiter inferuntur, ob urgentem necessitatem et evidentem utilitatem tuam et dicte ecclesie cum carissimo in Christo filio nostro Philippo, rege Francorum illustri, habuisti tractatum de recipiendo eundem regem in protectorem tuum dicteque ecclesie ac civitatis Virdunensis necnon feudorum, castrorum, bonorum, jurium et jurisdictionum predictorum sub certa forma in dictis tuis litteris expressata. Verum quia id tibi prohibitione juris obstante facere non licebat ad nos super hoc devote recurrens, nobis humiliter supplicasti ut tibi faciendi premissa oportunam licentiam concedere dignaremur. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, fraternitati tue si, deliberatione prehabita cum aliquibus canonicis ejusdem ecclesie et aliis discretis viris diligentibus utilitatem et honorem ejusdem ecclesie et habentibus [noticiam] de predictis, videris utilitatem evidentem seu necessitatem urgentem ipsius ecclesie protectionem hujusmodi postulare, super quibus tuam conscientiam oneramus, eundem regem in protectorem et gardiatorem ac defensorem ecclesie ac civitatis necnon feudorum, castrorum, bonorum, jurium et jurisdictionum predictorum eligendi, recipiendi et assumendi imperpetuum vel ad tempus dictoque regi recipiendi a te et exercendi hujusmodi gardiam, non obstante Lugdunensis consilii et aliis quibuscunque constitutionibus a Romanis pontificibus predecessoribus nostris in contrarium editis seu si forse capitulum tuum (1) ejusdem ecclesie non consentiat supradictis, auctoritate apostolica plenam et liberam tenore presentium concedimus libertatem. Nulli ergo etc.... Datum Avinione, II idus aprilis, anno quinto decimo. »

(1) Cf. n° 4317.

4539 Avignon, 12 avril 1331.

Episcopo Parisiensi ut contra Hertaudum, abbatem monasterii Virgiliacensis, et Johannem Alberici, fratrem ordinis Praedicatorum, et nonnullas alias personas ecclesiasticas regni Franciae de crimine laesae majestatis suspectas veritatem inquirat et contra eos usque ad captionem personarum procedat. (Reg. 116, fol. 14 (42) v°, c. 58 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 53358).

« *Hugoni, episcopo Parisiensi.* Viros maleficos humani generis quodam modo inimicos eo ferventius persequi debet auctoritas presidentis quo periculosius saluti publice parantes (2) insidias etiam pulsare non metuunt multis maleficiis regiam dignitatem. Hinc est quod nos carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris conquestione permoti et supplicationibus inclinati, fraternitatem

(1) *Sic.*
(2) Reg. : *parentes.*

tuam, de cujus circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam gerimus, contra Bertrandum, abbatem monasterii Virgiliacensis, ordinis sancti Benedicti, Eduensis diocesis, Johannem Alberici, fratrem ordinis Predicatorum, et nonnullas alias personas ecclesiasticas seculares et regulares in regno Francie degentes seu ecclesiastica in eodem beneficia obtinentes, etiam si fuerint in dignitatibus constitute, tibi per dictum regem nominandas super quibusdam earum maleficiis et excessibus, que adversus ipsius regis et curie sue personas commisisse dicuntur, crimen lese majestatis in eundem propterea perpetrando, inquirendi auctoritate nostra simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii ac contra eos et eorum singulos juxta statuta canonum, etiam ad captionem personarum procedendi super premissis et faciendo eos in certo carcere sicut expedire videris detineri, necnon questionibus subici prout a canonibus est permissum, et alias faciendi contra eos super predictis quicquid justicia suadebit, necnon contradictores per censuram ecclesiasticam compescendi, non obstantibus quibuscunque privilegiis eis vel eorum alicui communiter vel divisim ab Apostolica Sede concessis seu felicis recordationis Bonifacii pape VIII predecessoris nostri, qua cavetur ne aliquis nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad judicium evocetur seu de duabus dietis in consilio generali, et aliis quibuscumque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus editis, per que tue in hac parte jurisdictionis explicatio vel potestas posset quomodolibet impediri, etiam si de illis de verbo ad verbum ac personis predictis earum ordinibus et nominibus propriis specialem oporteat presentibus fieri mentionem, plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Datum Avinione, II idus aprilis, anno quinto decimo. »

4540 Avignon, 13 avril 1331.

Geraldo de Bisturre et Johanni de Arpadella ut ea quae Geraldus de Capmulo, cantor ecclesiae Parisiensis, ad exigendas rationes ab administratoribus beneficiorum quondam Philippi de Majoricis in partibus gallicanis deputatus morteque praeventus facere nequivit compleant. (Reg. 116, fol. 12 (40), c. 49).

« *Geraldo de Bisturre, decano Andegavensi, et Johanni de Arpadella, archidiacono Brie, Parisiensis diocesis.* Dudum ad noticiam — Datum Avinione, idibus aprilis, anno quinto decimo. »

4541 13 avril 1331.

Vesiano de Montealto testandi facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 188 (217) v°, c. 941).

« *Vesiano de Montealto, canonico Ruthenensi.* Quia presentis vite — Datum idibus aprilis, anno quinto decimoi. »

4542 13 avril 1331.

Vesiano de Montealto indulgentiam in articulo mortis in e. m. ac Guillelmo episcopo Biterrensi concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218), p. c. 951).

« In e. m. (1) Vesiano de Montealto, canonico Ruthenensi. Datum idibus aprilis, anno quinto decimo. »

4543 22 avril 1331.

Domino de Insula, de reconciliatione procuranda inter Bertrandum primogenitum suum et Guillelmum episcopum Convenarum, regis consiliarium. (Reg. 116, fol. 38 (66) v°, c. 196).

« *Domino de Insula.* Nobilitatem tuam audivisse supponimus gravem injuriam venerabili fratri nostro Guillelmo episcopo Convenarum, regio consiliario, redeunti de curia regia per quendam militem dilecti filii nobilis viri Bertrandi primogeniti tui in itinere publico, eodem presente et ut fertur etiam consenciente primogenito, irrogatam. Profecto si veritas suffragetur relatibus, magna fuit consideratis circumstantiis et detestanda dicta temeritas, et quod eventus periculosos nisi occurratur provide pariat est non immerito formidandum. Quare providentiam tuam rogamus attentius, sano nichilominus eidem consilio suadentes quatinus displicentiam talem ex hoc ostendere sicque blande ac curialiter prefatum episcopum super hiis alloqui ac reconsiliari dictum primogenitum eidem studeas quod, rancore et turbatione conceptis

(1) Cf. n° 4317.

per eum ex injuria predicta depositis, dictis periculis obvietur, suasioni subjungentes hujusmodi ut episcopum ipsum domestice tractare amplius cures solito quia in multis ejus attractio tibi et tuis ut speramus fructuosa existere poterit et ejus elongatio esse posset quod absit in pluribus tediosa. Datum X kalendas maii, anno quinto decimo.»

4544 23 avril 1331.

Archiepiscopo Rothomagensi ut se interponat ad auferendum manum regiam super jurisdictione trium partium castri Sancti Laurentii de Arboribus positam. (Reg. 116, fol. 31 (59), c. 156).

« *Petro, archiepiscopo Rothomagensi.* Cum, sicut accepimus, dilectus filius Petrus de Provilla, clericus regius, asserens se una cum dilecto filio nobili viro senescallo Bellicadri mandatum habere regium recipiendi financias pro hiis que in senescallia Bellicadri fuerant per ecclesias a certis citra temporibus acquisita, tres partes jurisdictionis castri Sancti Laurentii de Arboribus, Avinionensis diocesis, ad ecclesiam Avinionensem cum omnimoda jurisdictione alta et bassa ac mero et mixto imperio pertinentis, per eandem ecclesiam a quodam nobili qui tam ipse quam predecessores eas ab ipsa ecclesia sub recognitione et homagio tanquam ejus vassalli per tempora de quorum contrario memoria hominum non existit tenuerant acquisitas, quarumque superioritatem ecclesia ipsa nunquam ab aliquo recognovit, nuper apposita ibidem regiorum servientum saysina bona ecclesie predicte consumentium ad manum regiam absque cause cognitione aliqua nec facta fide de mandato suo, quamvis per gentes ejusdem ecclesie instanter fuerit requisitus, posuerit, in magnum memorate ecclesie prejudicium, pro sue libito voluntatis, fraternitatem tuam attentius deprecamur quatinus, ut premissa sic attemptata indebite revocentur per curiam regiam, celeriter tue partes solicitudinis efficaciter interponas, ita quod inde tuam debeamus solicitudinem cum gratiarum actionibus commendare. Datum IX kalendas maii, anno quinto decimo.»

Item sic in e. m. magistro Guillelmo de Sancta Maura, decano ecclesie Turonensis, cancellario Francie, verbis competentbus mutatis. Datum ut supra.

4545 23 avril 1331.

Archiepiscopo Rothomagensi, de restitutione pecuniae provenientis de bonibus Amanevi quondam archiepiscopi Auxitani, et violenter ab Alfonso de Malopodio clerico regio captae. (Reg. 116, fol. 31 (59) v°, c. 157).

« *Eidem archiepiscopo* [*Rothomagensi*]. Nuper extitit nostre Camere nunciatum quod, cum certa pecunie summa esset de bonis et debitis bone memorie Amanevi, archiepiscopi Auxitani, dispositioni nostre certis causis rationabilibus reservatis per gentes nostras in partibus Tholosanis collecta, Alfonsus de Malopodio, clericus regius, asserens prefatum archiepiscopum olim cuidam judeo fuisse in certa summa pecunie obligatum seque potestatem habere a curia regia exigendi in illis partibus bona et debita judeorum, pecuniam collectam hujusmodi predicteque Camere usibus aplicatam ceperit violenter, eisdem gentibus coram eo proponentibus quod a triginta annis citra nulla talis facta fuerat obligatio seque probaturis offerentibus supradictum.. archiepiscopum, si predicto judeo unquam obligatus in aliquo fuerat, jamdudum exinde satisfactionem impendisse plenariam non auditis, sed eis potius vel eorum familiaribus illatis per eundem clericum injuriis et offensis. Quocirca fraternitatem tuam rogamus attente quatinus ut tollantur impedimenta in eisdem pecuniis apposita et illa revocentur gravamina, sic operam adhibere studeas efficacem quod exinde nostram et Apostolice Sedis gratiam uberius consequaris. Datum ut supra [IX kalendas maii, anno quinto decimo].»

Item in e.m. dicto cancellario [regis Francie].

4546 23 avril 1331.

Hugoni de Engolisma, archidiacono Cantuariensi, mandat ut quasdam litteras regi et reginae Franciae, archiepiscopo Rothomagensi et cancellario Franciae praesentet. (Reg. 116, fol. 31 (59) v°, c. 158).

« *Magistro Hugoni de Engolisma, archidiacono Cantuariensi.* Super negotiis expressis in cedula presentibus interclusa, venerabili fratri nostro Petro, archiepiscopo Rothomagensi, et dilecto filio magistro Guillelmo de Sancta Maura, decano ecclesie Turonensis, carissimi in Christo filii nostri

Philippi regis Francie illustris cancellario, necnon et eidem regi ac carissime in Christo filie nostre Johanne, regine Francie illustri, scribimus, sicut in eadem cedula plenius continetur. Quare super expeditione negociorum ipsorum, intellectis diligentius contentis in eadem cedula et informatione quam tibi super hiis Camera nostra mittit, laborare sedule non omittas, litteras quas regi et regine predictis ut premittitur destinamus si expedire videris et non alias presentando. Datum ut supra [IX kalendas maii, anno quinto decimo].»

4547 23 avril 1331.

Regi Franciae negocia quae Hugo de Engolisma archidiaconus Cantuariensis in regali curia expedire habet commendat. (Reg. 116, fol. 32 (60) v°, c. 159).

« *Philippo, regi Francie.* Cum dilectus filius — Datum IX kalendas maii, anno quinto decimo.»
In e. m. Johanne, regine Francie.

4548 23 avril 1331.

Aymerigae dominae de Anglario indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218), p. c. 956).

« In e. m. (1) Aymerige domine de Anglariis, Caturcensis diocesis. Datum IX kalendas maii, anno quinto decimo.»

4549 Avignon, 24 avril 1331.

Regi Franciae, ut magistrum Helionum de Villanova proxime transfretaturum commendatum habeat. (Reg. 116, fol. 32 (60), c. 162).

« *Philippo, regi Francie.* A regali non credimus memoria excidisse quomodo dudum dilectus filius Helionus de Villanova, magister Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, in instanti mense augusti disposuerit transfretare, ad quod sic sedulam adhibuit diligentiam et adhibere non cessat continue quod sperat, auxiliante Domino, ad Dei gloriam consolationemque fidelium illarum partium dispositionem hujusmodi adimplere. Sane, licet dictus magister, antequam iter hujusmodi transfretandi arriperet, visitare regiam excellentiam eique reverentiam exhibere debitam intensis desideriis affectaret, quia tamen corporis ejus debilitas, quam infirmitas qua fuit afflictus graviter dereliquit, brevitasque temporis ac magnitudo negocii quod ejus jugem diligentiam requirit et postulat suis satisfieri desideriis in hac parte non sinunt, benivolentiam rogamus attentius regiam quatinus ipsum habere velit super hoc excusatum; adhuc quia tam dictus magister quam ejus ordo presensque passagium egere admodum regio favore noscuntur, preces precibus cumulamus ut in hiis que ipse magister a regia magnificentia postulabit secundum quod eam decere ipsisque expedire viderit se exhibeat regalis sublimitas liberalem. Datum Avinione, VIII kalendas maii, anno quinto decimo.»

(1) Cf. n. 4498.

4550 24 avril 1331.

Johannem ducem Britaniae iterum rogat ut procuratorem Aymerici de Martello ad homagium praestandum favorabiliter recipiat. (Reg. 116, fol. 32 (60) v°, c. 167).

« *Johanni, duci Britannie.* Rogasse dudum nobilitatem — Datum VIII kalendas maii, anno quinto decimo.»

4551 24 avril 1331.

Guillelmo de Soleriis ejusque uxori indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218) v°, p. c. 955).

« In e. m. (1) Guillelmo de Soleriis et Vierne, ejus uxori, Tholosane diocesis. Datum VIII kalendas maii, anno quinto decimo.»

4552 29 avril 1331.

Episcopo Valentinensi ut Sibiliae vicecomitissae de Castronovo ad quaedam munimenta recuperanda assistat. (Reg. 116, fol. 184 (213), c. 897).

(1) Cf. n. 4497.

« *Episcopo Valentinensi.* Cum sicut pro parte dilecte in Christo filie nobilis mulieris Sibilie, vicecomitisse de Castronovo, nobis pridem extitit nunciatum, nonnulli in diocesi tua constituti habeant [occupata] quedam munimenta ad dictam vicecomitissam spectantia quibus noscitur pro conservatione jurium que in quibusdam castris se habere asserit plurimum indigere, fraternitatem tuam rogamus quatinus tutores seu actores dicte vicecomitisse que adhuc pupilla existit habens favorabiliter commendatos, circa recuperationem dictorum munimentorum et instrumentorum ac processuum ad ea spectantium apud quoscumque existant velis efficaciter interponere solicitudinis tue partes. Datum III kalendas maii, anno quinto decimo. »

4553 Avignon, 1er mai 1331.

Cancellario ecclesiae Parisiensis ut Heliam de Nabunali, ordinis fratrum Minorum, ad honorem magisterii in theologia promoveat. (Reg. 116, fol. 12 (40) v°, c. 50).

« ..*cancellario ecclesie Parisiensis.* Perduxit ad nos — Datum Avinione, kalendis maii, anno quinto decimo. »

4554 Avignon, 2 mai 1331.

Johanni Bertrandi ut Petrum abbatem monasterii de Menaco, ordinis sancti Benedicti, Claromontensis diocesis, ad restituendos fructus prioratus de Bellanavia, ejusdem ordinis, Bituricensis diocesis, dispositioni apostolicae reservati, hortetur, alias eum ad comparendum infra certum terminum in Romana curia citet. (Reg. 116, fol. 12 (40) v°, c. 51).

« *Magistro Johanni Bertrandi, canonico Bituricensi, Apostolice Sedis nuncio.* Etsi nobis et — Datum Avinione, VI nonas maii, anno quinto decimo. »

4555 6 mai 1331.

Raymundo Boerii testandi facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 188 (217) v°, p. c. 941).

« In e. m. (1) magistro Raymundo Boerii. Datum II nonas maii, anno quinto decimo. »

(1) Cf. n. 4541.

4556 6 mai 1331.

Eidem indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218), p. c. 951).

« In e. m. (1) magistro Raymundo Boerii, rectori ecclesie Sancti Martini de Valleta, Castrensis diocesis. Datum II nonas maii, anno quinto decimo.»

4557 7 mai 1331.

Ecclesiis de Usesta, Vasatensis, et de Vinhandraldo Burdegalensis diocesum cedat ecclesiam ruralem de Bassero et decimas ecclesiarum de Capella, de Boseto et de Petracava, Carcassonensis, Caturcensis et Lectorensis diocesum. (Reg. 116, fol. 35 (63) v°, c. 185).

« *Ad futuram rei memoriam.* Romane matris Ecclesie copiosa benignitas devotorum filiorum necessitates pietate materna considerans ad eas prout in Deo expedire conspicit relevandas adhibere sedule diligentie studia propicia consuevit. Dudum siquidem ex parte dilectorum filiorum capitulorum Beate Marie de Usesta et Sancti Martini de Vinhandraldo ecclesiarum Vasatensis et Burdegalensis diocesum propositum extitit coram nobis quod olim felicis recordationis Clemens papa V predecessor noster eisdem ecclesiis per eum prius auctoritate apostolica in collegiatas erectis prioratum de Vernosolis, tunc ordinis sancti Benedicti Tholosane diocesis, et nonnullos temporales redditus et proventus quos ad hoc certis modis licitis acquiri fecerat dictis ecclesiis pro dote ipsarum eadem auctoritate dedit et concessit, annexuit et univit, quodque prefati capitula, post unionem et concessionem et annexationem hujusmodi, prioratum et redditus et proventus predictos et episcopus Tholosanus, qui tunc erat antequam ecclesia Tholosana esset in archiepiscopalem erecta, certa decimaria Tholosane diocesis ad Tholosanam tunc episcopalem mensam spectantia, de quibus provenire dicuntur communiter mille quartones frumenti ad mensuram Tholosanam valentes duo milia librarum parvorum turonensium extimatione communi, de consensu dilectorum filiorum prepositi et ..capituli ejusdem ecclesie Tholosane invicem canonice permutarunt. Et licet prioratus, redditus et proventus hujusmodi ad mensam et decimaria

(2) Cf. n. 4317.

predicta ad ecclesias de Usesta et de Vinhadrando prefatas ex hujusmodi permutatione pervenerint et idem episcopus prioratus ac proventuum et redditum ipsorum pro dicta mensa dictique capitula decimariorum predictorum nomine dictarum de Useta et de Vinhandrando ecclesiarum corporalem possessionem adepti eadem pacifice possederint aliquibus temporibus et quiete, sicut tunc etiam possidebant, tamen, post divisionem tunc episcopatus Tholosani ad divini cultus augmentum et animarum salutem in plures dioceses et creationes plurium tam cathedralium quam collegiatarum ecclesiarum per nos factas ibidem, certi commissarii ad limitandum predictas dioceses et bona dicte mense alienata repetenda per nostras certi tenoris litteras deputati decimaria supradicta ad manum nostram recipere curaverunt, que demum tam Montisalbanensi et Lombariensi quam collegiate Sancti Stephani de Thescone Montisalbanensis ecclesiis extiterunt per nos in earum fulcimentum dotium assignata. Cum autem postmodum dictis capitulis super assignatione hujusmodi quam in eorum et ecclesiarum suarum predictarum asserebant prejudicium esse factam conquerentibus coram nobis et super hoc sibi supplicantibus provideri, nos dictum prioratum de Vernosolis qui ut premittitur ratione dicte permutationis ad prefatam mensam pervenerat pro valore et extimatione sexcentarum librarum turonensium parvorum annui redditus eisdem ecclesiis et capitulis restituerimus et nichilominus de Cinctagavella et Sancti Victoris de Miravalle prioratus, Cluniacensis et sancti Benedicti predicti ordinum, Mirapiscensis et Sancti Papuli diocesum, sub certis modis et formis ex certa scientia auctoritate apostolica duxerimus commendandos, volentes quod fructus, redditus et proventus ipsorum pro trecentis libris dicte monete singulis annis reciperent quousque duceremus super hoc aliter ordinandum, velimusque ecclesiis et capitulis ipsis pro supradictis decimariis que ad summam mille et centum librarum supradicte monete annui redditus dicuntur ascendere recompensationem, ne ipse ecclesie suis dotibus frustrate remaneant, facere condecentem, ecclesiam ruralem Beati Johannis de Bassero necnon de Fontenovo prope Montemalbanum quas bone memorie Petrus episcopus Portuensis ac Beati Petri de Capella et Beate Marie de Boseto necnon Beati Ilarii et Sancti Johannis de Petracava ecclesiarum Carcassonensis, Caturcensis et Lectorensis diocesum decimas quas in beneficia ecclesiastica quondam Archambaldus de Petragoris, Sedis Apostolice capellanus, dum viverent obtinebant, de quibus quidem ecclesia et decimis nullus preter nos disponere potuit neque potest, reservatione de beneficiis ecclesiasticis fratrum nostrorum Sancte Romane Ecclesie cardinalium et capellanorum dicte Sedis ubicumque decedentium tam per nos quam dictum predecessorem nostrum dudum ante vacationem hujusmodi facta generaliter obsistente, cum omnibus juribus et pertinentiis de Usesta et de Vinhandraldo ecclesiis et capitulis supradictis per eos habendas et possidendas perpetuo auctoritate apostolica motu proprio et ex certa scientia concedimus, annexímus et unimus, ita quod ipsi capitula per se vel per procuratorem seu procuratores suos ecclesie ruralis ac decimarum, jurium et pertinentium predictorum possessionem corporalem auctoritate apostolica ingredi, recipere ac retinere libere cujusvis assensu minime requisito ipsorumque fructus, redditus et proventus in eorum et dictarum de Usesta et de Vinhandraldo ecclesiarum utilitatem licite convertere valeant et habere, non obstantibus si aliqui super provisionibus sibi faciendis de ecclesiis et decimis hujusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte Sedis vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas litteras et processus earum auctoritate habitos ad ecclesiam ruralem et decimas predictas volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem ecclesiarum et beneficiorum aliorum prejudicum generari, seu si venerabilibus fratribus nostris.. Carcassonensi,.. Caturcensi et.. Lectorensi vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit Sede indultum quod de ecclesiis vel aliis beneficiis ecclesiaticis quibuscumque ad eorum collationem, provisionem seu presentationem seu quamcumque aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus disponi vel ordinari non possit per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cujusque toto tenore oporteret in nostris litteris specialem fieri mentionem, aut si predicte decime ad mensas quorumcumque venerabilium

fratrum nostrorum episcoporum vel quosvis alios quomodolibet pertinuerint aut etiam pertinerent. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane si secus super hiis a quocunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nostre tamen intentionis existit quod ecclesia ruralis Beati Johannis de Bassero seu redditus et proventus ipsius et decime supradicte cedantur de Usesta et de Vinhandrando ecclesiis et capitulis memoratis in recompensationem predictam pro summa et valore dumtaxat quos per informationem quam inde per alias nostras litteras fieri mandamus annuatim reperte fuerint communi extimatione valere. Nulli ergo etc... Datum nonis maii, anno quinto decimo. »

4558 7 mai 1331.

Episcopo Abrincensi, priori Sanctae Radegundae Pictavensis et cantori Caturcensi ut praedictas litteras ad executionem mandent. (Reg. 116, fol. 36 (64), c. 186).

« *Episcopo Abrincensi, priori seculari Sancte Radegunde Pictavensis et cantori Caturcensis ecclesiarum.* Romane matris Ecclesie, ut supra usque in finem. Quocirca mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios prefatos capitula vel procuratorem seu procuratores eorum suo et dictarum de Usesta et de Vinhandrando ecclesiarum nomine in corporalem possessionem ecclesie ruralis Sancti Johannis de Bassero et decimarum predictarum ac jurium et pertinentiarum ipsarum si necesse fuerit inducatis auctoritate nostra et defendatis inductos, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem facientes sibi de ipsarum ecclesie ruralis et decimarum fructibus, redditibus, juribus, proventibus et obventionibus universis integre responderi, non obstantibus omnibus supradictis aut si predictis episcopis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta Sede indultum existat quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, Contradictores etc. — Datum ut supra [nonis maii anno quinto decimo]. »

4559 9 mai 1331.

Guillelmo de Castronovo indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218) v°, p. c. 951).

« In e. m. (1) nobili viro Guillelmo de Castronovo ... diocesis (*sic*). Datum VII idus maii, anno quinto decimo. »

4560 10 mai 1331.

Guillelmo de Sancta Maura ut unam aliam dignitatem aut personatum vel officium cum aliis suis beneficiis retinere possit concedit. (Reg. 116, fol. 13 (41) v°, c. 53).

« *Guillelmo de Sancta Maura, decano ecclesie Turonensis, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie cancellario.* Exigit sincere devotionis — Datum VI idus maii, anno quinto decimo. »

4561 10 mai 1331.

Guillelmo Cabiroli, de unione ecclesiae de Bassero et quarumdam decimarum cum ecclesiis de Usesta et de Vinhandrando (Reg. 116, fol. 36 (64), c. 187).

« *Guillelmo Cabiroli, canonico Tholonensi, Apostolice Sedis nuncio.* Ex parte dilectorum filiorum capitulorum Beate Marie de Usesta et Sancti Martini de Vinhandrando (2)..... discretione tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus de fructuum, reddituum et proventuum ecclesie ruralis Sancti Johannis et decimarum predictarum per nos eisdem ecclesiis et capitulis ut premittitur unitarum necnon et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum in Montisalbanensi, Lombariensi, Agennensi, Condomiensi, Sarlatensi et Vasatensi diocesibus consistentium tibi nominandorum pro parte capitulorum ipsorum valoribus, conditionibus omnibus aliisque beneficiorum eorumdem circumstantiis universis summarie simpliciter et de plano solerter et fideliter, singulariter videlicet de singulis, te informans, nos de premissis per scripturam publicam quam inde fieri volumus efficere studeas certiores ut de illis vel eorum ali-

(1) Cf. n. 4317.
(2) Cf. n. 4557

quibus per modum unionis aut aliter prout nobis expedire videbitur decens recompensatio usque ad summam expressam superius, inclusis in ea rurali ecclesia et decimis predictis unitis ut premittitur, fieri commode valeat de Usesta et de Vinhandraldo ecclesiis et capitulis antedictis. Datum VI idus maii, anno quinto decimo. »

4562 Avignon, 11 mai 1331.

Egidio Aycelini, de indempnisatione quorumdam mercatorum ratione bladi provenientis episcopatus antea Claromontensis, nunc Sancti Flori. (Reg. 116, fol. 33 (61) , c. 171).

« *Egidio Aycelini, domino de Monteacuto, executori testamenti bone memorie Alberti, episcopi Claromontensis.* Exposuit nobis dilectus filius noster Raymundus tituli Sancti Eusebii presbiter cardinalis quod dudum Sancti Flori et aliis quibusdam ecclesiis ad divini cultus augmentum et animarum salutem per nos in cathedrales erectis ipsoque cardinale tunc abbate monasterii Socilerii, ordinis sancti Benedicti, Agathensis diocesis, prefate (1) eidem Sancti Flori ecclesie in episcopum et pastorem, ac ordinato per nos in consistorio quod episcopi aliarum ecclesiarum in cathedrales tunc ut premittitur erectarum de bonis antiquarum ecclesiarum a quibus excise fuerant ex tunc pro rata temporis in pecunia numerata perciperent summas illas quas finaliter (2) erant de bonis eisdem in situatis redditibus habituri, instante bone memorie Berengario Portuensi episcopo, in eodem consistorio ordinavimus et postea etiam in Camera nostra eidem cardinali concessimus quod ex tunc pertinerent ad ipsum cardinalem illi redditus quos in divisione Claromontensis et Sancti Flori episcopatuum de bonis Claromontensis ecclesia, in cujus diocesis ipsa Sancti Flori ecclesia erecta fuerat, eidem Sancti Flori ecclesie contingeret assignari. Et demum etiam post divisionem eorumdem episcopatuum voluimus et concessimus quod bladum proveniens ex quibusdam ecclesiis, que in divisione predicta de mensa Claromontensis episcopi translate fuerant in mensam episcopi Sancti Flori, quamvis bladum ipsum ante divisionem et translationem hujusmodi per gentes bone memorie Alberti Claromontensis episcopi collectum fuisset, idem cardinalis perciperet et haberet, adjecto tamen quod de redditibus aliis qui ante divisionem eandem in parte sibi assignata ex supradictis ecclesiis vel aliunde provenerant non curaret. Et ut hec deducerentur plenius in effectum, venerabili fratri nostro Bertrando episcopo Ostiensi, tunc tituli Sancti Marcelli presbitero cardinali, mandavimus oraculo vive vocis ut,.. episcopo Claromontensi predicto premissa notificans, memorato cardinali mandaret bladum hujusmodi assignari. Qui quidem Bertrandus veridica relatione percepto quod bladum predictum mediantibus quibusdam mercatoribus ipsius emptoribus ad manus prelibati cardinalis pervenerat, pro parte nostra mandavit..episcopo Claromontensi predicto quod mercatores ipsos de precio dicti bladi et factis inde obligationibus liberaret. Sed quia subsequenter premissis sic pendentibus eodem cardinali ad ecclesiam Sancti Papuli ab ecclesia predicta Sancti Flori cui tunc preerat translato ipsoque ac successore suo in eadem ecclesia Sancti Flori nequaquam vocatis, nos predictorum ordinationis et concessionis immemores de illis nulla habita mentione dicimur ad instantiam dicti Claromontensis episcopi declarasse quod omnes redditus et proventus qui prefatis ecclesiis ante dictam divisionem collecti fuerant eidem Claromontensi episcopo remanere deberent, supradictos mercatores omisit ipse Claromontensis episcopus ab eisdem precio et obligationibus liberare, quinimmo quibusdam suis vel diocesis Claromontensis ecclesie creditoribus cessisse tunc dicitur actionem sibi ad hujusmodi bladi precium competentem. Cumque nunc iidem mercatores, ad tuam, fili, et aliorum executorum testamenti dicti .. Claromontensis episcopi germani tui instantiam, pretextu dicti bladi quod ut prefertur ad manus predicti ..cardinalis devenit, quamvis ipse volens, ut decet, predictos mercatores servare in hac parte indempnes jurare paratus sit et fuerit quod modo premisso sibi per nos dictum bladum concessum extitit, dicantur multipliciter molestari, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attentius quatinus memorato cardinali cui est adhibenda fides in hiis et majoribus juramento super predictis delato sic una cum aliis coexecutoribus tuis providere in hac parte studeas ac etiam ordinare quod ipse merito super hiis debeat contentari, nobis quod circa hec egeris nichilominus rescripturus. Datum Avinione, V idus maii, anno quinto decimo. »

(1) *Sic.* Corr. : *prefecto* ?

(2) Vel : *sententialiter.*

4563 11 mai 1331.

Petro Raymundi Deodati indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218), p. c. 951).

« In e. m. (1) Petro Raymundi Deodati, laico Tholosane diocesis, cursori nostro. Datum V idus maii, anno quinto decimo. »

4564 13 mai 1331.

Bertrando electo Aptensi tempus recipiendi consecrationem usque ad annum prorogat, eique omnia beneficia sua ecclesiastica cum episcopatu Aptensi retinendi facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 177 (206)v°, c. 862).

« *Bertrando, electo Aptensi.* Sincere devotionis affectus — Datum III idus maii, anno quinto decimo. »

4565 13 mai 1331.

Eidem Bertrando quod a quocumque antistite presbyteratus ordinem recipere possit. (Reg. 116, fol. 178 (207) c. 863).

« *Eidem.* Cum nuper Aptensi — Datum ut supra ».

4566 Avignon, 15 mai 1331.

Bertrando episcopo Ostiensi, Apostolicae Sedis legato, quod usque ad triennium archidiaconatum suum Cenomanensem per alium visitare possit. (Reg. 116, fol. 133 (160) v°, c. 663).

« *Eidem episcopo Ostiensi.* Quanto Romanam Ecclesiam — Datum Avinione, idibus maii, anno quinto decimo. »

4567 Avignon, 15 mai 1331.

Abbati de Clayraco, praeposito Avinionensi ac Bernardo de Garvello ut personas a praefato episcopo deputatas recipiant eisque procurationes debitas ministrari faciant. (Reg. 116, fol. 133 (160) v°, c. 664).

(1) Cf. n. 4317.

« *Judicibus : .. abbati monasterii de Clayraco, Agennensis diocesis et ..preposito Avinionensis ac Bernardo de Garvello, canonico Vaurensis ecclesiarum.* Quanto Romanam etc. — Datum ut supra [Avinione, idibus maii, anno quinto decimo]. »

4568 Avignon, 15 mai 1331.

Eidem episcopo similis gratia pro archidiaconatu Lesatensi in ecclesia Tholosana. (Reg. 116, fol. 133 (160) v°, c. 665).

« *Eidem episcopo Ostiensi.* Quanto Romanam etc — Datum ut supra. »

Et fiat executoria : abbati monasterii Sancti Vincentii ac priori Sancti Petri de Cultura monasteriorum Cenomanensium. Datum ut supra [Avinione, idibus maii, anno quinto decimo].

4569 22 mai 1331.

Petro de Narbona, subdiacono, quod ratione suorum beneficiorum ad majores ordines usque ad triennium non teneatur promoveri (Reg. 116, fol. 13 (41) v°, c. 54).

« *Petro de Narbona, abbati secularis ecclesie Sancti Pauli Narbonensis.* Sincere devotionis affectus — Datum XI kalendas junii, anno quinto decimo. »

4570 23 mai 1331.

Johanni comiti Armaniaci qui ad Curiam venire nequit excusationes suas admississe scribit eique de oblatis regratiatur. (Reg. 116, fol. 38 (66) v°, c. 198).

« *Johanni, comiti Armaniaci.* Benigne receptis litteris — Datum X kalendas junii, anno quinto decimo. »

4571 25 mai 1331.

Talayrando, quem intuitu Philippi regis Franciae a vinculo ecclesiae Autissiodorensis absolvens cardinalem creavit mandat ut ad Curiam veniat. (Reg. 116, fol. 13 (41) v°, c. 55).

« *Talayrando, Sacrosancte Romane Ecclesie presbitero cardinali.* Attendentes diversarum sufficientiarum quibus te Largitor bonorum omnium insignivit, necnon et laudabilia testimonia que tibi persone diversorum statuum perhibent et specialiter carissimus in Christo filius noster Philippus, rex Francie illustris, ac ex hiis et aliis que nostrum ad hoc moverunt animum spe concepta quod ad supportanda una nobiscum et cum fratribus nostris Sancte Romane Ecclesie cardinalibus ejusdem Ecclesie onera esse poteris multipliciter oportunus, deliberatione cum fratribus ipsis prehabita diligenti et de ipsorum consilio, te prius absoluto a vinculo quo tenebaris ecclesie Autissiodorensi, cui preeras astrictus, te aggregandum extra (*sic*) cordem cardinalium et in presbiterum cardinalem duximus assumendum. Quocirca discretioni tue per apostolica scipta mandàmus quàtinus onus hujusmodi apostolica dispensatione humeris tuis impositum suscipiens reverenter, ad Sedem Apostolicam studeas quamtotius te conferre, una nobiscum et cum predictis fratribus divinis obsequiis et ejusdem Ecclesie Romane serviciis partes tue solicitudinis impensurus. Datum VIII kalendas junii, anno quinto decimo. »

4572 25 mai 1331.

Regi Franciae nuntiat se Thalarandum Autissiodorensems episcopum in presbyterum cardinalem assumpsisse. (Reg. 116, fol. 32 (60), c. 165).

« *Regi Francie.* Licet cetus venerabilium fratrum nostrorum Sancte Romane Ecclesie numerosa illuminatus (1) multitudine cardinalium omni scientia probatorum et experientia ad regimen universalis Ecclesie oportunus sit adeo insignitus quod augeri nulla necessitas exigebat, sufficientia tamen dilecti filii nostri Thalarandi Sancte Romane Ecclesie presbyteri cardinalis olim episcopi Autisiodorensis attenta ac affectione quam ad eundem gerit excellentia regia in consideratione deducta (2), eidem de ipsorum fratrum consilio cetui duximus aggregandum, ipsum assumentes in presbyterum cardinalem, et ut in veniendo possit expensas habiliter supportare, eidem dictam Autisiodorensem ecclesiam de fratrum eorundem consilio usque ad instans festum Magdalene duximus commendandam; circumspectionem autem regiam volumus non latere quod jam viginti cardinales, de quibus septem decim de regno Francie originem traxisse noscuntur, existunt in collegio memorato. Datum VIII kalendas junii, anno quinto decimo. »

(1) Reg. : *illuminatis.*
(2) Reg. : *deductis.*

4573 26 mai 1331.

Regine Francie, de cardinalium promotione. (Reg. 116, fol. 32 (60), c. 164).

« *Regine Francie.* Excellentiam regiam volumus non latere venerabiles fratres nostros Sancte Romane Ecclesie cardinales, considerantes sacri eorum collegii numerum ac fratrum eorundem sufficientiam utique excellentem, necnon et gravamina que pro eorum necessitatibus ecclesiis oportet inferri, ac tenuitatem eorum proventuum, necnon quod multi principes pro cardinalibus presentialiter insistebant, non est ipsis nec nobis visum expediens quod aggregaretur eorum cetui nisi unus, illum (*sic*) tamen pro quo regia institit magnificentia. In aliis prelationum (1) promotionibus quando se facultas offeret intendimus regie interventionis sufficientieque ipsius intuitu habere propensius commendatam (2). Gratia Domini sit tecum benedictionis et gratie filia que te ad ea que sibi sunt placita inflamet ac dirigat et protegat ab adversis. Amen. Datum VII kalendas junii, anno quinto decimo. »

4574 27 mai 1331.

Generali ministro fratrum ordinis Minorum mandat ut quasdam litteras executioni demandet. (Reg. 116, fol. 32 (60) v°, c. 168).

« *Guillelmo, fratrum ordinis Minorum generali ministro.* Discretioni (3) tue nonnullas nostras dirigimus litteras quas designat rubrica cedule intercluse. Volumus itaque quod illarum attentis

(1) *Sic.* Corr. *prelatorum* ?
(2) *Sic.*
(3) Reg. : *dicretioni.*

tenoribus, eas excutioni studeas provide demandare. Ceterum super aliis que insinuare curavit tua prudentia, tibi rescribet de nostra conscientia venerabilis frater noster B., episcopus Tusculanus. Datum VI kalendas junii, anno quinto decimo.»

4575 Avignon, 30 mai 1331.

Bertoldo, episcopo Argentinensi, absolvendi eos qui Ludovico de Bavaria adhaeserunt facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 69 (97), c. 325).

« *Bertoldo, episcopo Argentinensi.* Cum Illius qui vocare non justos sed peccatores ad penitentiam se venisse testatur vices licet insufficientibus meritis geramus in terris, eis qui relictis peccatis et erroribus ad viam salutis et veritatis gressus suos student dirigere manum libenter porrigimus adjutricem. Sane ad nostri pervenit apostolatus auditum quod nonnulle singulares persone tam ecclesiastice quam seculares, necnon communitates et universitates tuarum civitatis et diocesis, que Ludovico de Bavaria de heresi et scismate sententialiter condempnato ejusque complicibus et sequacibus dampnabiliter adheserunt et incurrerunt propterea excommunicationis et alias diversas spirituales et temporales penas et sententias contra tales generaliter in nostris inde factis processibus promulgatas, nunc divina sic accepimus inspiranti gratia vias suas hujusmodi periculosas utique considerantes attentius et gravia quibus propter premissa subjacere noscuntur pericula rationis apertis oculis cognoscentes, ab adhesione predicta omnino proponant discedere et de cetero penitus abstinere, ad nostra et Sancte matris Ecclesie redire desiderantes contritis et humiliatis cordibus gremium et mandata. Nos autem volentes eis, si vera sit predicta eorum conversio, assistere generose ac de tue fraternitati fidelitate et industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, ut personis singularibus ecclesiasticis et secularibus necnon communitatibus et universitatibus predictis que propter adhesionem predictam easdem penas et sententias incurrerunt et ab eis coram te petierunt humiliter absolutionis sibi beneficium impertiri, possis eisdem hac vice a predictis penis et sententiis de hujusmodi absolutionis beneficio auctoritate nostra juxta formam Ecclesie providere, ac interdicta quibus propter hoc predicte communitates et universitates subjacent suspendere, vel etiam relaxare super irregularitate quam eedem persone ecclesiastice ligate dictis penis et sententiis celebrando divina vel immiscendo se illis, non tamen in contemptum clavium contraxerunt nichilominus, auctoritate dispensandi predicta cum eis et injungendi proinde sibi que de jure videris injungenda eidem fraternitati tue plenam concedimus tenore presentium facultatem, adicientes tamen specialiter et expresse quod persone predicte tam ecclesiastice quam seculares ac communitates et universitates que deinceps prefato Ludovico aut ejus complicibus et sequacibus quamdiu extra gratiam et communionem Ecclesie memorate fuerint sicut nunc existere dinoscuntur adherere, parere, assistere seu prestare per se vel alium seu alios directe vel indirecte publice vel oculte presumpserint auxilium, consilium vel favorem, relabantur in predictas penas et sententias ipso facto prefateque communitates et universitates ex tunc simili subjaceant interdicto. Ceterum volumus quod super omnibus et singulis absolutionibus, dispensationibus, suspensionibus et relaxationibus quas quomodolibet faciendas auctoritate presentium duxeris vel etiam concedendas, confici facias publica instrumenta presentium seriem continentia illa nobis postmodum fideliter transmissurus. Datum Avinione, III kalendas junii, anno quinto decimo.»

4576 1er juin 1331.

Regi Franciae Johannem de Sancta Solingia, secretarium regium, commendat. (Reg. 116, fol. 31 (59) v°, c. 161).

« *Regi Francie.* Dilectum filium magistrum Johannem de Sancta Solingia regium tuum secretarium quem pridem una cum dilecto filio nobili viro B[ernardo] de Mier, milite, familiari nostro, pro explicanda intentione regia tam super promotione dilecti filii nostri Talayrandi, Sancte Romane Ecclesie presbyteri cardinalis, quam nonnullis aliis ad nostram presentiam excellentia regia destinaverat, regie celsitudini expeditum remittimus, cujus in hac parte diligentiam et prudentiam commendamus. Datum kalendis junii, anno quinto decimo.»

4577 1er juin 1331.

Rogerio episcopo Lemovicensi quod ecclesias et cimiteria suae diocesis per aliquem sacerdotem idoneum reconciliare usque ad triennium possit, concedit. (Reg. 116, fol. 15 (43), c. 59).

« *Rogerio, episcopo Lemovicensi* Sincera tue fraternitatis — Datum kalendis junii, anno quinto decimo. »

4578 Avignon, 3 juin 1331.

Executoribus testamenti Mathildis comitissae Atrebatensis mandat ut de magna quantitate pecuniae a praedicta comitissa pro passagio Terrae Sanctae data, assignent mutuo Othoni duci Burgundiae decem millia librarum turonensium parvorum fortium. (Reg. 116, fol. 13 (41) vo, c. 56).

« *Petro de Balma, sacre theologie professori, et Thome de Aynolio, ordinis fratrum Predicatorum, executoribus testamenti quondam Matildis comitisse Atrebatensis et aliis executoribus suis.* Petitio dilecti filii nobilis viri Odonis ducis Burgundie coram nobis proposita continebat quod ipse pro defensione terre sue ac nonnullis aliis inevitabiliter sibi emergentibus habet grandia subire onera expensarum que sic repente ut necessitas exigit absque magno suo detrimento et subditorum suorum gravamine nisi aliunde sibi subveniatur sustinere non potest, adiciens nichilominus quod quondam Mathildis comitissa Atrabatensis, avia dilecte in Christo filie nobilis mulieris Johanne ejusdem ducis uxoris, pia devotione inducta magnam quantitatem pecunie in suo testamento ultimo passagio Terre Sancte legavit, que in certo loco seu locis nostro nomine custoditur. Quare nobis humiliter supplicavit ut eidem pro supportandis utilius oneribus hujusmodi decem milia librarum turonensium parvorum forcium per nos mutuari de summa predicta mandaremus, data prius per eum cautione ydonea de dictis decem milibus librarum competenti tempore restituendis pro voluntate dicte testatricis implenda. Nos igitur, devotionem et fidelitatem quas gerit dictus dux ad Sanctam Dei Ecclesiam et sui progenitores gesserunt diligentius attendentes, ac considerantes attente quod petentibus sibi acomoda et aliis non nociva est faciliter prebendus assensus, quodque premissa possunt absque cujusquam prejudicio adimpleri, ejusdem ducis supplicationibus annuentes discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus vos omnes, qui de modis, conditionibus seu oneribus predicto legato per prefatam testatricem ascriptis nobis ignotis penitus habere potestis certitudinem pleniorem, aut duo vestrum qui hiis interesse poteritis, dicta decem milia librarum turonensium de summa jamdicta memorato duci vel ejus certo procuratori mutuo concedatis, prestito prius et a vobis recepto ab eodem duce seu procuratore suo ad hoc sufficientem potestatem habente in ipsius animam juramento ac fidejussoribus ydoneis litterisque regiis sigillo magno carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris sigillatis, necnon et litteris ducis ipsius quibus se ac successores suos et omnia bona sua efficaciter obliget de dicta summa que sibi mutuabitur in eque forti moneta vobis vel illis ex vobis qui supererit vel vobis deficientibus illis vel illi ad quos dicta executio pertinebit reddenda infallibiliter et restituenda tali tempore illi aut illis de quo vel quibus dicta testatrix disposuit, si superfuerit vel superfuerint, alias illi vel illis de quibus per illos ad quos hujusmodi de jure pertinebit ordinacio ordinatum fuerit, assignetur, quod in usus illos in quos predicta testatrix pecuniam predictam converti disposuit juxta modum et formam ab eadem dispositos eadem summam (1) pecunie integraliter et realiter convertatur. Datum Avinione, III nonas junii, anno quinto decimo. »

4579 4 juin 1331.

Regi Siciliae quod adventum Philippi de Sangineto Provinciae senescalli gratum habet. (Reg. 116, fol. 94 (122) vo, c. 463).

« *Regi Silicie.* Adventus dilecti filii — Datum II nonas junii, anno quinto decimo. »

4580 Avignon, 4 juin 1331.

Pontio de Pratoveteri indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 190 (219), c. 964).

(1) *Sic.*

« *Pontio de Pratoveteri, laico Castrensis diocesis.* Ex tue devotionis — Datum Avinione, II nonas junii, anno quinto decimo. »

4581 5 juin 1331.

Bertrando Rigaudi indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 190 (219), p. c. 964).

« In e. m. (1) pro Bertrando Rigaudi, Albiensis diocesis. Datum nonis junii, anno quinto decimo. »

4582 6 juin 1331.

Guillelmo de Sancta Maura ut negotia Roberti, Montisfrini et Lercii domini, in regia curia expedienda commendata habeat. (Reg. 116, fol. 33 (61) v°, c. 173).

« *Guillelmo de Sancta Maura, regis Francie cancellario.* Cum sicut accepimus — Datum VIII idus junii, anno quinto decimo. »

In e. m. Miloni, domino de Noeriis.

In e. m. Martino de Essartis.

In e. m. Johanni, vicecomiti de Maleduno. Ceterum petitiones pro parte tua nobis exhibitas ad exauditionis gratiam duximus favorabiliter admittendas. Datum ut supra.

4583 8 juin 1331.

Raymundo Juvenis quod fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad triennium, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, percipere possit. (Reg. 116, fol. 15 (43), c. 60).

« *Raymundo Juvenis, scolastico ecclesie Petragoricensis.* Ex tue devotionis — Datum VI idus junii, anno quinto decimo. »

4584 8 juin 1331.

Archidiacono, scolastico et Petro de Mennaco (2), canonico ecclesiae Caturcensis, ut eidem Raymundo praedictos fructus ministrari faciant. (Reg. 116, fol. 15 (43) v°, c. 61).

(1) Cf. n. 4580.
(2) ou *Meimaco* ?

« *..archidiacono et.. scolastico et Petro de Mennaco, canonico ecclesie Caturcensis.* Quocirca discretioni vestre — Datum ut supra. »

4585 8 juin 1331.

Petro de Bavis et Petro de Anglariis administrationem beneficiorum praedicti Raymundi Juvenis gravi morbo percussi, committit. (Reg. 116, fol. 15 (43) v°, c. 62).

« *Petro de Bavis, archidiacono Cambralie in ecclesia Lemovicensi, et Petro de Anglariis, clerico Caturcensis diocesis, juris peritis.* Etsi Sedi Apostolice — Datum ut supra [VI idus junii, anno quinto decimo]. »

4586 8 juin 1331.

Comitem Fuxi, qui ratione quorundam castrorum regem Majoricarum diffidavit, rogat ut viam compromissi acceptet. (Reg. 116, fol. 38 (66), c. 192).

« *Eidem comiti* [*Fuxi*]. Displicenter nimis, fili, percepimus quod tu, occasione quorundam castrorum que carissimus in Christo filius noster Jacobus, rex Majoricarum illustris, possidet queque dilectus filius nobilis vir Rogerius Bernardi, germanus tuus, ad se asserit pertinere, eundem regem via pretermissa justitie viam neque Deo gratam neque tibi licitam eligens diffidasti. Nos itaque, velut illi quibus utriusque animarum cura commissa noscitur, considerantes attente quod per viam istam divinam majestatem offendis, sanguinem tuum persequens, bonaque subditorum dicti regis innocentium prede et vastationi exponis, de quibus omnibus in districto examine te rationem opportebit reddere, hiisque occurrere cupientes nobilitatem tuam rogamus attente ut via (1) premissa per quam incurrere predicta mala nosceris pretermissa ad viam pacis prosequendam te velis convertere, in qua partes nostras apud regem ipsum interponere offerimus nos paratos, et ad quam procurandam ecce nuncium solennem quem ad hoc reputamus ydoneum nos et fratres nostri ordinavimus evestigio destinandum. Acquiesce igitur nostris salutaribus monitis in hac parte, quod si feceris vitabis divinam offensam

(1) Reg. : *a via.*

injuriam sanguinis et proximi lesionem, Deique Sancte Romane Ecclesie ac nostram gratiam promereberis ampliorem. Datum VI idus junii, anno quinto decimo.»

4587 8 juin 1331.

Regi Majoricarum ut discordiae inter eum et comitem Fuxi ortae per viam compromissi finem det. (Reg. 116, fol. 38 (66), c. 193).

« *Regi Majoricarum.* Displicenter nimis audivimus que per dilectum filium nobilem virum G. comitem Fuxi hiis diebus fuere contra celsitudinem regiam attemptata, cui rogando scribimus ut, via hujusmodi pretermissa, per viam aliam fratris sui justciam prosequatur, ad quam procurandam ipsumque a via hujusmodi retrahendum de fratrum nostrorum consilio solennem nuncium e vestigio destinamus. Rogamus itaque excellentiam regiam ut discordiam (1) que potest ex via hujusmodi subsequi consideranter attendens velis a dampnis ferendis subditis dicti comitis abstinere, debeas et adventum nostri nuncii expectare cujus salutaribus monitis prompte circumspectio regia, quesumus, acquiescat. Datum ut supra.»

4588 9 juin 1331.

Bernardo de Podio, subdiacono, quod ratione ecclesiarum de Vilarzello et de Fontemnio ad majores ordines usque ad triennium se facere promoveri non tenetur. (Reg. 116, fol. 16 (44), c. 65).

« *Bernardo de Podio de Vilarzello et de Fontemnio ecclesiarum parrochialum invicem annexarum seu dependentium, Narbonensis diocesis, rectori.* Exigunt tue multiplicia — Datum V idus junii, anno quinto decimo.»

4589 9 juin 1331.

Aymerico de Mustuejolis indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 190 (219), p. c. 964).

« In e. m. (2), mutatis mutandis, Aymerico de Mustuejolis et Berengarie ejus uxori, Ruthenensis diocesis. Datum V idus junii, anno quinto decimo.»

(1) Reg. : *discordia.*
(2) Cf. n. 4580.

4590 10 juin 1331.

Dalmasio de Castronovo indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 190 (209), c. 961).

« *Dalmasio de Castronovo, Elnensis diocesis.* Provenit ex tue — Datum IIII idus junii, anno quinto decimo.»

In e. m. Saurine ejusdem Dalmasii uxori.

4591 11 juin 1331.

Heliono de Villanova magistro Hospitalis concedit licentiam mittendi visitatores infra Terrae Sanctae partes. (Reg. 116, fol. 185 (214), c. 909).

« *Heliono de Villanova, magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani.* Intuentes pie devotionis affectum quem in premium salutis eterne ad sepulcrum dominicum habere dinosceris et per consequens ad negocium Terre Sancte feliciter actore Domino promovendum, honestati congrue (1) novimus ut petitiones in hac parte tuas benigniter admittamus. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati ut usque ad sex personas ad dictum sepulcrum visitationis causa et exploratores alios infra predicte Terre Sancte partes meliori modo quo poteris et tibi expedire videbitur mittere valeas, quibuslibet nostris et Romanorum pontificum predecessorum nostrorum constitutionibus et inhibitionibus in contrarium editis nequaquam obstantibus, tibi hac vice licentiam auctoritate presentium elargimur, dummodo persone et exploratores hujusmodi ad partes illas nulla de jure prohibita deferant vel deferri faciant aut in fraudem alia quecumque committant que in favorem vel profectum inimicorum fidei christiane valeant redundare.. Nulli ergo etc. — Datum III idus junii, anno quinto decimo.»

4592 12 juin 1331.

Jordano de Filiis Ursi, Johannis Sancti Theodori diaconi cardinalis nepoti, quod fructus archidiaconatuum

(1) *Sic.* Corr. *congruere* ?

de Baptizeyo, Constanciensis et de Brabancia, Cameracensis ecclesiarum aliorumque beneficiorum suorum usque ad triennium, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, in absentia percipere possit. (Reg. 116, fol. 15 (43) v°, c. 63 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 53891 ; Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 514, n. 3060).

« *Jordano de Filiis Ursi, archidiacono de Baptizeyo in ecclesia Constanciensi.* Nobilitas generis, honestas — Datum II idus junii, anno quinto decimo. »

4593 12 juin 1331.

Episcopo Paduano, Raynaldo de Filiis Ursi ac Ligo de Urbeveteri ut eidem Jordano praefatos fructus ministrari faciant. (Reg. 116, fol. 16 (44), c. 64 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 53891).

« *Judicibus : ..episcopo Paduano et magistro Raynaldo de Filiis Ursi, archidiacono de Campinia, Leodiensis, ac Ligo de Urbeveteri, canonico Remensis ecclesiarum, capellano nostro.* Nobilitas etc.. — Datum ut supra proxime. »

4594 12 juin 1331.

Regi Majoricarum ut consiliis A. archiepiscopi Aquensis nuntii ad pacem reformandam inter eum, comitem Fuxi et Rogerium Bernardi missi, acquiescat. (Reg. 115, fol. 50 (78) v°, c. 264).

« *Regi Majoricarum.* Dum consideranter attendimus — Datum II idus junii anno quinto decimo. »

4595 12 juin 1331.

Rogerio Bernardi ut monitis archiepiscopi Aquensis, nuntii missi ad pacem procurandam inter eum et regem Majoricarum, acquiescat. (Reg. 116, fol. 37 (65), c. 189).

« *Eidem Rogerio Bernardi.* Displicenter audivimus jus quod in quibusdam castris que carissimus in Christo filius noster Jacobus, rex Majoricarum illustris, possidet asseris te habere non per semitas justicie sed per congressus prosequi bellicos decrevisse. Sane quia viam predictam nec Deo gratam nec tibi expedientem credimus, nobilitatem tuam hortamur et rogamus attente ut illa prorsus omissa per viam justicie que inter dissidentes debet esse media vel tractatus amicabiles velis dissensioni hujusmodi finem dare. Et quia ad hec procuranda venerabilem fratrem nostrum A. archiepiscopum Aquensem ut in proximo de fratrum nostrorum consilio duximus destinandum, nobilitatem tuam rogamus eidem nichilominus sano consilio suadentes ut dissensionum discrimina cogitans et recogitans diligenter, ejusdem archiepiscopi salutaribus monitis acquiescas. Datum II idus junii, anno quinto decimo. »

4596 12 juin 1331.

Comiti Fuxi, de eodem. (Reg. 116, fol. 37 (65) v°, c. 190).

« *Comiti Fuxi.* Displicenter nimis audivimus quod tu, occasione quorundam castrorum que ad dilectum filium nobilem virum Rogerium Bernardi germanum tuum asseris pertinere queque domus Majoricensis quinquaginta annis et ultra ex certis causis contentis in instrumentis super illis confectis dicitur possedisse, carissimum in Christo filium nostrum regem Majoricarum illustrem, asserens ipsum in exheredationem dicti germani tui castra hujusmodi possidere, non obstante quod idem rex, sicut intelleximus, germano tuo prefato obtulerit quod super predictis paratus erat sibi competentem dare judicem qui sibi faceret breve justicie complementum, et ultra hoc sibi dicitur obtulisse quod, si juxta tenorem testamenti bone memorie Sclarmunde, avie sue quondam Majoricarum regine, posset fieri compromissum, paratus erat in potestate bonarum personarum questionem ponere antedictam, tu, fili, nescimus quo seductus consilio eundem regem diceris diffidasse. Nos autem considerantes attente quod rex predictus et tu tanta estis consanguinitate conjuncti quod deberetis vos mutuis fulcire presidiis et favoribus confovere ac illa que pro temporum diversitate contingit emergere quantumcumque gravia quantumcumque difficilia tractatibus ordinare domesticis et familiaribus expediet collocutionibus, non sicut (1) utantur adinvicem adversarii, necnon provide attendentes quod si post

(1) Reg. : *non sic.*

oblationem dicti regis predictam terram dicti regis presumis invadere, ecclesias destruere, incendere domos, exulare pauperes hominumque fundere sanguinem, non est dubium quin graviter offendas Illum qui aufert spiritum principum et adversus te irrites patrem orphanorum et judicem viduarum, quo irato utique non expedit vero quantalibet multitudine dimicare, tantis desiderantes malis occurrere tantisque periculis obviare, nobilitatem tuam exhortandam duximus et rogandam ut hec et alia (1) que tibi ministrabit Dominus in consideratione deductis non viribus sed juribus, non potentia sed justicia que inter dissidentes debet esse media, non gressibus bellicis sed viis pacificis velis exortam dirimi questionem. Ut autem quod in hoc desideramus avidius facilius valeat provenire, venerabilem fratrem nostrum A. archiepiscopum Aquensem, virum utique excellentis scientie probateque experientie ac nobis et nostris acceptum fratribus, ad dicti regis et tuam presentiam destinamus, cujus salutaribus monitis et persuasionibus in hac parte quesumus acquiescas. Sane si quid forsan difficultatis in predictis iniceret hostis pacis quod per ipsum ordinari non posset, offerimus nos paratos si dicto regi ac tibi visum fuerit expedire ad illa tollenda pro viribus interponere solicitudinis nostre partes. Datum ut supra. »

4597 13 juin 1331.

Parrochialem ecclesiam Sancti Nazarii, Caturcensis dicoesis, per mortem Raymundi de Buxeria, rectoris, vacantem, reservat. (Reg. 116, fol. 161 (188) v°, c. 799).

« *Ad futuram rei memoriam.* Cum sicut ad — Datum Avinione, idibus junii, anno quinto decimo. »

4598 13 juin 1331.

Theoderico abbati monasterii Sancti Nicolai in Bosco, ordinis sancti Benedicti, recipiendi in suo monasterio Johannem de Montenantolio, ordinis Minorum, qui ad praedictum ordinem sancti Benedicti se transfert, facultatem concedit, litteras ejusdem abbatis inserens. (Reg. 116, fo. 16 (42) v°, c. 66).

« *Theoderico, abbati monasterii Sancti Nicolai in Bosco, ordinis sancti Benedicti, Laudunensis diocesis.* Romana pia mater Ecclesia de filiorum salute solicita ea libenter concedit devote supplicantibus que suarum commoda respiciunt animarum. Oblate siquidem nobis dilecti filii Johannis de Montenantolio ordinis fratrum Minorum petitionis series continebat quod ipse qui pluribus annis in eodem ordine quem fuit expresse professus sub regulari ejusdem ordinis habitu Domino famulando extitit laudabiliter conversatus, propter certas causas legitimas coram nobis per ipsum expositas in ordine ipso non potest amplius salubriter remanere. Quare nobis humiliter supplicavit ut sue saluti anime paterna solicitudine consulentes eidem se transferendi ad alium ordinem licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur, exhibens nobis nichilominus patentes litteras tuo sigillo ut apparebat prima facie communitas quarum tenorem inseri fecimus presentibus qui est talis :

« Sanctissimo in Christo patri ac domino domino Johanni digna Dei providentia Sacrosancte Romane ac universalis Ecclesie summo pontifici suus humilis et devotus filius et servus Theodericus, monasterii Sancti Nicolai in Bosco, Laudunensis diocesis, ordinis sancti Benedicti abbas licet indignus, cum sui supplici recommendatione devotissima, pedum oscula beatorum. Cum Sapientis dicat auctoritas « qui cum sapientibus graditur sapiens erit », me credo agere salubriter et discrete si probum et sapientem meo procurem assisti consortio cujus possum consilio colloquioque perfrui exemploque conversationis ejusdem de bono in melius proficisci, juxta illud alterius sapientis « illos admitte qui te facturi sunt meliorem ». Attendentes igitur religiosi viri fratris Johannis de Montenantolio ordinis fratrum Minorum vitam honestam, conversationem laudabilem, litterarum scientiam ceteraque merita probitatis quibus omnium bonorum Largitor ipsum insignivit, cujus expertam discretionem discretamque experientiam michi monasterioque michi commisso in spiritualibus et temporalibus pluries et in pluribus expertus sum profuisse, Sanctitatis vestre celsitudini cordis flexis genibus supplicare decrevi quatinus dictum fratrem Johannem [qui] in predicto nostro monasterio secundum beati Benedicti regulam finire desiderat dies suos de ordine fratrum Minorum ad ordinem beati Benedicti transferre et michi meoque conventui in nostro predicto monasterio dignemini aggregare, ipsum mandantes in nostrum monachum et

(1) *Sic.* Corr. : *hiis et aliis* ?

in fratrem, non obstantibus quibuscunque utriusque ordinis et dicti monasterii statutis aut consuetudinibus cum aliis non obstantibus et clausulis oportunis et executoribus. Spero enim firmiter indubitanterque fateor quod ejus exemplaris conversatio salutarisque doctrina in negociis utiliter dirigendis michi et meo conventui nostroque monasterio prelibato sit auctore Domino quamplurimum profutura. Sanctitatem vestram bene et diu conservet Altissimus ad regimen Ecclesie sue sancte. Datum sub sigillo meo anno Domini millesimo CCC° XXX°, feria quarta post dominicam qua cantatur *Circumdederunt me*, et quod presens gratia transeat sine alia lectione. »

Nos autem tam tua quam ejusdem Johannis supplicationibus hujusmodi plenius intellectis eisque benignius inclinati, prefato Johanni se ad ordinem sancti Benedicti ad quem devotionem habere specialem asserit transferendi licentiam, tibique ipsum in tuo monasterio recipiendi auctoritate apostolica in monachum et in fratrem, sibique regularem habitum juxta ipsius monasterii consuetudinem exhibendi seu exhiberi faciendi, et de communibus ipsius proventibus sicut uni et aliis ejusdem monasterii monachis provideri, et eum ibidem sincera in Domino caritate tractari, et demum cum receptus in eodem monasterio fuerit dispensandi auctoritate predicta cum ipso, si ejus laudabilis conversatio aliaque sibi suffragantia merita id exposcant quod in eodem monasterio vocem et locum habere in capitulo, et ad omnes dignitates personatus et administrationes, officia et beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura in predicto monasterio citra tamen abbatialem dignitatem assumi et promoveri valeat, non obstantibus felicis recordationis Nicolai IIII et Clementis V predecessorum nostrorum Romanorum pontificum et quibusvis aliis constitutionibus seu quibuscunque statutis et consuetudinibus monasterii et ordinum predictorum contrariis, juramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, seu si pro aliis in eodem monasterio recipiendis quibus per hoc nullum generetur prejudicium scripta forsan apostolica sint directa, vel si abbati qui est pro tempore et dilectis filiis conventui predicti monasterii vel quibusvis communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneatur et ad id compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, facultatem plenariam tenore presentium elargimur. Datum idibus junii, anno quinto decimo. »

4599 14 juin 1331.

Hugoni episcopo Parisiensi et Arberto de Cathalauno notificat Egidium de Ulcheyo, nuntium eorum, processus contra Reginaldum de Crebano et Johannem de Janua cirurgicum ab eis habitos, ipsi praesentasse. (Reg. 116, fol 33 (61) v°, c. 172 ; — J. M. Vidal, *Bullaire de l'inquisition française*, p. 171, n. 111).

« *Hugoni, episcopo Parisiensi, et Arberto de Cathalauno, ordinis fratrum Predicatorum, inquisitori heretice pravitatis in regno Francie auctoritate apostolica deputato.* Cum pridem per diversas nostras litteras vobis ex certis causis ad hoc nos moventibus dederimus in mandatis ut inquisitionem et sententiam ac omnes processus per vos contra Reginaldum de Crebano et Johannem de Janua cirurgicum habitos nobis mittere curaretis, scire vos volumus quod dictus filius Egidius de Ulcheyo, canonicus ecclesie Sancti Martini de Campellis in Bria, Parisiensis diocesis, nuncius vester diversos rotulos continentes, ut in eis legebatur, inquisitionem et sententias et processus adversus predictos Reginaldum et Johannem per vos, ut prefertur, habitos pro parte vestra nostro apostolatui presentavit. Datum XVIII kalendas julii, anno quinto decimo. »

4600 16 juin 1331.

Arnaldo de Verdala componendi cum Guillelmo abbate monasterii Aniane, ordinis sancti Benedicti, Magalonensis diocesis, super bonis quondam Guidonis, ejusdem monasterii abbatis, dispositioni apostolicae reservatis, facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 17 (45), c. 67).

« *Magistro Arnaldo de Verdala, archidiacono*

Mirapiscensi. Dudum certis causis — Datum XVI kalendas julii, anno quinto decimo.»

4601 16 juin 1331.

Marquesiae de Vosicis indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218) v°, p. c. 957).

« In e.m. (1) Marquesie de Vosicis, relicte quondam Petri de Rogerio, Caturcensis diocesis. Datum XVI kalendas julii, anno quinto decimo.»

4602 16 juin 1331.

Bertrandae de La Pereda indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218) v°, p. c. 953).

« In e. m. (2) mutatis mutandis Bertrande de La Pereda, moniali monasterii de La Lacuna, ordinis sancti Augustini, Caturcensis diocesis. Datum ut supra [XVI kalendas julii, anno quinto decimo].»

4603 17 juin 1331.

Archiepiscopo Aquensi ut celeriter ad Curiam redeat, compromissi via inter regem Majoricarum et comitem Fuxi inita. (Reg. 116, fol. 51 (79), c. 266).

« *Armando, archiepiscopo Aquensi*. Litteras carissimi in Christo filii nostri Jacobi regis Majoricarum illustris noviter recepimus continentes quod inter ipsum regem et dilectum filium nobilem virum Gastonem comitem Fuxi concorditer extitit ordinatum quod comes ipse et dilectus filius nobilis vir Rogerius Bernardi de Fuxo, vicecomes Castrinovi, germanus suus, unum de clericis suis ad memoratum regem debeant in instanti festo beate Marie Magdalene destinare, qui una cum alio clerico regio videant an super questione inter regem et vicecomitem supradictos exorta rex idem compromittere ac componere valeat cum eodem, cessantibus interim quibusvis invasionibus et aggressionibus hinc et inde. Cum itaque tam diutina mora tua non videatur in illis partibus oportuna, volumus quod ad nostram presentiam revertaris. Datum XV kalendas julii, anno quinto decimo.»

4604 19 juin 1331.

Heliono de Villanova omnibusque secum in proximo ultramarino passagio transfretaturis indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218) v°, c. 954 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, 54020).

« *Heliono de Villanova, magistro Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani*. Specialis tue devotionis — Datum XIII kalendas julii, anno quinto decimo.»

4605 20 juin 1331.

Reginae Franciae commendat res aliquas ei ab archieposcopo Rothomagensi archidiaconoque Cantuariensi exponendas. (Reg. 116, fol. 33 (61) v°, c. 174).

« *Regine Francie*. Cum venerabili fratri nostro P., archiepiscopo Rothomagensi, ac dilecto filio H. de Engolisma, archidiacono Cantuariensi, nuncio nostro, scribenda duxerimus aliqua celsitudini regie fiducialiter exponenda, circumspectionem regiam deprecamur ut illa ab ipsis vel eorum altero benigne audiat, eaque penes se secrete teneat si eorum prosecutio sibi minus expendiens videatur, alias loquatur tua circumspectio carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francie illustri, viro suo, prout viderit expedire. Datum XII kalendas julii, anno quinto decimo.»

4606 20 juin 1331.

Archiepiscopo Rothomagensi et archidiacono Cantuariensi de eodem. (Reg. 116, fol. 33 (61) v°, c. 175).

« *Eisdem archiepiscopo et archidiacono*. Carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri scribimus sub hac forma. « Cum venerabili etc... ut supra ». Quocirca volumus ut deliberatione prehabita inter vos diligenti, si hoc expedire videritis, eidem negocium quod tu, archidiacone, prose-

(1) L'indulgence (c. 957) est accordée à : X... *civi Laudensi*.

(2) L'acte c. 953, adressé à *Galtero Caraezuolo, Neapolitano*, n'a pas été retenu.

queris convenientius et decentius ac secretius quo poteritis exponatis. Datum ut supra. »

4607 24 juin 1331.

Stephano Las Coutz ejusque uxori indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 190 (219), p. c. 964).

« In e. m. (1) Stephano Lascoutz et Margarite ejus uxori, civibus Caturcensibus. Datum VIII kalendas julii, anno quinto decimo. »

4608 26 juin 1331.

Gaufrido episcopo Cavallicensi indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 190 (219), p. c. 964).

« In e. m. (2) Gaufrido, episcopo Cavallicensi. Datum VI kalendas julii, anno quinto decimo. »

4609 26 juin 1331.

Eidem testandi facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 188 (217) v°, p. c. 941 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54100).

« In e. m. Gaufrido, episcopo Cavallicensi. Datum VI kalendas julii, anno quinto decimo. »

4610 26 juin 1331.

Andream de Florentia de scriptis commendat eumque hortatur ut continuet. (Reg. 116, fol. 32 (60) v°, c. 169).

« *Andree de Florentia, thesaurario ecclesie Remensis, regis Francie consiliario.* Devotionem tuam et diligentiam pariter super insinuatis nobis per tuas litteras novissimas et missionem intercluse in eis cedule plurimum commendantes in Domino et gratiarum actionibus prosequentes, tuam rogamus providentiam et hortamur attentius quatinus scribendi sepe morem inchoatum laudabilem continuare non pigeat dum occurret. Datum VI kalendas julii, anno quinto decimo. »

4611 27 juin 1331.

Bertrando archiepiscopo Viennensi ut nonnullas pecuniae summas decimarum ab archiepiscopo Lugdunensi collectoribusque in diocesi Lugdunensi collectas, quae nondum persolutae fuerunt, recipiat et solventes quittet. (Reg. 116, fol. 179 (208) v°, c. 867).

« *Bertrando, archiepiscopo Viennensi.* Fidedigna relatione percepto quod nonnulle summe pecunie de decimis per Sedem Apostolicam hactenus impositis per venerabilem fratrem nostrum Petrum archiepiscopum Lugdunensem aut collectores seu subcollectores suos in suis civitate ac diocesi Lugdunensi deputatos collecte nondum extiterunt nostre Camere persolute, nos volentes Romane Ecclesie ac ejusdem Camere indempnitatibus super hiis providere, fraternitati tue de qua fiduciam in Domino gerimus pleniorem per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus pecuniam hujusmodi, super qua si necesse fuerit per te vel alium seu alios summarie de plano et simpliciter te informes, tam ab eodem archiepiscopo quam predictis collectoribus et subcollectoribus petere, exigere et recipere nostro et ecclesie memorate nomine cum integritate procures, ipsos et eorum quemlibet ad eam tibi persolvendam integraliter auctoritate nostra appellatione postposita nichilominus compellendo, non obstante si eis vel eorum aliquibus a Sede sit indultum predicta quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem quod eosdem archiepiscopum et alios tibi predictam pecuniam assignantes absolvere valeas plenius et quitare de hiis que inde recipere te continget, faciendo nichilominus super eamdem assignationem duo confici consimilia publica instrumenta quorum altero penes assignantem vel assignantes ipsos dimisso, reliquum ad prefatam Cameram una cum eadem pecunia deferre vel mittere fideliter non postponas. Datum V kalendas julii, anno quinto decimo. »

4612 27 juin 1331.

Petro archiepiscopo Lugdunensi ut nonullas summas in

(1) Cf. n° 4580.
(2) *Idem.*
(3) Cf. n° 4541.

sua diocesi collectas quae Camerae nondum assignatae sunt, Bertrando archiepiscopo Viennensi exsolvat, (Reg. 116, fol. 185 (214) v°, c. 912).

« *Petro, archiepiscopo Lugdunensi.* Cum sicut relatione — Datum V kalendas julii, anno quinto decimo. »

4613 28 juin 1331.

Johanni Bernerii ut Serinum de Altaripa, monachum monasterii Cluniacensis, Matisconensis diocesis, qui prioratum conventualem de Auberta, ordinis Cluniacensis, Lugdunensis diocesis, dispositioni apostolicae reservatum et Berengario de Sancto Marciale monacho ejusdem monasterii collatum, indebite detinet ad restitutionem compellat. (Reg. 116, fol. 17 (45) v°, c. 69).

« *Johanni Bernerii, canonico Cabilonensi.* Te nuper insinuante — Datum IIII kalendas julii, anno quinto decimo. »

4614 7 juillet 1331.

Hugoni, episcopo Parisiensi, concedendi tabellionatus officium duobus clericis a magistro Guillelmo de Sancta Maura, decano ecclesiae Turonensis, Philippi regis Franciae cancellario, nominandis facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 186 (215) v°, c. 921 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54177).

« *Hugoni, episcopo Parisiensi.* Pro parte dilecti — Datum nonis julii, anno quinto decimo. »

4615 Avignon, 7 juillet 1331.

Matildae de Meremanda indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218) v°, c. 959 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54182).

« *Matilde de Meremanda, Turonensis diocesis.* Ferventis devotionsi affectus — Datum Avinione, nonis julii, anno quinto decimo. »

4616 Avignon, 7 juillet 1331.

Petronillae de Moncellis indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 190 (219), c. 960 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54183).

« *Petronille de Moncellis, relicte quondam Petri de Moncellis, Carnotensis diocesis.* Devotionis tue meritis — Datum ut supra proxima [Avinione, nonis julii, anno quinto decimo]. »

4617 8 juillet 1331.

Guillelmo de Sancta Maura ut Radulphum de Praellis commendatum habeat, fide detractoribus non adhibita. (Reg. 116, fol. 33 (61) v°, c. 176).

« *Guillelmo de Sancta Maura, decano Turonensi, regis Francie cancellario.* Non absque admiratione nuper accepimus quod, suggerente tibi pridem linga tertia que sepe confederatos et amicos suscitatis inter eos odiis consuevit disjungere, percepisti dilectum filium nobilem virum Radulphum de Praellis familiarem nostrum minus diligenter, quinimo infideliter, apud nos tua negocia sibi per te imposita promovisse. Sane, fili, quia pium est perhibere testimonium veritati et innoxum ne ledatur detractorum morsibus preservare, te scire pro veritate volumus et tenere quod non solum oportune sed frequenter etiam importune apud nos isdem nobilis institit super tuis promovendis et expediendis negociis fideliter et solerter. Quare suis in hac parte detractoribus obturans penitus aures tuas, eum velut tui honoris et commodi zelatorem sicut indubie credimus fervidum excusatum (1) super predictis habeas et in suis oportunitatibus favorabiliter commendatum. Datum VIII idus julii, anno quinto decimo. »

4618 12 juillet 1331.

Gualhardo, abbati monasterii Salmodiensis, Bertrando de Balaguerio ac Raymundo de Balaguerio ut ordinationem inter eos et Bertrandum de Balaguerio, ejusdem papae nepotem, a B., Sanctae Mariae in Aquiro decano cardinali procuratam observent et compleant. (Reg. 116, fol. 34 (62) c. 179).

« *Gualhardo, abbati monasterii Salmodiensis, ordinis sancti Benedicti, Nemausensis diocesis, et*

(1) Reg. : *excusamus.*

Bertrando de Balaguerio, cantori ecclesie Ruthenensis, ac Raymundo de Balaguerio, cellerario monasterii Conchensis, predicti ordinis, Ruthenensis diocesis. Non sine admiratione nuper accepimus displicenter quod vos certam ordinationem inter vos et dilectum filium nobilem virum Bertrandum de Balaguerio, nepotem nostrum, per dilectum filium nostrum B., Sancte Marie in Aquiro diaconum cardinalem, de nostro beneplacito mediatorem super hoc pridem factam complere et observare in ejusdem B. nepotis nostri grande prejudicium recusatis. Quocirca discretionem vestram requirimus et hortamur attente, sano vobis nichilominus consilio suadentes quatinus ordinationem eandem prout ad vos et vestrum quemlibet pertinerit observetis inviolabiliter, et taliter compleatis et procuretis nichilominus per dilectum filium nobilem virum Hugonem de Balaguerio germanum nostrum dictique Bertrandi genitorem compleri quod vestra prudentia super hoc merito debeat commendari. Datum IIII idus julii, anno quinto decimo.»

4619 12 juillet 1331.

Oliverio de Serzeto ut certa bona a quondam Raymundo Audeberti, cive Aquensi, in subsidium Terrae Sanctae relicta, Camerae assignari faciat. (Reg. 116, fol. 179 (208) v°, c. 868).

« *Magistro Oliverio de Serzeto, canonico Pictavensi, capellano nostro causarumque nostri palacii auditori.* Relatione nuper accepimus — Datum IIII idus julii, anno quinto decimo.»

4620 15 juillet 1331.

Bertrando archiepiscopo Ebredunensi quod antequam litterae suae pro Oliverio de Aquilerio, nepote suo, pervenissent, de canonicatu et praebenda Ebredunensibus tunc per obitum Rostagni de Lauduno vacantibus alii provisum erat. (Reg. 116, fol. 185 (214) v°, c. 913).

« *Bertrando, archiepiscopo Ebredunensi.* Priusquam ad nos — Datum idibus julii, anno quinto decimo.»

4621 22 juillet 1331.

Archiepiscopo Ebredunensi et Oliverio de Serseto ut bona quondam Duranti Franxenerie, canonici Ebredunensis, cujus testamentum non valet, recipiant et custodiant. (Reg. 116, fol. 180 (209), c. 870).

« *..archiepiscopo Ebredunensi, litterarum nostrarum contradictarum et magistro Oliverio de Serseto, canonico Pictavensi, capellano nostro, causarum nostri palatii auditoribus.* Ad nostri apostolatus — Datum XI kalendas augusti, anno quinto decimo.»

4622 23 juillet 1331.

Magistro Hospitalis mandat ut fratrem P. de Villa de duabus domibus Hospitalis praedicti provideat. (Reg. 116, fol. 186 (215), c. 915).

« *..magistro Hospitalis.* Carissimus in Christo filius noster Philippus, rex Francie illustris, instanter per suas litteras nos rogavit ut dilecto filio P. de Villa, fratri domus Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, providere de duabus domibus ejusdem Hospitalis competentibus curaremus. Sane cum tu, fili, persone dicti P. et domorum Hospitalis predicti conditionum et facultatum et quid inde fieri et ordinari expediat ac tanquam in scola constitutus experientie habere notitiam debeas pleniorem, tuam rogamus et hortamur prudentiam quatinus super hiis facere quod expedire cognoveris non omittas. Scimus equidem quod si predicto P. in hac parte provideris, prefato regi gratum erit admodum et acceptum. Datum X kalendas augusti, anno quinto decimo.»

4623 24 juillet 1331.

Domino de Insula ut Jordanum de Insula, canonicum Caturcensem, cujus praesentia grata erit, ad Apostolicam Sedem mittat. (Reg. 116, fol. 38 (66) v°, c. 197).

« *Eidem* [*domino de Insula*]. Grata nobis ad modum plurium relatione percepimus quod dilectus filius Jordanus de Insula, canonicus Caturcensis, natus tuus, sic moribus proficit per Dei gratiam et studio litterarum quod speratur probabiliter auctore Domino virum producere virtuosum. Et quia suis poterit plurimum accrescere commodis nobisque ad leticie cumulum [moveret] si ex conversatione ipsius aliqua domestica experiencia se habere (1)

(1) Reg. : *haberet.*

premissa taliter cognoscamus, volumus et id tue nobilitati sano suademus consilio quatinus illum ad nostram cures presentiam evestigio destinare. Datum IX kalendas augusti, anno quinto decimo. »

4624 26 juillet 1331.

Geraldo de Bisturre facultatem percipiendi fructus beneficiorum suorum ecclesiasticorum usque ad aliud triennium prorogat. (Reg. 116, fol. 17 (45) v°, c. 70).

« *Geraldo de Bisturre, decano ecclesie Andegavensis.* Ex tue devotionis — Datum VII kalendas augusti, anno quinto decimo. »

4625 26 juillet 1331.

Abbati monasterii Carofontis, decano Sancti Ilarii Pictavensis ac Heliae de Dompnonio ut eidem Geraldo praedictos fructus assignari faciant. (Reg. 116, fol. 18 (46), c. 71).

« *Judicibus : .. abbati monasterii Karofontis, Pictavensis diocesis et..decano Sancti Ilarii Pictavensis, ac Helie de Dompnonio, canonico Xantonensis ecclesiarum.* Quocirca discretioni vestre — Datum ut supra [VII kalendas augusti, anno quinto decimo.] »

4626 27 juillet 1331.

Henricum de Sonions in capellanum suum commensalem recipit (Reg. 116, fol. 180 (209) v°, c. 871).

« *Henrico de Sonions, ordinis fratrum Minorum, in sacra theologia magistro, capellano nostro commensali.* Virtutum decor, religionis — Datum VI kalendas augusti, anno quinto decimo. »

4627 27 juillet 1331.

Rostagno de Claromonte indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 190 (219), p. c. 964).

« In e. m. (1) Rostagno de Claromonte, preposito ecclesie de Forcalquerio, Sistaricensis diocesis. Datum VI kalendas augusti, anno quinto decimo. »

(1) Cf. n. 4580.

4628 28 juillet 1331.

Johannae de Trianno indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 190 (219), p. c. 964).

« In e. m. (1) Johanne de Trianno, uxori Guichardi de Pictavia. Datum V kalendas augusti, anno quinto decimo. »

4629 29 juillet 1331.

Abbati Sancti Eparchii Engolismensis, Petro Andreae ac Bernardo Fureti canonicis Engolismensibus mandat ut abbatem de Corona, contra Arnaldum Peonis ejusdem monasterii priorem litigantem, coram Sede Apostolica citent. (Reg. 116, fol. 19 (47), c. 76).

« *Abbati monasterii Sancti Eparchii extra muros Engolismenses, et Petro Andree ac Bernardo Fureti canonicis Engolismensibus.* Quamvis Sedes Apostolica transgressorum quorumlibet excessibus provocetur, illis tamen irritatur vehementius qui a personis ecclesiasticis per quas deberet honorari mandatorum observantia committuntur. Sane dilecto filio Arnaldo Peonis, priore majore monasterii de Corona ordinis sancti Augustini Engolismensis graviter conquerente nuper accepimus quod ex eo quia ipse dudum presentibus sibique assistentibus dilectis filiis Johanne Danielis de Moleda, Arnaldo Vincentii de Sancta Eulalia et Petro de Gotz de Rivofalconis prioratuum dicti ordinis, predicte Engolismensis et Xanctonensis diocesum, prioribus, ejusdem monasterii canonicis, dilecto filio Helie abbati supradicti monasterii reverenter et caritative ut ex sui officii tenebatur debito persuasit quod ad reformationem multorum deformatorum in eodem monasterio tam in capite quam in membris procedere procuraret, idem abbas adversus priorem majorem predictum vehementissime provocatus varias eidem cepit injurias et offensas inferre, suis in hac parte monitis salubribus obtemperare non curans. Tandem vero prior ipse, videns quod memoratus abbas et deinde venerabilis frater noster

(1) Cf. n. 4580.

episcopus Engolismensis loci diocesanus, cui premissa fuerant intimata, in predictis observantiam religionis predicti monasterii non parum deformantibus corrigendis et reformandis se reddebant in magnum ejusdem monasterii prejudicium et plurimorum scandalum negligentes penitus et remissos, ea vellet et disponeret remorsu ductus conscientie Sedi nunciare predicte, supradictus abbas id presentiens et volens eidem priori super hiis obviare cameram ipsius quam habebat infra septa dicti monasterii violenter et absque alia causa rationabili fecit frangi, vasis argenteis et aliis multis bonis supradicti prioris usque ad valorem trecentarum librarum parvorum turonensium de mandato ipsius abbatis exinde raptis et nequiter asportatis, ut sic ipse prior bonis suis destitutus omnino ad Sedem predictam pro premissis nunciandis accedere vel mittere non valeret. Subsequenter autem eodem priore, premissis non obstantibus, arripiente meliori modo quo potuit veniendi ad eandem Sedem Apostolicam iter suum, memoratus abbas paratis eidem hominum armatorum insidiis, non absque contemptu et contumelia dicte Sedis ipsum violenter capi fecit et duro carceri mancipari, Heliam de Sarlandela canonicum supradicti monasterii, quem dictus prior super variis excessibus et criminibus corrigendum ostenderat et volebat clarius ostendere dicte Sedi, eidem priori ut per eundem Heliam tanquam suum emulum durius affligeretur in carcere custodem maliciose et ex certo proposito deputando. In quo quidem carcere dictus prior, post appellationes pro parte ipsius ad memoratam Sedem legitime interjectas, detentus diutius extitit et per dictum Heliam [de] Sarlandela crudeliter maceratus, demumque prioratu suo et quadam grangia vocata de Valle, predicte Xanctonensis diocesis, quam obtinebat fuit per dictum abbatem privatus de facto. Premissis igitur processu temporis ad audientiam nostri apostolatus deductis, nos prefato abbati dedimus per nostras certi tenoris litteras in mandatis ut supradictum priorem sublata morosa dilatione ad nostram presentiam destinaret, qui licet litteris predictis receptis responderat se facturum et completurum que sibi per eas mandabantur, ea tamen complere tunc realiter non curavit, sed post intervallum non modici temporis, non attendens quod illusio et variatio in personis ecclesiasticis sunt vitande, per suas litteras nobis scripsit quod, quia dictum priorem antequam recepisset litteras nostras predictas abire permiserat a dicto carcere liberatum,eum ad eandem non poterat presentiam destinare. Cum autem prior predictus qui postmodum pro parte ipsius abbatis nostro extitit conspectui presentatus nobis sepius duxerit humiliter supplicandum ut sibi afflicto graviter nimiaque paupertate depresso paterno compatientes affectu providere super hiis de oportuno remedio dignaremur, nos eidem in justicia nolentes deficere in qua sumus omnibus debitores, et volentes cum abbate ac Helia [de] Sarlandela predictis super hiis et quibusdam aliis statum monasterii predicti tangentibus veritatem [inquirere], discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eosdem abbatem et Heliam [de] Sarlandela perhemptorie citare curetis ut infra unius mensis spacium post citationem hujusmodi numerandum apostolico conspectui se personaliter presentent, responsuri super predictis et aliis de quibus eos interrogare intendimus veritatem ac facturi et recepturi quod justicia suadebit. Diem autem etc. Datum IIII kalendas augusti, anno quinto decimo. »

4630 31 juillet 1331.

Comitem Fuxi dissuadet de Terra Sancta visitanda. (Reg. 116, fol. 37 (65) v°, c. 191).

« *Eidem comiti* [*Fuxi*]. Relatu fidedignorum percepimus admiranter quod tu, fili, nescimus quo ductus consilio vel seductus pocius ad partes transmarinas disponis presentialiter te conferre. Cum autem consideratis circumstantiis universis non videamus te posse ad presens in eisdem partibus proficere ad tue salutis vel honoris augmentum, nec ignoremus pericula que tibi attenta tue juventutis teneritudine tam mare cujus transitus est valde periculosus propter piratarum incursus ac difficilis presertim hominibus inexpertis, quam itinerum discrimina comminantur, et ex alia parte consideramus incommoda varia que provenire possent ex tanta tua et tali absentia terris tuis, paterno tibi consilio dissuademus premissa, sperantes in Domino quod Ipse cujus providentia in sui dispositione non fallitur tempora taliter ordinabit quod si propositum transfretandi habueris, illud ad laudem Dei et tue salutem anime decentius

et honorabilius poteris adimplere. Et ne aliquorum qui a nobis licentiam forsan obtinuerint cum certo personarum numero sepulcrum visitandi dominicum ac alia loca partium earundem te trahat affectio vel persuasio ad predicta, nos talem licentiam nisi de te nominatim expressam mentionem faceret ad te nolumus nec intelligimus quomodolibet extendendam. Datum II kalendas augusti, anno quinto decimo.»

4631 Avignon, 2 août 1331.

Petrum Ricavi et Benedictum de Portu de quibusdam pecuniarum summis ex sexennali et triennali decimis provenientibus quas in diocesi Bisuntina collectas Camerae assignaverant, quittat. (Reg. 116, fol. 173 (202) v°, c. 842).

« *Petro Ricavi, preposito ecclesie Avinionensis, et Benedicto de Portu, laico, familiari nostro, executori testamenti seu ultime voluntatis quondam Guillelmi de Concossio, canonici Aquensis.* Cum vos de — Datum Avinione, IIII nonas augusti, anno quinto decimo.»

4632 Avignon, 2 août 1331.

Stephano Alberti indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 190 (219), p. c. 961).

« In e. m. (1) Stephano Alberti, archipresbitero archipresbiteratus de Lauraco, Mirapiscensis diocesis. Datum Avinione, IIII nonas augusti, anno quinto decimo.»

4633 2 août 1331.

Stephano Alberti, subdiacono, gratiam factam de non suscipiendo majores ordines ratione archipresbiteratus de Lauraco Mirapiscensis diocesis, usque ad aliud triennium prorogat. (Reg. 116, fol. 19 (47) v°, c. 77 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54420).

« *Stephano Alberti, archipresbitero archipresbiteratus de Lauraco, Mirapiscensis diocesis.* Litterarum scientia, vite — Datum IIII nonas augusti, anno quinto decimo.»

(1) Cf. n. 4590.

4634 4 août 1331.

Armando de Pomo quod fructus beneficiorum suorum ecclesiasticorum usque ad triennium in absentia percipere possit quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (Reg. 116, fol. 180 (209) v°, c. 872).

« *Armando de Pomo, preposito ecclesie Beate Marie de Insula, Cavallicensis diocesis.* Ex tue devotionis — Datum II nonas augusti, anno quinto decimo.»

4635 4 août 1331.

Judicibus ut praedictos fructus eidem Armando ministrari faciant. (Reg. 116, fol. 180 (209) v°, c. 872).

« *Judicibus* Quocirca discretioni vestre — Datum ut supra [II nonas augusti, anno quinto decimo].»
In e. m. Petro de Pomo, canonico Belvacensi.

4636 4 août 1331.

Ricardae relictae Petri Barasci indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 190 (219), c. 962).

« *Ricarde, relicte quondam Petri Barasci, domicelli, Caturcensis diocesis.* Sincere devotionis affectus — Datum Avinione, II nonas augusti, anno quinto decimo.»
In e. m. Guiscarde, relicte Bertrandi Cassani, domicelli, Caturcensis diocesis.

4637 4 août 1331.

Comiti Fuxi de pace procuranda inter regem Majoricarum et Rogerium Bernardi de Fuxo. (Reg. 116, fol. 37 (65), c. 188).

« *Gastoni, comiti Fuxi.* Litteras carissimi in Christo filii nostri Jacobi, regis Majoricarum illustris, cum quadam cedula quarumdam litterarum dilecti filii nobilis viri Petri nati clare memorie Jacobi, regis Aragonum, comitis Rippacurtie, in eisdem litteris regiis interclusa recepimus, per quas videlicet litteras idem comes intimabat regi prefato quod quia nos super dissensione quam inter

regem ipsum et dilectum filium nobilem virum Rogerium Bernardi de Fuxo vicecomitem Castriboni germanum tuum suscitare nititur hostis pacis amicabiliter terminanda intendebamus sicut tibi scripseramus interponere solicitudinis nostre partes, tu et dictus germanus tuus omiseratis personas pro tractatu pacis electas ad prefati regis presentiam condicto termino destinare. Sane, fili, quamvis afficiamur ad questionem hujusmodi pro vitandis periculis que possent hincinde contingere sopiendam et super hoc nos laboraturos obtulerimus, sicut tua novit nobilitas, pridemque propter hoc venerabilem fratrem nostrum A. archiepiscopum Aquensem ad eas partes ordinaverimus destinandum, quia tamen modus tractandi hincinde assumptus gratus nobis existit velut expediens et acceptus, volumus et placet nobis quod tractatores electi, qui rei de qua agitur habere poterunt in eis partibus plenius veritatem, procedere non omittant. Et si forsan in toto vel in parte nequiverint concordare, nos pro parte ipsa quam desideranter appetimus parati sumus et erimus non vitatis laboribus interponere sedule partes nostras. »

In e. m. Rogerio Bernardi verbis competentibus mutatis. Datum II nonas augusti, anno quinto decimo.

4638 4 août 1331.

Regi Majoricarum, de eadem pace. (Reg. 116, fol. 51 (78), c. 267).

« *Regi Majoricarum.* Magnificentie regie litteras — Datum II nonas augusti, anno quinto decimo. »

4639 4 août 1331.

Episcopo Elnensi ut Jacobum regem Majoricarum ad executionem sententiae qua castrum de Pontelhano Sebeliae vicecomitissae Castrinovi restitui debet, inducat. (Reg. 116, fol. 50 (77) v°, c. 263).

« *Episcopo Elnensi.* Cum carissimo in Christo filio nostro Jacobo, regi Majoricarum illustri, per alias nostras scribamus litteras ut sententiam super castro de Pontelhano per eum pro dilecta in Christo filia nobili pupilla Sebelia vicecomitissa Castrinovi latam debite executioni demandet, ipsumque castrum dicte vicecomitisse restitui faciat cum effectu, fraternitatem tuam rogamus attente quatinus prefatum regem ut premissa ad finem perducat debitum velis inducere consiliis et auxiliis oportunis et super hiis ferventer interponere solicitudinis tue partes. Datum ut supra [II nonas augusti, anno quinto decimo]. »

In e. m. verbis competentibus mutatis nobili viro Ademario de Mosteto.

In e. m. magistro Guillelmo de Duroforti, canonico Aniciensi, capellano nostro.

4640 5 août 1331.

Guidonis comitis Blesensis, votum visitandi limina beati Jacobi in fundationem capellaniae cujusdam in ecclesia Sancti Salvatoris Blesensis, ac in augmentationem operis fabricae ecclesiae fratrum Praedicatorum Blesensis commutat. (Reg. 116, fol 19 (47) v°, c. 78 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54473).

« *Guidoni, comiti Blesensi.* Sincera tue nobilitatis devotio qua Romanam revereri studes Ecclesiam nos inducit ut votis tuis quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus. Exhibite nobis siquidem tue petitionis series continebat quod dudum pro parte tua exposito coram nobis quod votum per te olim emissum de visitando personaliter infra certum terminum limina beati Jacobi apostoli certis causis rationabilibus infra dictum terminum personaliter adimplere nequibas, et humiliter supplicato ut providere super hiis sue (*sic*) saluti anime paterna diligentia dignaremur, nos tuis supplicationibus inclinati, venerabili fratri nostro ..episcopo Parisiensi per nostras certi tenoris commisimus litteras et dedimus in mandatis ut si premissis causis et aliis consideratis que sunt in talibus attendenda saluti anime tue cognosceret expedire, dictum terminum infra quem tunc existebas in tempus amplius prorogare, vel in alia pia opera, videlicet quod de pecunia quam esses expensurus si votum compleres hujusmodi unam capellaniam perpetuam usque ad summam et valorem duodecim librarum parvorum turonensium annui et perpetui redditus in ecclesia Beati Jacobi Parisiensis fundares et construeres ac dotares, residuumque pecunie hujusmodi dispensare in pios usus alios juxta ipsius episcopi arbitrium tenereris, votum valeret commutare predictum. Quarum litterarum auctoritate prefatus

episcopus earum forma servata procedens, quod tu in eadem ecclesia Sancti Jacobi Parisiensis dictam capellaniam usque ad summam et valorem dictarum duodecim librarum turonensium parvorum annui et perpetui redditus fundares, ut premittitur, et dotares, et quod pro residuo pecunie antedicte mille libras ejusdem monete deberes in alia pietatis opera certis ad hec complenda statutis terminis ordinavit in que auctoritate predicta votum hujusmodi commutavit. Sane cum ad Sancti Salvatoris et dilectorum filiorum fratrum ordinis Predicatorum Blesensium Carnotensis diocesis ecclesias consistentes in terra tua te devotionem gerere asseras specialem, et propterea cupias in eadem ecclesia Sancti Salvatoris dictam fundare capellaniam, et de dictis mille libris pro opere fabrice ecclesie dictorum fratrum Predicatorum partem aliquam erogare, nobis humiliter supplicasti ut super hiis oportunam tibi concedere licentiam dignaremur. Nos itaque, ingentis devotionis affectum quem, ut premittitur, ad prefatam Romanam geris Ecclesiam ac etiam tui progenitores gesserunt dum viverent diligencius attendentes, et volentes propterea ut alia tua clara merita, quibus te nobis et eidem Ecclesie gratum reddis benigne, annuere in hac parte quantum cum Deo possumus votis tuis, necnon et considerantes attente quam melius et decentius dictam capellaniam infra terras tuas quam alibi fundare poteris et dotare, tuis supplicationibus inclinati, ut, commissione et mandato nostris hujusmodi factis ut premittitur episcopo memorato ac ejusdem episcopi super fundatione dicte capellanie facienda in prefata ecclesia Sancti Jacobi Parisiensis ordinatione subsecuta nequaquam obstantibus, hujusmodi capellaniam perpetuam, assignata prius dote predicta, in prefata Sancti Salvatoris ecclesia fundare ac de predictis mille libris turonensium parvorum in augmentum dicte dotis ejusdem capellanie quadringentas et ad opus fabrice prefate ecclesie dictorum fratrum Predicatorum sexcentas libras dicte monete libere convertere valeas et etiam erogare, in quibus hujusmodi votum tuum auctoritate apostolica commutamus, esse volumus et decernimus totaliter commutatum, tibi tenore presentium indulgemus, tibi nichilominus ac heredibus et successoribus tuis comitibus Blesensibus in hujusmodi capellania ut ad illam postquam fundata et dotata fuerit, ut prefertur, hac vice ac deinceps quotiescumque vacaverit personam ydoneam in ipsa instituendam canonice presentare possitis, jus patronatus specialiter reservantes, jure parrochialis ecclesie dicti loci Blesensis et cujuslibet alterius in omnibus salvo. Nulli ergo etc... Datum nonis augusti, anno quinto decimo. »

4641 Avignon, 5 août 1331.

Perpetuum vicarium in capella Sancti Johannis de Castronovo Calcernerii, Avinionensis diocesis, instituit eique redditus assignat (Reg. 116, fol. 160 (187) v°, c. 796 ; Reg. 98, fol. 13 v°, c. 32 ; Reg. Avin. 37, fol. 148, c. 32).

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Attendentes quod inter alia grata servitutis obsequia que summo rerum Opifici a fidelibus offeruntur illud eidem acceptum valde reddatur si ad ejus laudem et gloriam animarumque salutem fidelium cultus augeatur divinus, ad id libenter studia nostra dirigimus et operosam solicitudinem adhibemus. Ideoque pridem pia hujusmodi devotione affecti quandam capellam cum altari suo in ecclesia de Castronovo Calcernerii, Avinionensis diocesis, ad honorem Sancte et Individue Trinitatis et precelle genitricis Dei Marie domine nostre ac beati Jacobi apostoli et Omnium Sanctorum construi fecimus et ejusdem apostoli vocabulo voluimus insigniri. Volentes itaque quod in eadem capella misse deinceps perpetuis temporibus pro salute vivorum et defunctorum fidelium celebrentur, statuimus auctoritate apostolica et etiam ordinamus quod in eadem capella unus capellanus ydoneus per episcopum Avinionensem qui erit pro tempore instituendus, qui missas celebrare ac prefate ecclesie in horis canonicis dum recitabuntur ibidem solenniter desservire teneatur quantum comode poterit, perpetuis temporibus habeatur, cui pro sustentatione congrua et decenti ac dote capelle predicte bona infrascripta que nomine Avinionensis ecclesie acquiri fecimus prefatis capelle et capellano concedimus et donavimus, univimus auctoritate predicta et imperpetuum assignamus per eundem capellanum habenda, tenenda ac plene et pacifice cum suis juribus et pertinentiis universis sicut inferius designantur perpetuo possidenda, preter jus prelationis, trezenorum et laudimiorum quod ad episcopum Avinionensem qui erit pro tempore in bonis eisdem volumus pertinere, videlicet quoddam hospicium cum curte eidem conti-

gua, situm in eodem Castronovo Calcernerii, confrontatum ab una parte cum hospicio Raymbaudi de Anceduna de Cadarosia, et ab alia parte cum hospicio Triburgis Squinte, et ab alia parte cum carreria publica, et ab alia parte cum furno antiquo ; item quandam vineam in territorio Castrinovi sitam ad Montemrotundum, in qua sunt viginti sex fossoyrate vel circa, et confrontatur ex una parte cum vinea Petri Rogerii de Carpentorate, et ex alia parte cum terra Petri Biscarelli filii Bertrandi Biscarelli quondam, et ex alia parte cum vinea Bertrandi Johannis ; item septuaginta solidos bonorum turonensium parvorum censuales quos debet Petrus Christofori pro quodam hospicio sito in dicto Castronovo extra, in burgo novo versus Reallum, confrontato ex una parte cum curtibus Guillelmi et Isnardi Berengarii fratrum, et ex omnibus aliis partibus cum carreriis publicis ; item quandam terram in territorio Biturrite sitam, in loco vocato in Faysies, liberam et absolutam sine servitio et alia qualibet servitute ad feudum Avinionensis episcopi francum, in qua sunt viginti eminate vel circa, confrontatam ex una parte cum terra Rostagni Damiani et ex alia parte cum terra Raymundi Raymberti de Bitturita et ex alia parte cum terra Johannis Olivierii de Malausana. Rursus concessionem, donationem et assignationem hujusmodi de predictis bonis et rebus superius designatis eisdem capelle et capellano, ut premittitur per nos factas habere perpetuis temporibus volumus et decernimus, nonobstante quod nomine predicte Avinionensis ecclesie acquisita seu empta fuerint, roboris firmitate eidem capellano et quibusvis aliis districtius inhibentes ne res et bona predicta seu eorum aliqua distrahere, vendere, donare, alienare aut alii concedere vel in alios usus transferre quocumque modo vel colore presumant. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane quicquid contra hujusmodi nostre inhibitionis tenorem contigerit attemptari. Preterea capellam et capellanum eosdem a prestatione cujuslibet subventionis et procurationis legatorum aut nunciorum Apostolice Sedis vel ordinariorum quorumcumque necnon decimarum et primiciarum de fructibus prediorum propriorum dicte capelle que ipse capellanus propriis sumptibus excolit vel in futurum excolet volumus et statuimus perpetuis existere temporibus liberos et immunes. Nulli ergo etc. Datum Avinione, nonis augusti, anno quinto decimo. »

4642 5 août 1331.

Guillelmo Astre ut negotium coeptum de quo scripsit perficiat. (Reg. 116, fol. 186 (215), c. 914 ; — J.M. Vidal, *Bullaire de l'inquisition française*, p. 175, n. 112).

« *Guillelmo Astre, ordinis fratrum Minorum, inquisitori heretice pravitatis in provincia Provincie.* Negocium super quo — Datum nonis augusti, anno quinto decimo. »

4643 9 août 1331.

Episcopo Parisiensi mandat ut contra Arthaudum abbatem Virgiliacensem, Johannem Alberici, ordinis Praedicatorum et plures alios suspectos de falsaria vel sortilegis procedat. (Reg. 116, fol. 20 (48) v°, c. 80).

« *Hugoni, episcopo Parisiensi.* Viros maleficos humani generis inimicos quodam modo eo ferventius persequi debet auctoritas presidentis quo in Dei et temporalis regis offensam et magnatum personarum perniciem et alieni juris jacturam et plurimorum seditionem et scandalum delinquere non formidant. Hinc est quod nos carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris conquestione permoti et supplicationibus inclinati, fraternitatem tuam, de cujus circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam gerimus, contra Arthaudum, abbatem monasterii Virgiliacensis, ordinis sancti Benedicti, Eduensis diocesis, et Johannem Alberici, fratrem ordinis Predicatorum, et Petrum Theffonis, presbyterum, et aliquas alias personas ecclesiasticas falsarias, veneficas seu sortilegas, seculares et regulares, in regno Francie degentes seu in eo ecclesiastica beneficia obtinentes, etiam si citra episcopalem dignitatem fuerint in dignitatibus constitute, quas super hujusmodi criminibus reperies diffamatas vel verisimiliter esse suspectas tibi per dictum regem nominandas super qua nominatione ne, quod absit, contingat forsitan per inadvertentiam aut imprudentiam innocentes pretextu commissionis hujusmodi pregravari ipsius regis conscientiam oneramus, inquirendi auctoritate nostra simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, ac contra eos et eorum singulos procedendi super premissis etiam ad captionem personarum juxta statuta canonum, et faciendi eos in certo carcere vel alias

sicut expedire videris detineri, necnon et, si criminis et criminosi qualitas ac alie circumstantie super hoc attendenda hoc exigant, questionibus subiri prout a canonibus est permissum, et ipsas personas de suis dignitatibus, officiis et beneficiis et statu quolibet ecclesiastico amovendi, deponendi et degradandi seu in perpetuo carcere detrudendi si hoc ipsorum requisierit criminum qualitas, et alias faciendi... (ut supra in alia quasi consimili in sexto quaterno notarum Francie regestrata, usque ad facultatem), presentibus post biennium nisi adeo processum fuisset in causa quod non restaret nisi sententia proferenda minime valituris. Datum V idus augusti, anno quinto decimo. »

4644 9 août 1331.

Arnaldo de Codico ejusque uxori indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 189 (218) v°, p. c. 957).

« In e. m. (1) magistro Arnaldo de Codico et Raymunde ejus uxori, Caturcensis diocesis. Datum V idus augusti, anno quinto decimo.

In e. m. Geralde, relicte Petri de Soyris, domicelli, Caturcensis diocesis. Datum V idus augusti, anno quinto decimo. »

4645 9 août 1331.

Geraldo de Turre indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 190 (219), p. c. 960).

« In e. m. (2) Geraldo de Turre, domicello, Caturcensis diocesis. Datum V idus augusti, anno quinto decimo ».

4646 10 août 1331.

Henrico de Montebeliardo indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 190 (219), c. 963).

« *Henrico de Montebeliardo, domino Montisfalconis, Bisuntine diocesis.* Sincera devotio quam — Datum Avinione, IIII idus augusti, anno quinto decimo. »

(1) Cf. n. 4601.
(2) Cf. n. 4616

4647 13 août 1331.

Abbati Cisterciensi et ejus co-abbatibus in instanti generali capitulo Cistercii congregandis ut reformationi ordinis vigilent. (Reg. 116, fol. 33 (61) v°, c. 177).

« *Abbati Cisterciensi et ejus coabbatibus in instanti generali capitulo Cistercii congregandis.* Instare audivimus congregationis vestre capitulum generale. Sane, quia in illo ea que ad mores et statum religionis vestre prosperum pertinent per vos ordinari et reformari que reformanda occurrerint intensis desideriis affectamus, prudentiam vestram rogamus et attentius in Domino exhortamur quatinus circa premissa vestra circumspectio se convertat, quod Deo cedat ad gloriam vobisque ad meritorum cumulum et fratrum vestrorum animarum salutem ac ceteris ad exemplum. Ceterum quia hostis pacis ad turbandum statum Ecclesie nescit quiescere sed continue fortius inardescit, obnixe precibus et exhortationibus nostris adicimus ut pro statu ejusdem ecclesie atque nostro felici et prospero fundatis preces devotas ad Dominum et ordinetis per universos fratres vestri ordinis prout videritis oportunum effundi. Gratia Domini Nostri Jhesu Christi sit vobiscum vosque in agendis dirigat et protegat ab adversis, Datum idibus augusti, anno quinto decimo. »

4648 13 août 1331.

Oddoni duci Burgundiae ne gentes coram se litigantes ad Ludovicum ducem Bavariae tanquam regem Alemaniae, qui jure suo privatus est, remittat. (Reg. 116, fol. 34 (62), c. 177 *bis*).

« *Oddoni, duci Burgundie.* Cum sicut accepimus aliqui super nonnullis questionibus et litibus coram te seu tuis officialibus ad judicium evocati forum tuum declinaverint seu declinare intendant, se ad Ludovicum de Bavaria de heresibus et scismate sententialiter et publice, sicut tuam ignorare non credimus prudentiam, condempnatum petentes tanquam ad imperatorem seu Alamannie regem ipsiusque curiam et examen remitti, nobilitatem

tuam rogamus et hortamur attentius sano paternoque tibi nichilominus consilio suadentes quatinus quod absque gravi Dei et Ecclesie Sancte sue fideique catholice offensa tuisque magnis periculis fieri remissio hujusmodi non valeret, tum quia dictus Ludovicus nec rex nec imperator est, imo jure, si quod sibi ex quadam electione discordi que olim de ipso facta dicebatur ad regimen vel imperium forsitan competebat, suis enormibus delictis et excessibus exigentibus juste privatus extitit et nudatus ac excommunicationis et aliis diversis penis et sententiis innodatus, demumque de diversis heresibus et scismate sententialiter ut premittitur condempnatus, tum etiam quia, si fieret quod absit illa remissio, tu, fili, videreris eundem Ludovicum pro rege vel imperatore habere ac eidem ut tali favere dampnabiliter ac etiam adherere, propter que gravibus penis et sententiis per diversos processus nostros adversus eos qui eum pro imperatore vel rege haberent aut eidem ut tali parerent, obtemperarent vel etiam obedirent, necnon per jura et constitutiones diversas contra fautores hereticorum et scismaticorum inflictis te periculose nimium, quod Deus avertat, subiceres, consideranter attendens, remissionem eandem nullatenus facias nec per tuos officiales et subditos fieri quomodolibet patiaris, quibuscumque illam vel similen petentibus audientia penitus super hoc denegata. Datum ut supra, [idibus augusti anno quinto decimo]. »

4649 13 août 1331.

Berengario episcopo Elnensi quod usque ad unum annum apud Jacobum regem Majoricarum ut consiliarius remanere possit. (Reg. 116, fol. 46 (74), c. 237).

« *Berengario, episcopo Elnensi.* Porrecta nobis carissimi in Christo filii nostri Jacobi, regis Majoricarum illustris peticio continebat quod cum ipse pro suis ac regni sui Majoricarum quod visitare intendit negotiis utilius et salubrius dirigendis te in suum consiliarium duxerit eligendum, tibi assistendi eidem ac ad regnum proficiscendi predictum moramque inibi contrahendi cum ipso concedere licentiam dignaremur. Nos itaque, qui ejusdem regis, quem in visceribus caritatis gerimus, negocia utiliter dirigi affectamus, ejus in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus licentiam hujusmodi usque ad unum annum a die date presentium numerandum concedimus postulatam, proviso quod ecclesia tua Elnensis interim non paciatur propter hoc in spiritualibus et temporalibus detrimentum. Tu vero assistens regi predicto adhibere sedulam diligentiam non omittas ut ipsum ad ea que illi Regi per quem reges regnant placita sunt animare studeas et ab illis retrahere que sibi noscuntur displicibilia et infesta, quod Ille tibi facere regique predicto concedat acquiescere, cui cum voluerit subest posse. Datum idibus augusti, anno quinto decimo. »

4650 Avignon, 13 août 1331.

Petrum Bremundi capellanum perpetuum capellae Sancti Jacobi in ecclesia Castrinovi Calcernerii constituit. (Reg. 116, fol. 181 (210), c. 874 ; Reg. 98, fol. 13 v°, c. 33 ; Reg. Avin. 37, f. 148 a ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54805).

« *Petro Bremundi, capellano perpetuo capelle Sancti Jacobi constitute in ecclesia parrochiali Castrinovi Calcernerii, Avinionensis diocesis.* Tue probitatis merita — Datum Avinione, idibus augusti, anno quinto decimo. »

4651 Avignon, 17 août 1331.

Augerio, abbati monasterii Moysiacensis, ne aliquam injuriam vel offensam suis monachis inferat, controversia inter eosdem in Romana curia ventilante. (Reg. 116, fol. 20 (48), c. 79).

« *Augerio, abbati monasterii Moysiacensis, ordinis Cluniacensis, Caturcensis diocesis.* Nuper dilecti filii Hugo Alberti, Geraldus Bocherii, Raymundus de Cuminhano, Stephanus de Leverone, Raymundus de Altarippa, Raymundus de Sancto Germano, Hugo de Massanco, Bernardus Pictavini, Pontius Stephani, Guillelmus Bertrandi de Seguenvilla, Arnaldus Servientis, Petrus de Bosco, Bertrandus de Arconibaco, Johannes Alani, Bernardus Pascalis, Raymundus Locolli, Guillelmus Bescoti, Bernardus de Ruppe, Raterius de Lucomonte, Bonetus de Rapistagno et Raymundus Comitis monachi monasterii tui Moysiacensis ad nostram presentiam per-

sonaliter accedentes coram nobis proponere curaverunt quod ex eo quia dictum monasterium, quod florere retroactis temporibus in spiritualibus et temporalibus consuevit, erat adeo per tuam incuriam in eisdem spiritualibus et temporalibus deformatum quod ipsum nisi celeriter per Apostolice Sedis providentiam succurreretur eidem irreparabiliter collabi formidabant, tuque licet requisitus super hiis nedum apponere remedium recusares, quinimmo eis et nonnullis aliis predicti monasterii monachis ipsis in hac parte adherentibus varia intulisti gravamina et inferre seu facere inferri graviora fuisti pluries propterea comminatus, ipsi, nolentes nec valentes absque conscientiarum suarum et dicti monasterii enormi lesione amplius talia tolerare, ad eandem Sedem ex premissis et causis aliis appellarunt, et demum in nostra presencia constituti nobis humiliter supplicarunt ut providere sibi et prelibato monasterio de oportuno in hac parte remedio studiis paterne solicitudinis dignaremur. Nos itaque, verentes probabiliter quod predictum monasterium propter monachorum eorumdem absentiam presertim circa divinum cultum pati defectum et alia possent inibi scandalia suboriri, volumus et ordinavimus quod cum nos super salubri statu dicti monasterii intendamus quod expedire videbamus ordinare, predicti monachi, duobus vel tribus exceptis qui apud dictam Sedem pro hujusmodi prosecutione negotii remaneant, ad prefatum monasterium sub nostra et dicte Sedis protectione servituri Domino revertantur. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta districtius sub excommunicationis pena inhibendo mandamus quatinus predictis monachis vel eorum aliquibus aut eis adherentibus in hac parte nullam inferas aut inferri quomodolibet facias vel patiaris quantum in te fuerit, directe vel indirecte, publice vel occulte injuriam vel offensam, sed eos potius favorabiliter et caritative studeas pertractare. Ceterum volumus ac eisdem monachis expresse concedimus quod propter aliquam obedientiam ab ipsis vel eorum aliquibus tibi durante dicti prosecutione negocii exhibendam prosecutioni eidem vel eorum appellationibus ad memoratam Sedem interpositis nullatenus derogari [possit]. Datum Avinione, XVI kalendas septembris, anno quinto decimo. »

4652 17 août 1331.

Comiti Fuxi, de pace tractanda inter regem Majoricarum et vicecomitem Castriboni. (Reg. 116, fol. 38 (66), c. 194).

« *Eidem comiti* [*Fuxi*]. Nuper carissimi in Christo filii nostri Jacobi regis Majoricarum illustris receptis litteris de questione illa quam inter ipsum et dilectum filium nobilem virum Rogerium Bernardi de Fuxo, vicecomitem Castriboni, germanum tuum suscitare pacis emulus nititur mentionem facientibus, eidem regi meminimus rescripsisse quod, quia de meritis questionis ejusdem in illis partibus promptior haberi poterat probatio, expedientius videbatur quod per certos tractatores electos vel eligendos hincinde questio discideretur predicta, idque nobis gratum existeret et acceptum. Et si tractatores ipsi non possent in toto vel in parte forsitan convenire, nos parati eramus pro parte ipsa quam affectabamus sicut adhuc affectamus desiderabiliter laborare. Sane quia sicut accepimus pars ejusdem germani tui non prosequitur viam istam, nos ad pacem predictam procurandam simpliciter nos paratos offerimus sicut etiam prefato regi per alias litteras rescribimus interponere sedule partes nostras. »

In e. m. dicto vicecomiti verbis competentibus mutatis. Datum XVI kalendas septembris, anno quinto decimo.

4653 17 août 1331.

Regi Majoricarum de eadem pace obtinenda. (Reg. 116, fol. 51 (79), c. 265).

« *Eidem regi* [*Majoricarum*]. Nuper, fili carissime, — Datum XVI kalendas septembris, anno quinto decimo. »

4654 18 août 1331.

Regi Franciae negotia quae Arnaldus Dueza, vicecomes Caramanni, expedire habet, pro quibus Bernardum de Mier ad praesentiam regiam dirigit commendat. (Reg. 116, fol. 31 (59) v°, c. 160).

« *Eidem regi*. Cum dilectus filius — Datum XV kalendas septembris, anno quinto decimo. »(1)

(1) Reg. : *anno XIII*. Date corrigé à cause de l'enregistrement de cet acte dans notre registre.

Item in e. m. regine.

In e. m. mutatis mutandis comiti Alenconii.

In e. m. Roberto de Atrabato.

In e. m. Miloni, domino de Noeriis.

In e. m. Andree de Florencia, thesaurario Remensi.

In e. m. Guillelmo de Sancta Maura, decano Turonensi. Datum ut supra.

4655 21 août 1331.

Gastoni de Levis quod fructus beneficiorum suorum ecclesiasticorum in absentia usque ad triennium percipere possit. (Reg. 116, fol. 18 (46) v°, c. 72).

« *Gastoni de Levis, archidiacono Engolismensi, capellano nostro.* Nobilitatem generis, litterarum — Datum XII kalendas septembris, anno quinto decimo ».

4656 21 août 1331.

Abbati monasterii Athanatensis, praeposito Rivensis, ac sacristae Mirapiscensis ecclesiarum ut eidem Gastoni praedictos fructus ministrari faciant. (Reg. 116, fol. 18 (46) v°, c. 73).

« *Judicibus : .. abbati monasterii Athanatensis et ..preposito Rivensis ac ..sacriste Mirapiscensis ecclesiarum.* Quocirca et cetera — Datum ut supra [XII kalendas septembris, anno quinto decimo]. »

4657 21 août 1331.

Gastoni de Levis quod in loco ubi juris civilis studium vigeat generale usque ad triennium insistere possit, non obstantibus quod in Cordubensi decanatum, in Engolismensi archidiaconatum et in Aquensi ecclesiis sacristiam obtinet. (Reg. 116, fol. 18 (46) v°, c. 74).

« *Eidem Gastoni de Levis.* Desiderantium inbui scientia — Datum ut supra [XII kalendas septembris, anno quinto decimo]. »

4658 21 août 1331.

Eidem clericalem tonsuram habenti, quod ratione decanatus Cordubensis, archidiaconatus Engolismensis ac sacristiae Aquensis ecclesiarum usque ad triennium ad superiores ordines se facere promoveri non teneatur. (Reg. 116, fol. 18 (46) v°, c. 75 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. X, n. 54644).

« *Eidem* [*Gastoni de Levis*]. Exigunt tue multiplicia — Datum ut supra [XII kalendas septembris, anno quinto decimo]. »

4659 Avignon, 24 août 1331.

Hugoni de Manoneto testandi facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 188 (217) v°, p. c. 941).

« In e. m. (1) Hugoni de Manoneto, abbati secularis ecclesie Dauratensis, Lemovicensis diocesis. Datum VIIII kalendas septembris, anno quinto decimo ».

4660 Avignon, 27 août 1331.

Reginae Franciae mandat se ejus virum ab infidelium impugnatione retrahere non posse. (Reg. 116, fol. 34 (62) v°, c. 180 ; — Tabacco, *La casa di Francia nell'azione politica di papa Giovanni XXII*, p. 358, n. VIII).

« *Regine Francie.* Responsionem Deo gratam ut firmiter credimus nobisque acceptam admodum factam venerabili fratri nostro Petro, Rothomagensi archiepiscopo, super quibusdam ex parte nostra et aliis ex se ipso nos tangentibus et serenitati propositis regie plurimum in Domino commendantes, eandem prosequimur non indigne congruis actionibus gratiarum, Illi in cujus manu regum corda consistunt cernui supplicantes ut te in hac devotione ad matrem tuam sanctam Ecclesiam et nos te firmare ac conservare dignetur, teque per bona temporalia sic pertransire concedat ut eterna divina fulta potentia non amittas, sed cum vite finis advenerit ad illorum beatorum participium feliciter quod tibi concedat Altissimus admittaris amen. Ad hec, filia carissima, tua circumspectio non ignorat nos non decere catholicos principes ab infidelium impugnatione retrahere, sed ad id ipsos potius incitare, presertim illos qui se forsan ad hoc aliquando juramenti vinculo astrixerunt,

(1) Cf. n. 4541.

precipue quando ad impugnationem talium dicuntur dispositi vias sedule querimus per quas suum laudabile propositum possint executioni mandare. Ideoque nos habeat excellentia regia, quesumus, excusatos si super revocatione propositi regii directe sibi non scribimus in hac parte, ipsum tamen indirecte videlicet inducendo ad aliud prout honeste possumus, prout venerabilis frater noster P. Rothomagensis archiepiscopus excellentie regie si audire placuerit latius explicabit, nec videmus quomodo illud possit utilem effectum assequi cum jam unus illorum principum qui contra illos infideles insurgebat dicatur indubie cum eisdem treugas usque ad quadriennium iniisse, propter quod ipsorum infidelium potentia et audacia admodum noscitur excrevisse. Datum Avinione, VI kalendas septembris, anno quinto decimo ».

4661 Avignon, 27 août 1331.

Archiepiscopo Rothomagensi, de eodem. (Reg. 116, fol. 34 (62) v°, c. 181 ; — Tabacco, *op. cit.*, p. 359, n. IX).

« *Petro, archiepiscopo Rothomagensi.* Carissime in Christo filie nostre Johanne regine Francie illustri scribimus sub forma quam nunciat cedula presentibus interclusa ; volumus itaque quod eidem exponere studeas quantum esset nobis indecens principes catholicos a talibus retrahere, cum ad officium nostrum pertineat ipsos ad talia inducere et efficaciter invitare. Sed licet hoc directe dissuadere non possumus honeste, hoc tamen facimus indirecte. Explica itaque sibi modum insertum in litteris cujus transcriptum tibi mittimus quas regie celsitudini destinamus, et laborare provide ut rex et regina plene responsionem nostram intelligant operosum studium ac studiosam operam adhibere (*sic*). Datum ut supra ».

4662 28 août 1331.

Domino de Insula de studiis ejus filii et de cujusdam processus prosecutione scribit. (Reg. 116, fol. 39 (67), c. 200).

« *Domino de Insula.* Intellectis que misse nobis noviter tue nobilitatis littere continebant, acceptum habemus et gratum quod dilectus filius Jordanus, canonicus Caturcensis, natus tuus, studiis litterarum scientie et moribus imbuendus insistit ita quod ei de libris et aliis necessariis in studio provideas competenter. Ceterum quia stilum et mores gallicane curie probabiliter ignoramus, dare tibi super arresto illo de quo scripsisti plenum consilium non valemus. Sed dicunt aliqui sapientes, qui noverunt stilum hujusmodi, quod per viam supplicationis insistendum pro parte tua existeret ut, arresto non obstante predicto, ad proponendum et probandum jus tuum admittereris gratiam regiam obtineres (1). Datum V kalendas septembris, anno quinto decimo. »

4663 29 août 1331.

Aymerico vicecomiti Narbonensi ut ad Sedem Apostolicam veniat. (Reg. 116, fol. 34 (62), c. 178).

« *Aymerico, vicecomiti Narbonensi.* Cum certis ex — Datum IIII kalendas septembris, anno quinto decimo. »

4664 29 août 1331.

Ricaudo de Gorda potestatem recipiendi pecunias a societate Bardorum pro pannis in Flandriae partibus emendis concedit. (Reg. 116, fol. 180 (209) v°, c. 873 ; — Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 522, n. 3082).

« *Ricaudo de Gorda, civi et mercatori Avinionensi.* Cum te pro — Datum IIII kalendas septembris, anno quinto decimo. »

4665 Avignon, 1er oct. 1330-1er sept. 1331. (2).

Guigoni dalfino Viennensi de quibusdam bonis per gentes suas in territorio de Chassanhis a Sibilia nata Johannis Bonfilii militis emptis quorum dominium pertinet Hospitali sancti Johannis Jerosolimitani et Arnaldo de Trianno de Thalardo, nepoti papae. (Reg. 116, fol. 185 (214), c. 908).

« *Nobili viro Guigoni, dalfino Viennensi.* Nuper

(1) *Sic.*
(2) La date est incomplète. A rapprocher du n. 4552 ?

nobis exposito quod licet merum imperium ac jura, possessiones et bona que dilecta in Christo filia nobilis mulier Sibilia, nata quondam Johannis Bonifilii militis, habebat in quodam territorio vocato de Chassanhis tam sub Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani quam dilecti filii nobilis viri Arnaldi de Trianno de Thalardo Romane curie marescalli nepotis nostri dominio quam etiam sub retrofeudo carissimi in Christo filii nostri Roberti regis Sicilie illustris teneantur, pridem tamen gentes tue merum imperium, jura, possessiones et bona predicta emisse ab eadem nobili tuo nomine illorumque possessionem occupasse, Hospitali et Arnoldo predictis gentibusque regiis inscientibus et irrequisitis, non sine manifesto eorum prejudicio asseruntur, et demum vexillo tuo ibidem publice apposito dictum exercere nituntur imperium, ejusdem Arnaldi gentibus et officialibus varias molestationes et injurias nichilominus inferendo. Cum autem ex premissis tue utique saluti et honori si vera sunt obeuntibus ledatur justicia offendique posset rex predictus et pericula varia suscitari, nobilitatem tuam rogamus attencius et hortamur quatinus, premissis et aliis que potes super predictis perpendere consideranter attentis, que circa premissa per gentes tuas in eorumdem regis et Hospitalis et Arnaldi prejudicium facta sunt sic revocari provide ac in statum reduci debitum facias, cunctatione remota qualibet, quod quibusvis sublatis periculis tuis honori et saluti consulas tuaque propter hoc debeat circumspectio merito commendari. Datum Avinione, kalendis, anno quinto decimo.»

JOHANNIS XXII LITTERARUM SECRETARUM

ANNUS SEXTUS DECIMUS

4666 Avignon, 5 septembre 1331.

Regem Franciae hortatur ne ab ejus officialibus episcopum et ecclesiam Magalonenses ratione possessionis Melgorii comitatus molestari amplius permittat. (Reg. 116, fol. 211 (240) v°, c. 1062; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XI, p. 265, n. 58212).

« *Philippo, regi Francie illustri.* Doctor egregius, vas electionis et Christi apostolus Paulus nos instruit ut ambulare sicut lucis filii debeamus. Profecto, fili carissime, inter eos qui regnaverunt a multis citra temporibus non occurrit nostre memorie aliquis cui sic nomen lucis filius congruerit sicut tuo proavo sancte memorie beato Ludovico, cujus siquidem vita lux fuit coram omnibus principibus, cujusque opera gloriosa sic luxerunt coram omnibus ut eis ostenderit quid deberent agere, quid vitare quodque Illum glorificare debeant qui sibi et scire velle ac posse in hac valle miserie tribuit talia exercere. Hujusmodi lucis tu filius nosceris, nomine filii large sumpto, ideoque nationi congruit ut velut hujus lucis filius ambulare debeas, id est quod ejus gesta laudabilia studeas imitari. Hec pro tanto, fili dilectissime, premisimus quia quidam officiales regii venerabilem fratrem nostrum Johannem episcopum et ecclesiam Magalonenses super comitatu Melgorii et Montisferrandi, Magalonensis diocesis, noviter gravant multipliciter et molestant. Sane quid lux predicta dum adhuc in rebus humanis agens a nonnullis ejus instillaretur auribus quod eadem Magalonensis ecclesia in ejus et regni sui prejudicium comitatum tenebat predictum egerit ad tuam memoriam ut eum imitari valeas revocamus. Ipse quidem felicis recordationis Clementem papam IIII, predecessorem nostrum, quem habere super jure dicti comitatus noticiam supponebat super eo consuluit. Quid autem sibi vir Dei predecessor prefatus responderit, littera dicti predecessoris nostri sibi directa, cujus tenorem continet interclusa presentibus cedula, seriosius manifestat, qua recepta tam lux ipsa quam ejus successores in regno permiserunt absque molestia aliqua episcopum et ecclesiam Magalonenses comitatum predictum pacifice possidere. Rogamus itaque serenitatem regiam et hortamur attente quatinus velut dicte lucis filius ejusque sedulus immitrator (*sic*) a molestatione dictorum episcopi et ecclesie Magalonensium occasione comitatus predicti officiales quoscumque regios affectuose cohibeas, ipsosque episcopum et ecclesiam permittas comitatum predictum pacifice possidere, ac in aliis tam prefatos episcopum et ecclesiam quam alios precipue regni tui benivolentia regia ob Dei reverentiam velis prosequi et favore fulciri, hoc indubie supponentes quod si lucis prefate prosecutus vestigia perseveranter fueris, a recto non deviabis tramite, verum sine dubio ad perhempnem fruitionem increate lucis beatifice te perducent, quod Ille tibi dignetur concedere cui cum voluerit subest posse. Datum Avinione, nonis septembris, pontificatus nostri anno sexto decimo. »

4667 Avignon, 5 septembre 1331.

Johannae reginae Franciae ut pro eisdem apud regem partes suas interponat. (Reg. 116, fol. 212 (241), c. 1063).

« *Johanne, regine Francie illustri.* Quia officiales regii — Datum ut supra. »

4668 Avignon, 5 septembre 1331.

Petrum archiepiscopum Rothomagensem erogat ut pro eisdem episcopo et ecclesia Magalonensibus apud

dictum regem insistat eique transcriptum litterarum a quondam Clemente IIII Ludovico regi Franciae directarum mittit. (Reg. 116, fol. 212 (241), c. 1064).

« *Petro, archiepiscopo Rothomagensi.* Super cohercendis officialibus regiis a molestationibus quas venerabili fratri nostro Johanni episcopo et ecclesie Magalonensi super comitatu Melgorii et Montisferrandi, Magalonensis diocesis, noviter ut accepimus inferant, carissimo in Christo filio nostro Philippo regi Francie illustri porrigimus per alias litteras preces nostras. Sane quia speramus indubie quod tue solicitudinis operatio esse in hac parte poterit multipliciter fructuosa, fraternitatem tuam attentius deprecamur quatinus apud eundem regem super predictis insistere sedule non postponas. Qualiter autem felicis recordationis Clemens papa IIII^us predecessor noster olim sancte memorie Ludovico regi Francie super jure dicti comitatus informari ab eo, quem inde noticiam pleniorem supponebat habere, volenti responderit, procurator dicti episcopi per transcriptum litterarum dicti predecessoris nostri fraternitatem tuam reddere poterit certiorem. Datum ut supra [nonis septembris, anno sexto decimo]. »

In e. m. Petro, episcopo Eduensi.

In e. m. Miloni, domino de Noeriis.

In e. m. magistro Guillelmo de Sancta Maura, decano Turonensi, predicti regis cancellario.

4669 5 septembre 1331.

Bertrando de Sancto Germano ejusque uxori indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 195 (224), c. 989).

« *Bertrando de Sancto Germano, domicello, et Albine ejus uxori, Caturcensis diocesis.* Meritis vestre devotionis — Datum nonis septembris, anno sexto decimo. »

4670 5 septembre 1331 ?

Petronae relictae Philippi de Chamballaco indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 195 (224), p. c. 989).

« In eundem modum (1) pro nobili muliere Petrona, relicta quondam Philippi de Chamballaco, Petragoricensis diocesis ».

4671 9 septembre 1331.

Decano et capitulo ecclesiae Pictavensis, ut bona quondam Hugonis de Manoneto, concanonici eorum, et portionem praebendae sibi debitam Rogerio episcopo Lemovicensi, executori testamenti praefati Hugonis, fideliter assignent, ad pias causas applicanda. (Reg. 116, fol. 212 (241), c. 1065).

« ..*decano et capitulo ecclesie Pictavensis.* Cum quondam Hugo de Manoneto, concanonicus vester, qui nuper apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum suum, de licentia nostra sibi generose concessa dum viveret condiderit testamentum, legando ad pias causas, sicut accepimus, bona sua venerabilem fratrem nostrum Rogerium episcopum Lemovicensem executorem testamenti hujusmodi deputando, nos ad quos pertinet providere quod pie voluntates decedentium compleantur, volentes quod predictum testamentum sicut cum Deo fieri poterit compleatur, discretionem vestram requirimus attentius et hortamur vobis nichilominus districtius injungendo mandantes quatinus tam de depositis predicti Hugonis apud vos vel vestrum aliquem seu ecclesiam Pictavensem factis quam aliis bonis et fructibus que sibi per vos vel alios ratione canonicatus et prebende seu portionis quos in eadem ecclesia obtinebat debebantur dum viveret, executori predicto vel ejus certo procuratori sic prompte ac fideliter respondere et ab aliis responderi facere quantum in vobis fuerit procuretis quod de alio contra vos providere remedio occasione hujusmodi non sit opus, sed vos pocius inde commendari de discretione et obedientie merito valeatis. Datum quinto idus septembris, anno sexto decimo. »

In e. m. decano et capitulo ecclesie Beati Ilarii Pictavensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.

4672 Avignon, 11 septembre 1331.

Rudolpho episcopo Constantiensi ut cum Bertholdo

(1) Cf. *supra*, n. 4669. Notre acte est soit de la date du 4669, soit de celle du n° 4942 (15 août 1332) qui lui fait suite dans le registre.

Argentinensi et Johanne Lingonensi, administratore ecclesiae Basiliensis, episcopis ligam faciat. (Reg. 116, fol. 257 (286) v°, c. 1331 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 514, n. 1479).

« *Rudolpho, episcopo Constantiensi.* Super liga inter te, frater, ac venerabiles fratres nostros Bertholdum Argentinensem et Johanem Lingonensem administratorem ecclesie Basiliensis episcopos quam oportunam reputamus et utilem admodum facienda, eidem episcopo Lingonensi scribimus juxta formam quam continet cedula presentibus interclusa. Quocirca fraternitatem tuam rogamus et hortamur attentius quatinus, variis commodis que vobis et aliis fidelibus provenire poterunt ex eadem consideranter attentis, ad eam faciendam et complendam celeriter operosam adhibere diligentiam non postponas. Datum Avinione, III idus septembris, pontificatus nostri anno sexto decimo. »

In e. m. eidem episcopo Argentinensi.

4673 Avignon, 11 septembre 1331.

Eidem Johanni episcopo Lingonensi de praedicta liga facienda. (Reg. 116, fol. 257 (286) v°, c. 1332).

« *Johanni, episcopo Lingonensi, administratori ecclesie Basiliensis in spiritualibus et temporalibus auctoritate apostolica deputato.* Cum sit multum expediens Ecclesie sancte Dei prelatos ecclesiarum esse unanimes et concordes ut se mutuo fulcientes se fortius opponere valeant ascendentibus ex adverso, gratum nobis existeret admodum et acceptum si tu, frater, et venerabiles fratres nostri Constantiensis et Argentinensis episcopi vos per ligam et confederationem invicem uniretis, et cum ipsos quibus alias inde scripsisse meminimus ad hec intellexerimus voluntarios et paratos, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attencius quatinus circa faciendam ligam et confederationem hujusmodi adhibere cunctatione cessante studeas operam efficacem, nobis quid inde feceris nichilominus rescripturus. Datum ut supra. »

4674 11 septembre 1331.

Petro Guidonis indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 192 (221), c. 977).

« *Petro Guidonis, archipresbitero ecclesie de Capdroto, Sarlatensis diocesis.* Sincere devotionis affectus — Datum III idus septembris, anno sexto decimo. »

4675 11 septembre 1331.

Alienordi de Britannia indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 207 (236) v°, p. c. 1045).

« In e. m. (1) Alienordi de Britannia, abbatisse monasterii Fontebraudi, Pictavensis diocesis. Provenit ex — Datum III idus septembris [anno sexto decimo].

4676 12 septembre 1331.

Bernardo de Caunacio quod quotidianas distributiones integras praebendae suae ecclesiae Albiensis in quatuor anni festivitatibus usque ad triennium in absentia percipere possit. (Reg. 116, fol. 191 (220), c. 974 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XI, p. 9, n. 54941).

« *Bernardo de Caunacio, canonico Albiensi, familiari nostro.* Grata tue familiaritatis — Datum II idus septembis, anno sexto decimo. »

4677 12 septembre 1331.

Judicibus ut eidem Bernardo praedictas distributiones ministrare faciant. (Reg. 116, fol. 191 (220), p. c. 974).

« *Judicibus.* Mandamus quatinus vos — Datum ut supra. »

4678 12 septembre 1331.

Ramundo de Chaneriaco et officiali Vabrensi, ut inquirant an quondam Gualhardus Juliani, canonicus Caturcensis, collector in Ruthenensi et Vabrensi diocesibus, ejusque subcollector aliquid ultra rationem ab ipsis redditam receperint, et si quos in collectione lesissent, satisfactionem impendi faciant. (Reg. 116, fol. 191 (220) v°, c. 976).

(1) Cf. n. 4949. Cet acte pourrait être plus vraisemblablement de 1332.

« *Ramundo de Chaneriaco, canonico Massiliensi, et .. officiali Vabrensi.* Querela dudum continens quod collectores et subcollectores fructuum primi anni beneficiorum ecclesiasticorum apud Sedem Apostolicam vacantium, usibus et necessitatibus nostre Camere usque ad certum tempus sub certis modis et formis reservatorum et applicatorum, in Ruthenensi et Vabrensi civitatibus et diocesibus deputati circa collectionis officium hujusmodi eisdem auctoritate nostra commissum tam contra nos et eandem Cameram quam nonnullas privatas personas graviter deliquerant extitit deposita coram nobis. Nos autem nolentes hec si vera essent conniventibus occulis absque correctione debita pertransire, tibi, fili Raymunde, dedisse per alias litteras meminimus in mandatis ut, eorundem collectorum et subcollectorum rationibus super predictis diligenter auditis et informationibus receptis, eos quos reperires circa ea deliquisse citare peremptorie ut infra certum competentem per te sibi prefigendum terminum personaliter apostolico se presentarent conspectui responsuri et facturi quod rationis suaderet equitas procurares. Tu vero super contentis in eisdem litteris juxta tenorem earum procedens, quondam Gualhardum Juliani canonicum Caturcensem tunc collectorem et dilectum filium Deodatum Fabri civem Ruthenensem subcollectorem dictorum fructuum in eisdem civitatibus et diocesibus deputatos, informatione per te contra ipsos facta super premissis primitus, citare peremptorie ut infra certum terminum quem eis prefixisti super hec se coram nobis facturi et responsuri quod suaderet justicia presentarent personaliter curavisti; cujus quidem citationis vigore dictus Gualhardus tunc agens in humanis ad Sedem Apostolicam personaliter veniens et in predicta Camera se presentans, prefato Deodato personali comparitione propter infirmitatem proprii corporis qua detineri asserebatur tunc temporis excusato, quasdam super premissis pro se dictoque Deodato posuit in eadem Camera rationes, seque ad satisfaciendum tam ipsi Camere quam quibusvis privatis personis quibus ipse reperiretur teneri propter premissa seu premissa (*sic*) aliqua efficaciter obligavit. Subsequenter autem eodem Gualhardo in eis partibus viam universe carnis ingresso, tu ab ejusdem Gualhardi heredibus certas obligationes super predictis diceris recepisse. Volentes itaque nostris et ejusdem Camere ac aliorum quorum interest in hac parte indempnitatibus providere, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus an dictus Gualhardus vel ejus subcollector (1) aliquid ultra ea que se recepisse de dictis fructibus aliisque certis proventibus ad Cameram ipsam spectantibus computavit, super quibus per ipsam Cameram nos certificari voluimus, receperint aut quid et a quibus et si (2) contra nos et Cameram eandem seu quosvis alios circa collectionis predicte officium deliquerint et aliis premissa tangentibus, vocatis dictis heredibus ac Deodato et aliis quorum noveritis interesse, vos summarie simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii solerter et fideliter informetis; et auditis rationibus et defensionibus ipsorum et in quibus ipsos eidem Camere teneri propter premissa vel eorum aliqua reperiretis, necnon residua que per rationes jamdictas debentur per eos dicte Camere ab ipsis prout quemlibet eorum continget petere, exigere ac recipere integraliter studeatis, privatis quibuscunque personis quas dictus Gualhardus vel ejus subcollector in eodem collectionis officio lesissent injuste facientes per dictos heredes et subcollectores, sicut eos et quemlibet ipsorum ad hoc teneri noveritis, debitam satisfactionem impendi. Contradictores etc... Non obstante si eis etc... Volumus autem quod eosdem heredes ac subcollectores possitis absolvere plenius et quitare de hiis que ab ipsis exinde recipere nomine dicte Camere vos continget, confectis tamen super ipsa receptione duobus consimilibus publicis instrumentis quorum altero penes solventes dimisso reliquum ad prefatam Cameram mittere procuretis; ac nichilominus, postquam dicti heredes de premissis satisfecerint (3) prout ipsi pro se tenentur vel teneri per vos reperti fuerint seu de satisfaciendo infra certum aliquem per vos ad hoc eis competentem prefigendum terminum sufficientes dederint cautiones, bona dicti Gualhardi capta seu arrestata per te dicte Ramunde propter hoc relaxetis, nos et Cameram supradictam certificaturi nichilominus clare, particulariter et distincte de omnibus et singulis que quomodolibet egeritis in hac parte. Datum II idus septembris, anno sexto decimo ».

---

(1) Reg. : *subcollectoris.*
(2) Reg. : *et et si.*
(3) Reg. : *satisfecerent.*

4679 12 septembre 1331.

Regi Franciae Petrum de Via dominum Villemuri, nepotem suum, ejusque negocia commendat. (Reg. 116, fol. 212 (241) v°, c. 1066).

« *Philippo, regi Francie illustri.* Cum dilectus filius nobilis vir Petrus de Via, dominus Villemuri, nepos noster ejusque gentes pro ipso quedam in parlamento et curia regali negocia habeant expedire, nos predicta negocia benivolencie regie affectione qua possumus commendamus. Datum Avinione, II idus septembris, anno sexto decimo. »

In e. m. mutatis mutandis magistro Guillelmo de Sancta Maura, decano Turonensi, regis Francie cancellario.

In e. m., mutatis mutandis, Johanni, episcopo Belvacensi.

In e. m. Petro, archiepiscopo Rothomagensi.

In e. m. Petro, episcopo Eduensi.

4680 Avignon, 13 septembre 1331.

Ademaro, episcopo Valentinensi, de pace tractanda cum Ademaro de Pictavia. (Reg. 116, fol. 279 (308) v°, c. 1452).

« *Ademaro, episcopo Valentino et Diensi.* Cum super dissentione olim inter predecessores tuos episcopos Valentinos et Dienses ex parte una, et dilectum filium nobilem virum Ademarum de Pictavia suosque progenitores ex altera, procurante inimico humani generis suscitata, que tam partibus ipsis quam earum subditis et nonnullis aliis varia perduxit hactenus incommoda et dispendiosa parturivit pericula, per viam pacis et compositionis amicabilis sopienda, certus ad tractandum super hoc, electis per te ac eundem nobilem quibusdam tractatoribus, terminus, videlicet dies XXII presentis mensis septembris, fuerit, sicut accepimus, assignatus, nos, attentis innumeris malis et scandalis que jam provenerunt ex dissentione hujusmodi et formidantur imposterum nisi occurreretur salubriter proventura, inter te dictumque nobilem et utriusque subditos pacis et unitatis reformari federa per que vos et ipsi quiescentes in pacis pulcritudine habitantesque in tabernaculis fiducie et requie opulenta vacare piis operibus et vestris plene intendere valeatis utilitatibus intensis desideriis cupientes, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attentius sanoque tibi nichilominus consilio suademus quatinus, premissis omnibus et aliis que tibi possunt occurrere super hiis in examine recte considerationis adductis, ad sopiendam dissensionem hujusmodi et concordiam reformandam te habilitans et inclinans interesse in eodem termino non omittas, tam de capitulis tuarum Valentine et Diensis ecclesiarum quam [de] nobilibus vassallis tuis ac burgensibus Valentine et Diensis civitatum et diocesum personas discretas aliquas pacis et concordie hujusmodi zelatrices usque ad numerum de quo tibi expedire videbitur ut hec utilius et plenius fieri valeant tecum ducens. Et si forsan in ipso termino tractatus hujusmodi procurante pacis emulo votivum nequiret sortiri effectum, volumus et mandamus ut die vicesima instantis mensis octobris una cum personis eisdem nostro conspectui te presentes cum eodem nobile, cui hoc idem per alias litteras nostras scribimus super dicta concordia tractatum, circa quem tractare sedule Domino concedente intendimus, subiturus et prosecuturus sicut cognoverimus oportunum. Et ne hostis ipse callidus, qui sue venena nequicie ibi libentius diffundere satagit ubi se amplius existimat obfuturum, semen jaciendum pacis hujusmodi super seminando zizaniam interim possit inficere, et quominus fructum votivum producere valeat impedire, predictis exhortationibus nostris adicimus ut treugas indictas alias quomodolibet inter vos observare per te tuosque subditos inviolabiliter non postponas. Datum Avinione, idibus septembris, pontificatus nostri anno sexto decimo. »

4681 13 septembre 1331.

Ademaro de Pictavia, de eodem. (Reg. 116, fol. 279 (308) v°, c. 1453).

« *Eidem nobili.* Cum super dissentione — Datum ut supra. »

4682 13 septembre 1331.

Capitulo ecclesiae Valentinensis ut ad requisitionem Ademari episcopi Valentinensis nuntios pro pace tractanda cum Ademaro de Pictavia mittant. (Reg. 116, fol. 279 (308) v°, c. 1454).

« *Dilectis filiis .. capitulo ecclesie Valentinensis.* Quam gravia personarum et rerum animarumque amarius deploranda pericula produxerit hactenus dissensio quam hostis humani generis inter .. episcopos Valentinenses et Dienses ex parte una et dilectum filium nobilem virum Ademarum de Pictavia suosque progenitores ex altera vestram non credimus prudentiam ignorare. Cum autem super tractatu dissensionis hujusmodi per viam pacis et compositionis amicabilis, ne graviora imposterum discrimina pariat, sopiende per venerabilem fratrem nostrum Ademarum, episcopum Valentinensem et Diensem, et dictum nobilem, quibusdam electis hincinde tractatoribus certus terminus extiterit sicut accepimus assignatus, universitatem vestram rogamus et hortamur attentius quatinus, pacis et concordie innumera commoda et dissensionis discrimina deducentes in recte considerationis examen, ad pacem ipsam et concordiam vestros abilitetis animos et etiam inclinetis, aliquos ex vobis viros discretos utique ac pacis ipsius zelatores ad dictum terminum et deinde, si forsan tractatus predictus ibidem non procederet, ad nostram presentiam prout vos requiret idem episcopus, cum nos laborare intendimus super pace hujusmodi sedule, transmissuri. Datum ut supra [idibus septembris, anno sexto decimo] ».

In e. m. capitulo ecclesie Diensis.

In e. m. populo et civibus civitatis Valentinensis.

In e. m. populo et civibus civitatis Diensis. Datum ut supra.

4683 18 septembre 1331.

Gualhardo de Carceribus quod ratione ecclesiarum quas tenet ad superiores ordines promoveri usque ad triennium non teneatur concedit, dummodo se faciat in subdiaconum ordinari. (Reg. 116, fol. 192 (221), c. 978 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XI, p. 13, n. 54977).

« *Gualhardo de Carceribus, rectori de Luco et de Lacu ecclesiarum parrochialium invicem annexarum Ruthenensis diocesis.* Tue probitatis meritis — Datum XIIII kalendas octobris, anno sexto decimo. »

4684 20 septembre 1331.

Hugoni Genesii capellaniam perpetuam in ecclesia Sancti Agricoli Avinionensis fundatam et post privationem Hugonis Berengarii dispositioni apostolicae reservatam confert. (Reg. 116, fol. 274 (303) v°, c. 1436).

« *Hugoni Genesii, perpetuo capellano in ecclesia Sancti Agricoli Avinionensis.* Tue meritis probitatis — Nulli ergo etc.

Judicibus. Mandamus quatinus — Datum XII kalendas octobris, anno sexto decimo. » (1).

4685 20 septembre 1331.

Regi Franciae nuntios Leonis regis Armeniae commendat. (Reg. 116, fol. 212 (241) v°, c. 1067).

« *Philippo, regi Francie illustri.* Sicut excellentie regie scripsisse meminimus hiis diebus, carissimus in Christo filius noster Leo rex Armenie illustris ad insinuandum miserabilem et periculosum regni sui statum et nonnulla alia proponendum ad nos tuamque magnificentiam suos nuncios duxerat destinandos. Cumque predicti nuncii in presentiarum gressus suos ad tuam regalem presentiam properent ut se conspectui regio representent, ipsos et eorum negocium utique pium et cum compassione dignissimum benivolentie regie affectu ampliori quo possumus commendamus. Gratia Domini Nostri Ihesu Christi cor regium in agendis dirigat et protegat ab adversis. Amen. Datum XII kalendas octobris, anno sexto decimo. »

4686 22 septembre 1331.

Archiepiscopo Tarantasiensi et episcopo Maurianensi mandat ut de testamento quondam Eduardi comitis Sabaudiae clausulas legata Blanchae de Burgundia continentes eidem Blanchae tradant. (Reg. 116, fol. 279 (308), c. 1451).

« .. *archiepiscopo Tarantasiensi et..episcopo Maurianensi.* Sicut ex tenore petitionis carissime in Christo filie nostre Johanne regine Francie illustris nobis oblate percepimus, quondam Edduardus comes Sabaudie condens in sua ultima voluntate testamentum dilecte in Christo filie Blanche de Burgundia comitis et regine predictorum sorori

(1) Reg. : *anno quarto decimo.*

nonnullas pecuniarum quantitates aliaque bona in testamento legavit eodem. Sed dicta comitissa pro eo quia penes se non habet hujusmodi testamentum pecuniarum quantitates et bona prefata non potest petere nec habere, immo dictum testamentum, ut asserit dicta regina, penes vos existit quos idem comes executores ut dicitur ipsius constituit testamenti. Quare nobis dicta regina pro eadem comitissa humiliter supplicavit ut providere in hac parte ipsi comitisse de apostolica clementia dignaremur. Cum igitur favor sit executioni piarum voluntatum decedentium exhibendus nec cuicquam debeat in hac parte substrahi probationis copia ut in prosecutione sui juris propterea supplantetur, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus de clausulis legata hujusmodi continentibus et pro dicta comitissa facientibus in dicto testamento contentis eidem comitisse vel habenti ab ea super hoc speciale mandatum pro ipsa comitissa copiam edere ac tradere sine difficultate curetis, ita quod prefata comitissa jus suum super legatis vendicare valeat supradictis, vosque ob hoc de obedientie promptitudine commendari apud nos merito valeatis. Datum X kalendas octobris, anno sexto decimo. »

4687 25 septembre 1331.

Senescallo Provinciae, ut subsidium in partibus Pedimontis mittat. (Reg. 116, fol. 280 (309), c. 1455).

« *Philippo de Sangineto, senescallo Provincie.* Que in partibus Pedimontis contigisse displicibiliter audivimus dilectus filius nobilis vir Johannes Cabassole, miles, consiliarius regius plene sicut credimus tibi scribit. Sane cum valde sit necessarium illuc ad occurrendum futuris periculis oportunum subsidium destinare, nobilitatem tuam rogamus, requirimus et hortamur sano tibi nichilominus consilio suadendo quatinus aut gentes armigere seu pecuniarium oportunum non diferas subsidium destinare, deputando genti armigere si eam te contingat ad dictas partes mittere ydoneum directorem (1). Datum VII kalendas octobris, anno sexto decimo. »

(1) *Sic.* Corr. : *ductorem* ?

4688 25 septembre 1331.

Guillelmo Lachapelia ut priori et conventui monasterii Beatae Mariae Caturcensis, Cartusiensis ordinis, de necessariis per unum annum usque ad summam trecentarum quadraginta librarum parvorum turonensium de pecunia Camerae provideat. (Reg. 116, fol. 192 (221), c. 975).

« *Guillelmo Lachapelia, preposito de Navis in ecclesia Tutellensi.* Volentes dilectis filiis priori et conventui monasterii Beate Marie Caturcensis, Cartusiensis ordinis, de necessariis pro se suisque servitoribus usque ad unum annum continuum ut ibidem Deo servire decenter valeant provideri, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus de proventibus Cameram nostram contingentibus per te nostrarum vel ejusdem Camere litterarum auctoritate collectis vel etiam colligendis eisdem priori et conventui, tam in blado quam in vino et pecunia, usque ad summam trium centarum quadraginta librarum turonensium parvorum pro dictis unius anni necessariis studeas assignare, prefatam Cameram de quibus proventibus ac quantum in blado, vino et pecunia particulariter et distincte priori et conventui prelibatis assignaveris redditurus per instrumenta publica que inde fieri volumus nichilominus certiorem. Datum VII kalendas octobris, anno sexto decimo. »

4689 25 septembre 1331.

Miloni domino de Noeriis de quodam negotio pro quo ille scripserat. (Reg. 116, fol. 212 (241) v°, c. 1068).

« *Miloni, domino de Noeriis.* Ex causis certis ad presens id super quo scripsisti impleri non potuit; intendimus tamen cum se oportunitas offeret adimplere, personamque pro qua scripsisti habere propensius commendatam. Datum VII kalendas octobris, anno sexto decimo. »

4690 26 septembre 1331.

Johanni de Borco quod fructus beneficiorum suorum ecclesiasticorum in absentia usque ad triennium percipere possit, quotidianis distributionisbus dumtaxat exceptis. (Reg. 116, fol. 193 (222), c. 981 ; — Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 526, n. 3095).

« *Johanni de Borco, canonico Cameracensi.* Probitatis tue meritis — Datum VI kalendas octobris, anno sexto decimo.

Judicibus. Quocirca discretioni vestre — Datum ut supra. »

4691 26 septembre 1331.

Johannam reginam Franciae quae loco et tempore opportunis pro juribus Ecclesiae conservandis se opposuit commendat eamque ad continuandum hortatur. (Reg. 116, fol. 212 (241) v°, c. 1069).

« *Johanne, regine Francie illustri.* Ad nostrum auditum perduxit relatio fidedigna quod hiis diebus preteritis loco et tempore oportunis pro juribus Sancte Ecclesie catholice conservandis te opponere provide studuisti. Profecto, filia carissima, per hoc in retributione justorum tua uberior reddetur retributio nec in presenti vita premissa retributione carebunt. Hoc enim Veritas ipsa loquens de bonum operantibus dicit : « Centuplum, inquit, accipiet scilicet in vita presenti, et vitam eternam possidebit ». Et nichilominus omnium bonorum que fiunt in eadem Sancta Ecclesia participium habundantius meruisti. Sane, filia carissima, quia corona est solis perseverantibus repromissa, circumspectionem regiam rogamus attente quatinus ne tantis frustreris premiis in hiis perseverantia non tepescat. Nos autem pro hiis et aliis que ad Dei laudem et pacem Ecclesie te supponimus sepius operari gratiarum exolvimus uberes actiones, nos obnoxios amplius reputantes ad ea que tuum possent respicere comodum et honorem. Gratia Dei tecum sit tecumque sic laboret quod ad illam gloriam ad quam non pervenitur sine Dei gratia valeas pervenire. Datum Avinione, VI kalendas octobris, anno sexto decimo. »

4692 26 septembre 1331.

Reginae Franciae, quod novum cardinalem e Franciae regno creare non oportet. (Reg. 116, fol. 212 (241) v°, c. 1070).

« *Eidem* [*Johanne, regine Francie*]. Utinam, filia carissima, mos servatus in creandis nostris fratribus circumspectioni regie esset notus. Ipsorum quidem creatio nunquam fit in Camera sed in consistorio, votis fratrum omnium exquisitis. Item non consuevit nisi ex causa creatio fieri eorumdem. Cause autem consueverunt existere vel parvus eorum numerus, vel ipsorum inpotentia ad suum officium exercendum, que si ad presens considerentur attente, profecto nec numerus parvus nec ex parte illorum debet aliqua impotentia judicari. Numerus quidem, attento numero qui ante tempus felicis recordationis Clementis pape V[1] predecessoris nostri consuevit existere non parvus judicandus est sed potius excessivus. Credimus enim quod ante tempus ipsius numerus non adeo magnus fuerit sicut est in presenti. Defectus autem precipue scientie et interdum etiam corporalis virtutis creationem novam requirere consuevit, qui per Dei gratiam hodie non vendicat sibi locum. Tanta quidem tam scientie theologice quam utriusque juris in nostro collegio Dei gratia viget sufficientia quod pro casu aliquo extra eos non oportet nos aliorum suffragia mendicare, licet in causis que fidem respiciunt vel universalem statum Ecclesie consueverimus prelatorum presentium in Curia ac dictorum doctorum et professorum juris civilis aliorumque peritorum consilia postulare. Utinam quot sunt inter fratres nostros qui non habent sufficienter que ad statum eorum sunt necessaria quotque oportet nos propterea sufferre molestias prudentia regia plene sciret ! Adhuc obtaremus quod ad memoriam revocaret quot sunt fratres hodie de regno Francie et quot de regnis aliis in collegio antedicto, et itaque reperiret quod de regno Francie sunt sexdecim, de regno vero Italie sex, de regnis vero omnibus aliis solus unus, scilicet Ispanus existit. Obtaremus insuper, filia benedictionis et gratie, quod regum aliorum te instantia non lateret. Adhuc desideramus quod celsitudo regia dictum Sapientis dicentis « omnia tempus habent » et quod cum negocio est tempus et oportunitas interdum ad memoriam revocaret. Credimus quidem quod si hoc deduceret ad consistorium rationis (1) pro creatione novi fratris isto tempore non instaret. Nos autem premissis in consideratione deductis, ac cum venerabili fratre nostro P. tituli Sancti Martini in Montibus presbytero cardinali ac regio nuncio conferentes, licet parati essemus fratribus nostris vota exponere regia, quia cum ex hiis que in proximo preteritis ordinibus probavimus ubi vota super

(1) Reg. : *quod pro.*

hoc eodem negocio regio eisdem fuerunt exposita, verebamur quod attentis omnibus supradictis eorum non haberemus assensum, visum fuit expedientius ad presens istud negocium subticere. Quare habeat nos super hoc celsitudo regia excusatos. Personam nominatam diligimus ac ad petita multum ydoneam reputamus, quam loco et tempore tum obtentu interventionis regie tum propter ejus merita que ad hoc multipliciter suffragantur habere proponimus propensius commendatam (1). Nuncium regium, qui revera non oportune solum sed importune nimium institit ut pro quo missus fuerat impleretur, sicut in sibi commissis diligentem et sedulum regali gratie commendamus. Datum Avinione, VI kalendas octobris, anno sexto decimo.»

In e. m. regi, mutatis mutandis, excepta recommendationis nuncii clausa. Datum ut supra.

4693 27 septembre 1331.

Regi Navarrae, de renunciatione patriarchae Jerosolimitani ecclesiae Nimiciensi (Reg. 116, fol. 213 (242), c. 1074).

« *Philippo, regi Navarre illustri.* Super admittenda renunciatione venerabilis fratris nostri Petri patriarche Jerosolimitani de Nimiciensis ecclesie (2) missis regie magnificentie litteris quas consueta benignitate recepimus diligenter inspectis, regie celsitudini breviter respondemus quod si dictus patriarcha libere ac pure renunciare ipsi ecclesie Nimiciensi voluerit, parati sumus eam recipere; sub conditione vero vel pactione qualibet hujusmodi renunciationem recipere, cum talis renunciatio pravitatem symoniacam sapiat, salva conscientia non valemus. Datum V kalendas octobris, anno sexto decimo.»

4694 27 septembre 1331.

Reginae Navarrae de eadem renunciatione. (Reg. 116, fol. 213 (242) v°, c. 1075).

« *Johanne, regine Navarre illustri.* Adjectis super negocio venerabilis fratris nostri Petri, patriarche Jerosolimitani, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Navarre illustris viri tui precibus, preces tuas solita benignitate suscepimus, super quo ecce dicto regi voluntatem nostram sicut supponimus Deo gratam per alias speciales litteras respondemus. Datum ut supra.»

In e. m. mutatis mutandis Henrico, domino Suliaci, buticulario Francie.

4695 28 septembre 1331.

Petro Guigonis de Castronovo ut de fidelitate Henrici de Montebotono inquirat. (Reg. 116, fol. 258 (287) v°, c. 1339; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 516, n. 1487; Sauerland, *Quellen zur lothringischen Geschichte*, t. I, p. 302, n. 667).

« *Petro Guigonis de Castronovo, archidiacono de Vico in ecclesia Metensi.* Super eo quod dilectus filius nobilis vir Henricus de Montebotono se nobis et Ecclesie Romane obsequiosum in partibus Alamannie reddidisse dicitur hactenus et reddit fideliter et solerter, hostes et rebelles abhorrendo et persequendo ipsius ecclesie, ac devotos et fideles fovendo et eis assistendo pro viribus, volentes effici certiores, volumus quod super hiis et ea tangentibus perquisita veritate solerter nobis quid inde repereris veraciter studeas intimare. Datum IIII kalendas octobris, anno sexto decimo.»

4696 30 septembre 1331.

Duci Britanniae ut Aymerico de Marcello familiari papae, cujus praesentia in curia apostolica plurimum est opportuna, facultatem homagii quod duci praestare tenetur per procuratorem praestandi concedat. (Reg. 116, fol. 213 (242) v°, c. 1076).

« *Johanni, duci Britannie.* Cum dilecti filii — Datum II kalendas octobris, anno sexto decimo.»

4697 30 septembre 1331.

Petro archiepiscopo Rothomagensi ut pro eodem apud dictum Johannem partes suas interponat. (Reg. 116, fol. 213 (242) v°, c. 1077).

« *Petro, archiepiscopo Rothomagensi.* Cum dilecti filii — Datum ut supra.»

(1) Reg. : *commendatum.*
(2) *Sic.*

4698 1er octobre 1331.

Ludovicum de Sabaudia, dominum Vaudi, hortatur ut Carolum primogenitum regis Bohemiae a persecutione communitatum Valentiae et Pereti avertat. (Reg. 116, fol. 280 (309), c. 1456).

« *Ludovico de Sabaudia, domino Vaudi.* Infesta nuper insinuatione percepimus quod dilectus filius nobilis vir Carolus, primogenitus carissimi in Christo filii nostri Johannis regis Boemie illustris, communitates et terras Valentie et Pereti in manu et devotione Romane Ecclesie persistentes molestat et molestare gravius nisi gentes dicti regis recipiant et ei se subiciant comminatur. Quocirca nobilitatem tuam rogamus et in Domino attentius exhortamur quatinus eundem primogenitum ut a premissis per que Deum ac nos et Ecclesiam memoratam graviter offenderet seque periculis subiceret variis abstineat omnino de cetero efficaciter inducere non postponas. Datum kalendis octobris, anno sexto decimo. »

4698 *bis* 1er octobre 1331.

Episcopo Valentino et Diensi de pace celeriter tractanda cum Ademaro de Pictavia. (Reg. 116, fol. 280 (309), c. 1457).

« *Ademaro, episcopo Valentinensi et Diensi.* Percepto pridem quod super dissensionibus et discordiis inter predecessores tuos episcopos Valentinenses et Dienses ex parte una et dilectum filium nobilem virum Ademarum de Pictavia ejusque progenitores ex altera, procurante humani generis inimico, suscitatis per viam pacis et amicabilis concordie ut futuris periculis que probabiliter formidantur ex preteritis obvietur salubriter sopiendis, electis hincinde certis tractatoribus ad conveniendum super hoc certus extiterat terminus assignatus, tibi per alias litteras nostras scripsisse meminimus ut, pacis et concordie hujusmodi commoda innumera et dissensionis discrimina consideranter attendens, una cum aliquibus capitulorum tuarum ecclesiarum ac vassallorum earum viris discretis pacis et concordie zelatoribus hujusmodi ad dictum convenires terminum tuumque animum ad ipsam pacem et concordiam inclinares, et si forsan in eodem termino tractatus pacis et concordie hujusmodi sortiri nequiret effectum, xx die presentis mensis octobris ad nostram presentiam una cum eisdem personis super dicto tractatu circa quem vacare intendebamus sedule venire non omitteres processurus. Sane quia, sicut accepimus, dictus viginti dierum terminus infra tempus per te dictumque nobilem statutum ad tractandum de hujusmodi pace et concordia coram dictis electis tractatoribus est inclusus, scire te volumus nostre intentionis et voluntatis existere ac etiam extitisse quod tu et prefatus nobilis per totum tempus quod ad tractandum super dicto negocio coram eisdem tractatoribus statutis (1) sicut melius et comodius, pacis actoris assistente gratia, fieri poterit procedatis, quodque nisi pacis desiderate intervenisset effectus interim infra viginti dies computandos a fine dicti statuti temporis, ad nostram presentiam juxta predictarum aliarum litterarum nostrarum seriem veniatis. Datum kalendis octobris, anno sexto decimo. »

In e. m. dicto nobili, non facta tamen mentione de capitulis et vassallis.

4699 1er octobre 1331.

Capitulo ecclesiae Valentinensis, de pace tractanda inter episcopum Valentinensem et Ademarum de Pictavia. (Reg. 116, fol. 280 (309), c. 1458).

« *Capitulo ecclesie Valentinensis.* Scripsisse nuper vobis meminimus quod cum venerabilis frater noster Ademarus episcopus Valentinus et Diensis super dissenssione quam inter predecessores suos ..episcopos Valentinenses et Dienses et dilectum filium nobilem virum Ademarum de Pictavia hostis pacis dudum suscitare studuit, et ex qua varia dispendiosa pericula provenerunt, per viam pacis et amicabilis concordie sopienda, electis certis tractatoribus hincinde super hoc, certum terminum ad conveniendum et tractandum de pace hujusmodi prefixissent, vos pacis ipsius commoda et dissensionis incommoda considerantes attente inclinare ad pacem ipsam vestros animos curaretis, aliquos ex vobis viros discretos et pacis zelatores ejusdem ad dictum terminum et deinde ad nostram presentiam sicut vos requireret dictus episcopus, si tractatus tunc forsan non procederet,

(1) Corriger. : *statuistis* ?

transmissuri, nostre intentionis extiterit et existat quod super dicto pacis negotio coram eisdem tractatoribus per totum tempus prefixum et ordinatum ab eisdem partibus procedatur, et, nisi desiderate pacis effectus interim proveniat, infra viginti dies computandos a fine dicti statuti temporis ad nostram presentiam super tractatu pacis ejusdem quam desiderabiliter appetimus debeant convenire, vestram prudentiam exhortamur et rogamus attente quatinus ut tractatus predictus procedat coram eisdem tractatoribus utilius et votivum, divina suffragante gratia, consequatur effectum, aliquos ex vobis viros pacificos et discretos dicteque pacis zelatores fervidos illuc et deinde nisi pax ipsa reformetur interim ad eandem nostram presentiam sicut superius exprimitur, sicut eos predictus requiret episcopus, transmittatis. Datum ut supra [kalendis octobris, anno sexto decimo].»

In e. m. capitulo ecclesie Diensis.

In e. m. populo et civibus civitatis Valentinensis.

In e. m. populo et civibus civitatis Diensis. Datum ut supra.

4700 5 octobre 1331.

Bartholomeo episcopo Forojuliensi quod ecclesias et cimiteria suae diocesis per aliquem sacerdotem idoneum usque ad triennium reconciliare possit. (Reg. 116, fol. 272 (301), c. 1423).

« *Bartholomeo, episcopo Forojuliensi.* Tue devotionis precibus — Datum III nonas octobris, anno sexto decimo.»

4701 19 octobre 1331.

Trieto Roerii et Johanni de Bellacumba, ut haereticos quos captivos detinent inquisitori seu diocesano loci assignent. (Reg. 116, fol. 281 (310), c. 1461 ; — J.M. Vidal, *Bullaire de l'inquisition française*, p. 176, n. 114).

« *Trieto Roerii, baillivo Briansonesii, et Johanni de Bellacumba, castellano Cadracii, Ebredunensis diocesis.* Si attenderetis sedule et consideraretis attente penas quas canones irrogant hiis qui officium inquisitionis impedire presumunt, credimus quod impedimenta vitaretis adhibere super hoc quelibet et impendere cum omni promptitudine auxilium, favorem et consilium curaretis. Sane quia, sicut displicenter audivimus, duos hereticos perfidos dicimini detinere captivos eosque diocesano loci seu inquisitori ejusdem heretice pravitatis a Sede Apostolica deputato, ne procedant contra ipsos ut debent, recusatis tradere ab eis propterea requisiti, discretionem vestram requirimus et monemus attente vobis nichilominus salubri consilio suadentes quatinus diocesano vel inquisitori predicto ad requisitionem ipsius predictos captivos absque mora qualibet assignetis, eos in suum carcerem pro executione sui officii sub fida vestra custodia deducentes, in hiis taliter vos habentes quod sententias evitare possitis et penas hujusmodi nec minus de zelo catholice fidei ac obedientie debito valeatis merito commendari. Datum XIIII kalendas novembris ,anno sexto decimo.»

4702 20 octobre 1331.

Ludovico comiti Flandriae ut nuncios Mariae ducissae Calabriae pro certis negotiis destinatos habeat commendatos. (Reg. 116, fol. 213 (242) v°, c. 1078 ; — Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 538, n. 3126).

« *Ludovico, comiti Flandrie.* Cum dilecta in — Datum XIII kalendas novembris, anno sexto decimo.»

4703 21 octobre 1331.

Guillelmo de Soyris, subdiacono, quod usque ad biennium (1) ad superiores ordines promoveri non teneatur. (Reg. 116, fol. 194 (223), c. 985).

« *Guillelmo de Soyris, parrochialium de Saurs et de Tronhaco ab ea dependentis ecclesiarum, Caturcensis diocesis, rectori, familiari nostro.* Exigunt grata tue — Datum XII kalendas novembris, anno sexto decimo.»

4704 21 octobre 1331.

Prioratum de Glanico, ordinis sancti Benedicti, diocesis Tutellensis, a monachis monasterii Aureliacensis ejusdem ordinis, diocesis Sancti Flori, soliti gubernari, per obitum

(1) Index : *ad triennium.*

Astorgii de Moysheto vacantem, dispositioni apostolicae reservat, si non sit alterius jus quaesitum. (Reg. 116, fol. 201 (230), c. 1015).

« *Ad futuram rei memoriam.* Cum sicut accepimus — Datum XII kalendas novembris, anno sexto decimo. »

4705 24 octobre 1331.

Episcopo Appamiarum mandat ut de statu fidei in suo diocesi eum certiorem efficiat. (Reg. 116, fol. 213 (242), c. 1071 ; — J.M. Vidal, *Bullaire de l'inquisition française*, p. 178, n. 116).

« *Dominico, episcopo Appamiarum.* De statu negociorum fidei tuarum civitatis et diocesis volentes effici certiores, fraternitati tue presentium tenore mandamus quatinus in quo statu nunc sunt eadem negocia et que notabilia circa illa gesta sunt postquam regimini ecclesie prefuisti nobis quamtocius intimare fideliter non postponas. Datum VIIII kalendas novembris, anno sexto decimo. »

4706 24 octobre 1331.

Petro episcopo Mirapiscensi ut de statu negociorum fidei scribat et contra haereticos procedat, non obstantibus defectibus in processibus repertis. (Reg. 116, fol. 213 (242), c. 1072 ; — J.M. Vidal, *op. cit.*, p. 178, n. 117).

« *Petro, episcopo Mirapiscensi.* Volentes de statu negociorum fidei tam tuarum quam vicinarum civitatum et diocesum habere noticiam pleniorem fraternitati tue presentium tenore mandamus quatinus de statu hujusmodi et eorum circumstantiis notabilibus nos efficere fideliter et celeriter studeas certiores. Ceterum[cum] super certis defectibus quos in quibusdam processibus factis per predecessores tuos adversus aliquos hereticos repereris nos quid agere debeas duxeris consulendos, volumus quod contra alios, illis omissis ad presens super quibus nondum plene deliberavimus, cures procedere justicia mediante. Datum ut supra. »

4707 25 octobre 1331.

Johanni de Caturco indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 193 (222) v°, c. 982).

« *Johanni de Caturco, laico Caturcensis diocesis.* Provenit ex tue — Datum VIII kalendas novembris, anno sexto decimo. »

4708 26 octobre 1331.

Johanni electo Morinensi tempus consecrationis recipiendae usque ad tres septimanas iterum prorogat. (Reg. 116, fol. 193 (222) v°, c. 983 ; — Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 542, n. 3139).

« *Johanni, electo Morinensi.* Merita tue devotionis. — Datum VII kalendas novembris, anno sexto decimo. »

4709 28 octobre 1331.

Episcopo Valentino et Diensi terminum pacem cum Ademaro de Pictavia tractandi usque ad XXI diem instantis mensis januarii prorogat. (Reg. 116, fol. 280 (309) v°, c. 1459).

« *Ademaro, episcopo Valentino et Diensi.* Pridem scripsisse tibi meminimus ut, si tractatores per te ac dilectum filium nobilem virum Ademarum de Pictavia super dissensionibus et discordiis olim suscitatis inter bone memorie predecessores tuos episcopos Valentinenses et Dienses ex parte una et dictum nobilem suosque progenitores ex altera per viam pacificam sopiendis electi convenire infra certum terminum in litteris nostris tibi super hoc novissime destinatis expressum forsitan non valerent, una cum aliquibus capitulorum ecclesiarum tuarum predictarum et vassallorum earum viris discretis pacis et concordie zelatoribus venire ad nostram presentiam super tractatu pacis hujusmodi, circa quem vacare intendebamus sedule, processurus cum eodem nobili procurares. Sane quia, sicut accepimus, tu absque tuo et ecclesiarum predictarum magno discrimine nequis ad ipsam presentiam infra predictum terminum juxta predictarum litterarum nostrarum seriem te conferre, nos tuis et ecclesiarum earumdem obviari periculis cupientes, dictum terminum usque ad XXI diem instantis mensis januarii prorogamus, volentes quod, nisi per tractatores eosdem vel alios interim fuerint dicte questiones decise, tunc cum predictis personis de dictis capitulis et vassallis ut premittitur

assumendis ad dictam venire presentiam non postponas. Datum V kalendas novembris, anno sexto decimo.»

In e. m. dicto nobili, non facta mentione de capitulis et vassalis.

4710 28 octobre 1331.

Capitulo ecclesiae Valentinae de eodem ut in dicto termino prorogato nuntios suos mittant. (Reg. 116, fol. 280 (309) v°, c. 1460).

« *Capitulo ecclesie Valentine.* Per nostras litteras — Datum ut supra.»

In e. m. capitulo Diensi.

In e. m. populo et civibus civitatis Valentine.

In e. m. populo et civibus civitatis Diensis.

4711 29 octobre 1331.

Gastoni comiti Fuxi de pace tractanda inter regem Majoricarum et Rogerium Bernardi, germanum comitis. (Reg. 116, fol. 226 (255) v°, c. 1174).

« *Gastoni, comiti Fuxi.* Letanter audivimus et dilecti filii nobilis viri Raymundi de Duroforti militis relatione percepimus tua negocia in curia Francie fore feliciter expedita, intensis desideriis affectantes discordiam subortam inter carissimum filium nostrum Jacobum, regem Majoricarum illustrem, ac dilectum filium Rogerium Bernardi germanum tuum per vias pacificas terminari, ad quod efficiendum, sicut et alias dicto regi ac tibi scripsisse meminimus, parati sumus interponere solicitudinis nostre partes. Sane quia si ad hoc rex prefatus procuratorem sufficientem dimiserit ignoramus, in presencia prefati militis procuratorem regis prefati vocari fecimus qui nobis asseruit quod pro certo credebat regem ipsum sufficienter super hoc providisse; militi autem diximus ut super hoc cum locumtenente regis plenius veritatem [inquireret], et si dimiserit, conveniret, fili, pars tua cum gentibus regiis de certa die in qua utraque pars cum suis munimentis se nostro conspectui presentaret, ut faciente pacis Actore ad sopiendam dictam discordiam possemus sedulam diligentiam adhibere. Datum IIII kalendas novembris, anno sexto decimo.»

4712 5 novembre 1331.

Raymundo de Valle facultatem percipiendi fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad aliud triennium prorogat. (Reg. 116, fol. 194 (223), c. 987 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XI, p. 70, n. 55576).

« *Magistro Raymundo de Valle, preposito ecclesie Mirapiscensis, familiari nostro.* Grata tue familiaritatis — Datum nonis novembris, anno sexto decimo.»

4713 5 novembre 1331.

Mirapiscensi et de Ultra Dorniam archidiaconis ac sacristae Avinionensis ecclesiae ut eidem Raymundo praedictos fructus ministrari faciant. (Reg. 116, fol. 194 (223) v°, p. c. 987).

« *Judicibus : ..Mirapiscensis et .. de Ultra Dorniam Petragoricensis archidiaconis ac sacriste Avinionensis ecclesiarum.* Mandamus quatinus vos — Datum ut supra.»

4714 5 novembre 1331.

Guillelmum Cabiroli collectorem bonorum et debitorum quondam Raynulphi Jordani, majoris praepositi monasterii de Baciaco, ordinis sancti Benedicti, diocesis Xanctonensis, dispositioni apostolicae reservatorum constituit. (Reg. 116, fol. 204 (233) v°, c. 1035).

« *Guillelmo Cabiroli canonico Tholonensi, Apostolice Sedis nuncio.* Cum nos volentes — Datum nonis novembris, anno sexto decimo.»

4715 6 novembre 1331.

Nuntios ab Eduardo comite Barensi pro negotio salvaegardiae Virdunensis destinatos eidem remittit cum praefata salvagardia pendente deliberatione revocata fuisset. (Reg. 116, fol. 213 (242), c. 1073).

« *Eduardo, comiti Barensi.* Tue nobilitatis litteras nobis pridem directas tuosque nuncios benignitate consueta recepimus et que coram nobis voluerunt super negocio illius salvegardie Virdunensis proponere intelleximus diligenter. Verum quia, pen-

dente deliberatione nostra super hiis, eorumdem nunciorum relatione percepimus salvamgardiam hujusmodi revocatam fuisse, non vidimus moram prefatorum nunciorum apud Sedem Apostolicam ulterius expedire, propter quod eis redeundi ad te dedimus licentiam gratiosam. Datum Avinione, VIII idus novembris, anno sexto decimo.»

4716 9 novembre 1331.

Arnaldo episcopo Regensi ut jocalia ecclesiae Bononiensis cui olim praefuit Stephano episcopo Bononiensi restituat. (Reg. 116, fol. 282 (311), c. 1471).

« *Arnaldo, episcopo Regensi.* Ex conquestione venerabilis — Datum V idus novembris, anno sexto decimo.»

4717 10 novembre 1331.

Raymundo episcopo Agathensi indulgentiam in mortis articulo concedit. (Reg. 116, fol. 193 (222) v°, c. 984).

« *Raymundo, episcopo Agathensi.* Fraternitatis tue devotio — Datum IIII idus novembris, anno sexto decimo.»

4718 13 novembre 1331.

Episcopo Condomiensi ad Raymundi de Lados, ordinis Minorum generalis procuratoris in Romana curia petitionem concedit ut cymiterium ecclesiae dictorum fratrum de Noriaco, Condomiensis diocesis, per aliquem sacerdotem idoneum reconciliare possit. (Reg. 116, fol. 224 (253), c. 1158).

« .. *episcopo Condomiensi.* Petitio dilecti filii — Datum idibus novembris, anno sexto decimo.»

4719 15 novembre 1331.

Bernardo Jordani, domino de Insula, quod nisi filios suos ad litterarum studia mittat, beneficia pro eisdem non expectet. (Reg. 116, fol. 227 (256), c. 1175).

« *Bernardo Jordani, domino de Insula, familiari nostro.* Credebamus, fili, sicut nobis pridem tu ipse rescripseras, quod filios tuos jam ad litterarum studia destinasses; verum quia, sicut displicenter audivimus, id facere neglexisti, advertentes quod de illis nulli potius quam tibi cura censetur incumbere scolastice discipline, nobilitatis tue prudentie sano consilio suademus ut ad promovendos eosdem filios ad periciam litteralem studiis et affectibus paternis intendas, nec speres a nobis quamdiu cessabunt a litterali studio, cum id sana nequiremus conscientia facere, uberiora beneficia pro eisdem. Datum XVII kalendas decembris, anno sexto decimo.»

4720 16 novembre 1331.

Regi Franciae ad ea quae scripsit responsionem mittit. (Reg. 116, fol. 220 (249), c. 1121).

« *Regi Francie.* Ad ea que continebant littere regie per latorem presentium hic transmisse per nostras litteras quas per certum nuncium qui hodie iter suum arripuit excellentie regie [misimus] respondemus, prout eisdem litteris providencia regia poterit intueri. Gratia Domini Nostri Jesu Christi cor regium in agendis dirigat et protegat ab adversis Amen. Datum XVI kalendas decembris, anno sexto decimo.»

4721 16 novembre 1331.

Johannae reginae Franciae negotia Arnaldi vicecomitis Caramanni commendat. (Reg. 116, fol. 222 (251), c. 1140).

« *Johanne, regine Francie.* Cum dilectus filius — Datum XVI kalendas decembris, anno sexto decimo.»

4722 Avignon, 18 novembre 1331.

Arnaldo nato Arnaldi vicecomitis Caramanni quod non obstante defectu aetatis beneficia ecclesiastica sine cura quaecumque recipere et procuratores constituere possit. (Reg. 116, fol. 199 (228) v°, c. 1008)

« *Eidem [Arnaldo, nato Arnaldi vicecomitis Cara-*

manni]. Exigunt laudabilis tue — Datum Avinione, XIIII kalendas decembris, anno sexto decimo. »

4723 20 novembre 1331.

Eidem ut non obstante quod infra septimum aetatis suae annum constitutus sit, clericalem tonsuram recipere valeat concedit. (Reg. 116, fol. 199 (228) v°, c. 1007).

« *Arnaldo, nato nobilis viri Arnaldi, vicecomitis Caramanni, scolari Tholosane diocesis.* Cum sicut accepimus — Datum XII kalendas decembris, anno sexto decimo. »

4724 20 novembre 1331.

Alziaco episcopo Dignensi indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 272 (301), c. 1424).

« *Alziaco, episcopo Dignensi.* Provenit ex tue — Datum XII kalendas decembris, anno sexto decimo. »

4725 20 novembre 1331.

Eidem quod horas canonicas juxta morem Romanae Ecclesiae cum quatuor capellanis suis dicere possit. (Reg. 116, fol. 272 (301), c. 1425).

« *Eidem.* Meruit tue devotionis — Datum ut supra. »

4726 20 novembre 1331.

Eidem episcopo Dignensi testandi facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 272 (301), c. 1426).

« *Eidem* [*Alziaco, episcopo Dignensi*]. Quia presentis vite — Datum ut supra [XII kalendas decembris, anno sexto decimo]. »

4727 24 novembre 1331.

Fulconi Fulconis de Lambisco tabellionatus officium concedit. (Reg. 116, fol. 273 (302), c. 1431).

« *Fulconi Fulconis de Lambisco, clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto, A — quensis diocesis.* Ne contractuum memoria — Datum VIII kalendas decembris, anno sexto decimo. »

4728 24 novembre 1331.

Episcopo Ambianensi de duobus millibus florenorum auri pro necessitate Ecclesiae missis regratiatur (Reg. 116, fol. 213 (242), v°, c. 1079).

« .. *episcopo Ambianensi.* De duobus milibus florenorum auri quos pro relevandis utilius nostris et Ecclesie Romane necessitatibus, [que] pro defensione ipsius Ecclesie fideique catholice incumbere dinoscuntur continue, nobis misit tua fraternitas gratiarum eidem referimus uberes actiones. Datum VIII kalendas decembris, anno sexto decimo. »

4729 28 novembre 1331.

Bernardo de Concossio ut usque ad certum tempus leges audire possit in loco ubi studium vigeat generale concedit. (Reg. 116, fol. 194 (223), c. 986).

« *Bernardo de Concossio, archipresbitero archipresbiteratus de Pestiliaco, cui cura imminet animarum, Caturcensis diocesis.* Desiderantium imbui scientia — Datum IIII kalendas decembris, anno sexto decimo. »

In e. m. Gualhardo de Turre, archipresbytero archipresbyteratus de Cassanolio cui cura imminet animarum, Engolismensis diocesis.

4730 1er décembre 1331.

Bona quondam Raynulphi Jordani majoris praepositi monasterii de Baciaco, ordinis sancti Benedicti, Xanctonensis diocesis, reservat. (Reg. 116, fol. 204 (233), c. 1034).

« *Ad futuram rei memoriam.* Volentes de bonis — Datum kalendis decembris, anno sexto decimo. »

4731 1er décembre 1331.

Bertholdo episcopo Argentinensi quoddam colloquium

habendi licentiam concedit. (Reg. 116, fol. 258 (287), c. 1340 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 518, n. 1499).

« *Bertholdo, episcopo Argentinensi.* Placet quod ille de quo tua nobis scripsit fraternitas cum illis a quibus requisitur colloquium habere possit si tue prudentie visum fuerit quod sine seductionis periculo hoc valeat adimplere. Datum kalendis decembris, anno sexto decimo. »

4732 2 décembre 1331.

Regi Franciae ut negotia Petri de Via, domini Villemuri, in regali curia expedienda commendata habeat. (Reg. 116, fol. 213 (242) v°, c. 1080).

« *Philippo, regi Francie illustri.* Negotia dilecti filii nobilis viri Petri de Via, domini Villemuri, nepotis nostri, que habet expedire in regali curia benivolentie regie affectione qua possumus commendantes, eam attentius deprecamur quatinus venerabili fratri nostro Johanni, episcopo Morinensi, velit adhibere fidem credulam super eis. Datum IIII nonas decembris, anno sexto decimo. »

In e. m. Johanne, regine Francie.

In e. m. verbis competentibus mutatis Ludovico, duci Borbonesii.

In e. m. Miloni, domino de Noeriis.

In e. m. Petro de Cunheriis, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris cancellario.

In e. m. alie quinque eisdem pro Arnaldo Dueza, vicecomite Caramanni.

4733 2 décembre 1331.

Comiti Flandriae negotia Petri de Manso, familiaris sui, commendat. (Reg. 116, fol. 213 (242) v°, c. 1081 ; — Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 547, n. 3156).

« *Ludovico, comiti Flandrie,* Cum dilectus filius — Datum ut supra [IIII nonas decembris, anno sexto decimo]. »

4734 7 décembre 1331.

Cancellario Parisiensi ut quasdam litteras fortuito repertas cum archiepiscopo Rothomagensi examinet. (Reg. 116, fol. 214 (243), c. 1082).

« *Cancellario Parisiensi.* Cum, ut accepimus noviter, scripturas quasdam in ecclesia Parisiensi dicaris fortuito reperisse, volumus et mandamus quatinus illas venerabili fratri nostro P., archieposcopo Rothomagensi, communicare ac cum ipso examinare studeas, nobis eas postmodum, si hoc ambo expedire decreveristis, secrete per fidelem nuncium destinandas. Datum VII idus decembris, anno sexto decimo. »

4735 7 décembre 1331 (1).

Capitulo ecclesiae Caturcensis ut ordinationem a Bertrando Sanctae Mariae in Aquiro diacono cardinali factam ad dissensionem inter ipsos et Batherium dominum Castrinovi, ratione jurisdictionis castri seu loci de Montato, Caturcensis diocesis, suscitatam, terminandam acceptent. (Reg. 116, fol. 214 (243), c. 1083).

« *Capitulo ecclesie Caturcensis.* Cum super dissensione que inter vos ex parte una et dilectum filium nobilem virum Batherium, dominum Castrinovi, familiarem nostrum ex altera ratione jurisdictionis castri seu loci de Montato ipsiusque pertinentiarum Caturcensis diocesis jamdiu fuisse dicitur sussitata, idem nobilis se velle stare ordinationi quam dilectus filius noster Bertrandus Sancte Marie in Aquiro diaconus cardinalis per viam juris vel compositionis amicabilis duxerit faciendam, si vos idem feceritis, obtulerit in nostra presentia constitutus, discretionem vestram rogamus attentius et hortamur sanoque vobis consilio suademus quatinus finem litis dubium et incommoda que ministrare interim posset ipsa dissensio diligentius attendentes, necnon confidentiam quam de probitate cardinalis ejusdem qui ecclesie nostre honorabile membrum existit potestis percipere considerantes attente, omissis ligitiosis amfractibus, viam oblatam hujusmodi que prima facie nobis videtur accommoda effectualiter acceptetis, vos ad illius prosecutionem sicut oportunum extiterit nichilominus effectualiter disponentes. Datum. »

(1) Cet acte n'étant pas daté, nous lui avons attribué, arbitrairement, la date de l'acte précédent du registre (n° 4734). L'acte suivant (n° 4923, c. 1084) est du 21 juillet 1332.

4736 13 décembre 1331.

Armando archiepiscopo Aquensi testandi facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 272 (301), p. c. 1426; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XI, p. 102, n. 55938).

« In e. m. (1) Armando, archiepiscopo Aquensi. Datum idibus decembris, anno sexto decimo. »

4737 Avignon, 16 décembre 1331.

Petro patriarchae Jerosolimitano ut intuitu negotii transmarini ad pacem inter Bernardum comitem Convenarum et Raynaldum dominum de Pontibus vicecomitem Carladesii reformandam cum Petro archiepiscopo Rothomagensi studium adhibeat. (Reg. 116, fol. 200 (249), c. 1122).

« *Petro, patriarche Jerosolimitano.* Cum negocio passagii transmarini per carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francie illustrem, zelo precipue devotionis assumpto plurimum expediat quod inter dissidentes regni Francie presertim potentes et nobiles qui eidem negotio possunt esse utiles pacis et concordie unitas reformetur, fraternitatem tuam rogamus et in Domino attencius exhortamur quatinus circa dissensionem quam inter dilectos filios nobiles viros Bernardum, comitem Convenarum, ex parte una, et Raynaldum, dominum de Pontibus, vicecomitem Carladesii, hostis pacis suscitare studuit per viam pacificam, extinctis penitus odiorum fomitibus, sopiendam una cum venerabili fratre nostro Petro, archiepiscopo Rothomagensi, cui super hoc etiam scribimus, si presens extiterit, elaborare sedule tueque partes solicitudinis adeo efficaciter interponere non omittas quod preter illa gaudia que Sapiens ineuntibus pacis consilia repromittit (2) nostram et Apostolice Sedis qui dicti passagii prosperitatem ferventer appetimus uberiorem gratiam assequaris. Datum Avinione XVII kalendas januarii, anno sexto decimo. »

In e. m. P., archiepiscopo Rothomagensi.

4738 16 décembre 1331.

Arnaldo episcopo Sarlatensi facultatem loca ecclesiastica suae diocesis, senectutis ratione, per alium visitandi aliamque petitionem de monachis insolentibus ejusdem diocesis non concedit. (Reg. 116, fol. 222 (251) v°, c. 1144).

« *Arnaldo, episcopo Sarlatensi.* Fraternitatis tue litteras — Datum XVII kalendas januarii, anno sexto decimo. »

4739 16 décembre 1331.

Priori claustrali ecclesiae Sarlatensis ut monachos ejusdem ecclesiae, ordinis sancti Benedicti, ad statuta observanda compellat. (Reg. 116, fol. 222 (251) v°, c. 1145).

« *Eidem priori* [*Sarlatensi*]. Intelleximus displicenter quod monachi ecclesie Sarlatensis ordinis sancti Benedicti, per campum licentie vagi voluntate indomita discurrentes ordinis predicti regulam et statuta dicte ecclesie salubria observare contempnunt in suarum animarum salutis dispendium, eorumdem ordinis et ecclesie opprobrium et scandalum plurimorum, multa que nec licet nec expediunt committendo. Cum autem claustralis talium correctio ad te pertinere dicatur, discretioni tue per apostolica scripta districtius injungendo mandamus quatinus premissa, que si vera sunt tolerari non debent nec relinqui dissimulata negligentia incorrecta, sic prout ad te pertinuerit juxta predicti statuta ordinis et sacrorum statuta canonum corrigere non postponas quod de negligentia reprehendi nequeas, sed potius valeas de diligentia super hiis commendari. Ea vero que de predictis per te non debebunt fieri aut nequibunt, venerabili fratri nostro A. episcopo Sarlatensi denuncies et ostendas, ut ipse adhibere virgam correctionis debite valeat in hac parte, rescripturus nobis fideliter quicquid egeris in premissis. Datum ut supra [XVII kalendas januarii, anno sexto decimo]. »

4740 16 décembre 1331.

Auditori causarum Curiae ne permittat Petrum Rotundi et Petrum de Cortesono cives Avinionenses ratione quorumdam eorum hospiciorum molestari (Reg. 116, fol. 272 (301) v°, c. 1428).

« .. *auditori causarum curie Camere nostre.* Expo-

(1) Cf. n. 4726.
(2) Reg. : *repromittat.*

suerunt nobis dilecti filii Petrus Rotundi [et] Petrus de Cortesono cives Avinionenses quod licet eorum hospicia sita infra portalia Pontis fracti et Manganesii civitatis Avinionensis in nullius fratrum nostrorum Sancte Romane Ecclesie cardinalium librata fuerint hactenus collocata, familiares tamen dilecti filii Talayrandi, tituli Sancti Petri ad Vincula presbiteri cardinalis, predicta hospicia per potentiam occupantes ea infra libratam quam idem cardinalis in eadem civitate (1) presencialiter [habet] includere in eorumdem civium pauperum equidem et aliunde non habentium ut asserunt unde sibi et sue familie providere in necessariis commode valeant prejudicium moliuntur. Quare nobis supplicaverunt humiliter dicti cives ut eisdem pio compatientes affectu dignaremur de oportuno in hac parte remedio providere. Nos itaque supplicationi hujusmodi benignius annuentes, eis et eorum cuilibet tenore presentium duximus concedendum quod dicta hospicia in prefata vel alia librata eorundem cardinalium nequeant contra voluntatem predictorum civium collocari, sed ipsi predictis hospiciis libere possint uti sicut alii cives [hospicia] habentes extra libratas cardinalium predictorum in eadem civitate utuntur. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus eosdem cives non permittas contra concessionem nostram hujusmodi molestari. Contradictores etiam etc. Datum XVII kalendas januarii, anno sexto decimo. »

4741 17 décembre 1331.

Bernardo Viridarii indulgentiam in mortis articulo concedit. (Reg. 116, fol. 203 (232) v°, c. 1025).

« *Bernardo Viridarii, laico Sancti Flori diocesis.* Devotionis tue sinceritas — Datum XVI kalendas januarii, anno sexto decimo. »

4742 20 décembre 1331.

Petrum, ad cardinalatus honorem noviter assumptum, a vinculo pastoralis officii ecclesiae Eduensis absolvit eique mandat ut ad Curiam veniat. (Reg. 116, fol. 220 (249), c. 1123).

« *Petro, Sacrosancte Romane Ecclesie presbitero cardinali.* Multiplicium sufficientiam meritorum quibus personam tuam Altissimus bonorum largitor omnium insignivit necnon carissimorum in Christo filiorum nostrorum Philippi regis et Johanne regine Francie illustrium testimonia nobis per eorum litteras exhibita sepius super hiis attendentes, ac ex hiis et aliis que nostrum ad hoc moverunt animum firma concepta fiducia quod ad supportandam sarcinam oneris nobis desuper impositi una cum aliis fratribus nostris Sacrosancte Romane Ecclesie cardinalibus esse poteris assistente tibi divina gratia multipliciter fructuosus, maturaque deliberatione cum eisdem fratribus nostris prehabita, te a vinculo quo ecclesie Eduensi cujus pastorali preeras officio per nos de potestatis plenitudine absolutum ad cardinalatus honorem de ipsorum fratrum consilio duximus assumendum. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus assumptioni hujusmodi devote ac humiliter acquiescens ad nostram et Apostolice Sedis presentiam absque morose dilationis obstaculo accedere non postponas, divinis et Ecclesie Romane obsequiis una nobiscum et eisdem fratribus vacaturus. Datum XIII kalendas januarii, anno sexto decimo. »

4743 20 décembre 1331.

Regi Franciae predicti Petri ad cardinalatus honorem assumptionem nuntiat. (Reg. 116, fol. 220 (249) v°, c. 1124).

« *Regi Francie.* Claris dilecti filii nostri Petri Sacrosancte Romane Ecclesie presbiteri cardinalis exigentibus meritis super quibus eum nobis regalis excellentia per suas litteras sepius commendavit, matura cum fratribus nostris ejusdem Ecclesie cardinalibus deliberatione prehabita et de ipsorum consilio, eundem Petrum ad cardinalatus honorem duximus die date presentium assumendum, quem benivolentie regie propensius commendamus. Datum ut supra [XIII kalendas januarii, anno sexto decimo]. »

In e. m. Johanne, regine Francie

Due ultime dupplicate fuerunt cum clausa que sequitur post verbum assumendum : « venerabilem fratrem nostrum Johannem, tunc episcopum Mimatensem, ad Eduensem ecclesiam cui dictus cardinalis prefuerat transferentes. Quos cardinalem

(1) Reg. : *civitate te.*

et episcopum benivolentie regie propensius commendamus.»

4744 Avignon, 21 décembre 1331.

Reginae Franciae de litteris quas scripsit regratiatur eique ipsius statum significat. (Reg. 116, fol. 216 (245), c. 1089).

« *Regine Francie.* Litteras regias omni — Datum Avinione, XII kalendas januarii, anno sexto decimo».

4745 23 décembre 1331.

Johanni de ecclesia Mimatensi ad ecclesiam Aeduensem per assumptionem Petri episcopi ad cardinalatus honorem vacantem translato mandat ut dictae ecclesiae regimen assumat. (Reg. 116, fol. 222 (251), c. 1141).

« *Johanni, episcopo Eduensi.* Pridem Eduensi ecclesie, tunc pro eo pastore carente quod nos dilectum filium nostrum Petrum sacrosancte Romane Ecclesie presbiterum cardinalem tunc episcopum Eduensem a vinculo quo ipsi ecclesie tenebatur astrictus absolventes eum suis meritis exigentibus ad cardinalatus honorem duximus de fratrum nostrorum consilio assumendum, volentes de pastore providere ydoneo et ad te tunc episcopum Mimatensem dirigentes intuitum mentis nostre, te a vinculo quo eidem ecclesie Mimatensi eras astrictus de potestatis plenitudine absolventes ad prefatam Eduensem ecclesiam de dictorum fratrum consilio duximus transferendum, te illi preficiendo in episcopum et pastorem. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus impositum tibi onus suscipiens reverenter ad ejusdem ecclesie Eduensis gubernationem providam sic cures dirigere studia mentis tue quod sub tuo fructuoso regimine, assistente tibi divina gratia, spiritualibus et temporalibus commodis amplietur tuque preter retributionis perhennis premium nostram et Apostolice Sedis gratiam uberius merearis. Datum X kalendas januarii, anno sexto decimo.»

4746 24 décembre 1331.

Regi Franciae Johannem episcopum Eduensem ab ecclesia Mimatensi translatum commendat. (Reg. 116, fol. 222 (251), c. 1142).

«.. *regi Francie.* Cum nuper venerabilem fratrem nostrum J. episcopum Eduensem ab ecclesia Mimatensi cui preerat ad Eduensem ecclesiam duxerimus auctoritate apostolica transferendum, eundem episcopum et ecclesiam suam regie benivolentie commendamus. Datum VIIII kalendas januarii, anno sexto decimo».

In e. m. regine Francie.

4747 24 décembre 1331.

Miloni domino de Noeriis eundem electum commendat. (Reg. 116, fol. 222 (251) v°, c. 1143).

« *Miloni, domino de Noeriis.* Vacante noviter ecclesia — Datum IX kalendas januarii, anno sexto decimo.»

4748 29 décembre 1331.

Guillelmo Parisiensi episcopo ut Arnaldum de Sancto Michaele, ordinis Praedicatorum, in theologia bacallarium, poenitentiarium apostolicum ad magisterii honorem promoveat. (Reg. 116, fol. 194 (223) v°, c. 988; — Denifle et Chatelain, *Chartularium Univer. Paris.*, II, p. 348,n. 917).

« *Guillelmo, ecclesie Parisiensis episcopo.* Habet fidedignorum assertio — Datum IIII kalendas januarii, anno sexto decimo».

4749 2 janvier 1332.

Petro de Talliata indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 203 (232), p. c. 1025).

« Item in e. m (1) pro Petro de Talliata, sacrista ecclesie de Burlatis, Castrensis diocesis — Datum IIII nonas januarii, anno sexto decimo.

Item in e. m. pro nobili muliere Marquesia de Petra, domina de Floriaco, Mimatensis diocesis. Datum ut supra».

4750 7 janvier 1332.

Gasberto archiepiscopo Arelatensi quod Johanni Gran-

(1) Cf. n. 4741.

dis, nato Johannis Grandis familiaris apostolici, scolari de civitate Avinionensi oriundo tonsuram conferre possit. (Reg. 116, fol. 272 (301) v°, c. 1427).

« *Gasberto, archiepiscopo Arelatensi, camerario nostro.* Percepto quod dilectus — Datum VII idus januarii, anno sexto decimo. »

4751 10 janvier 1332.

Nonnulla reservationem fructuum primi anni beneficiorum vacantium tangentia declarat eamdemque reservationem saepius prorogatam usque ad unum annum iterum prorogat. (Reg. 116, fol. 196 (225), c. 993).

« *Ad futuram rei memoriam.* Olim pro magnis — Datum IIII idus januarii, anno sexto decimo. »

4752 10 janvier 1332.

Permutationem reddituum inter habitatores castri Biturrite et ecclesiam Avinionensem confirmat. (Reg. 116, fol. 276 (305) v°, c. 1444).

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Equitatis ratio persuadet ut ea que ad utilitatem ecclesiarum rite facta reperiuntur et juste continuo vigore perdurent et, ne maliciis seu astuciis hominum infringantur imposterum, ea decet apostolice confirmationis munimine roborari. Sane venerabilis fratris nostri Gasberti, archiepiscopi Arelatensis, camerarii nostri, episcopatus Avinionensis vicarii generalis auctoritate apostolica in spiritualibus et temporalibus deputati, et dilectorum filiorum universitatis hominum et habitatorum castri Biturrite Avinionensis diocesis ad Avinionensem ecclesiam immediate spectantis, petitio coram nobis exhibita continebat quod dudum inter eundem vicarium predicte Avinionensis ecclesie nomine ac..sindicos universitatis hominum et ambaxiatorum predictorum, maturo et diligenti tractatu prehabito, quod predictorum universitas hominum et habitatorum seu sindici eorum nomine decem libras parvorum turonensium censuales quas habebant cum directo dominio, laudimio, consilio ac [jure] prelationis nostre eisque pro quibusdam tabulis sitis in majori macello Avinionensi annis singulis in festo Assentionis dominice debebantur et omne jus ad eos quomodolibet in eisdem vel earum ratione pertinens perpetuo in ecclesiam predictam et episcopos Avinionenses qui essent pro tempore nichil in eis retinendo transferrent, quodque pro hujusmodi decem libris in recompensatione earum idem vicarius decem libras monete malgoriensis quas prefati universitas et homines et habitatores debebant et tenebantur predicte Avinionensi ecclesie et episcopis prelibatis solvere nomine albergie in festo dedicationis beati Michaelis archangeli annuatim, cum eas predictus vicarius a dilecto filio nobili viro Jordano de Bosariis, domino Montismaurini, Vapincensis diocesis, et dilecta in Christo filia nobili muliere Margarita de Tullino ejus uxore, ad quos per certas successiones pervenerant, pleno jure acquisivisset nomine et ad opus ecclesie et episcoporum perpetuo remittat universitati hominum et habitatorum predictorum, eosque acquitiaret Avinionensis ecclesie ac episcoporum predictorum nomine absolutione et exhibitione dictarum decem librarum malgoriensium et imperpetuum per viam transactionis et permutationis hujusmodi liberaret, quodque tandem hujusmodi precedente tractatu memoratus vicarius diligenter et provide considerans et attendens ex premissis utilitatem et commodum ejusdem procurare ecclesie ipsius - que conditionem ex eo precipue facere meliorem quia plus valent decem libre turonensium parvorum quam malgoriensium dicteque libre turonensium cum directo dominio, laudimio, consilio jureque prelationis ut premittitur censuales existunt, ex quibus alia poterunt utpote ex directo dominio, laudimio, consilio et jure prelationis predictis commoda que nunquam possent ex dictis decem libris malgoriensium, quarum occasione nichil plus haberi poterat, antedicte ecclesie provenire, ad hujusmodi translationem et permutationem una cum memoratis sindicis faciendas quosupra nomine, recipiendo ab eis dictas decem libras turonensium censuales ipsisque dictas decem libras malgoriensium pro albergia ut prefertur debitas perpetuo remittendo processit, sicut in quodam instrumento publico inde confecto et coram nobis exhibito plenius continetur. Adiciebatur ulterius in petitione predicta quod aliqui predecessores conjugum prefatorum, quibus dicte decem libre melgoriensium pro dicta albergia tunc temporis debebantur, eas et jus percipiendi dictam albergiam recognoverunt se tenere ab Ecclesia Romana et curia comitatus Venayssini ad eandem Romanam Ecclesiam pertinentis. Quare nobis humiliter predicti vicarius et sindici supplicarunt ut transac-

tionem et permutationem ac remissionem et omnia alia supradicta approbare et confirmare auctoritate apostolica et ex certa scientia, necnon et omne jus, si quod ratione dicte recognitionis vel alias quoquo modo eidem Romane Ecclesie aut curie comitatus predicti competebat vel competere poterat in dictis decem libris melgoriensium vel albergia predicta, eidem universitati hominum et habitatorum predictorum prefatisque sindicis in personis et nomine ipsorum remittere penitus dignaremur, asserentes nos remissionem ipsam posse facere et debere, maxime quia dudum quintam decimam partem jurisdictionis alte et basse ac meri et mixti imperii quam habebat predicta Avinionensis ecclesia in castro de Interaquis dicte Avinionensis diocesis ejusque pertinentiis eidem Romane Ecclesie ac comitatui absque recompensatione inde propter hoc facta dicte Avinionensi ecclesie applicavimus antedictis. Nos autem premissis omnibus diligentius intellectis, attendentes quod translatio, permutatio, remissio et alia supradicta in commodum et utilitatem ecclesie predicte Avinionensis manifeste redundant, predicte supplicationi benignius inclinati transactionem et permutationem hujusmodi ac remissionem factam per eundem vicarium quosupra nomine de dictis decem libris melgoriensium et jure recipiendi dictam albergiam universitati hominum et habitatorum predictorum et prelibatis sindicis eorum nomine et omnia alia supradicta rata et grata habemus pariter et accepta eaque auctoritate predicta et ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, et nichilominus eosdem universitatem homines et habitatores dictumque castrum Biturrite a prestatione dictarum decem librarum melgoriensium ratione vel occasione dicte albergie perpetuo et ex abundanti exivimus et eciam liberamus, omne jus quod ratione recognitionum predictarum vel aliarum quarumcunque memorate Ecclesie Romane aut curie dicti comitatus competere poterat quovismodo eisdem universitati hominibus et habitatoribus plenarie nichilominus remittendo. Tenorem vero instrumenti predicti presentibus inseri fecimus qui est talis :

« In nomine Domini, amen. Anno ejusdem millesimo trecentensimo vicesimo primo, die XXIIII^a^ mensis maii, indictione quarta, pontificatus domini nostri domini Johannis pape XXII anno quinto, noverint universi hoc presens instrumentum publicum inspecturi quod, cum universitas hominum (1) Biturrite solvere consuevissent pro albergia decem libras malgoriensium annuatim nobili viro Barralo de Baucio, filio et heredi illustris viri domini Bertrandi de Baucio quondam comitis Avellini, quas decem libras reverendus pater in Christo dominus G. Dei gratia Massiliensis episcopus, domini pape camerarius, et episcopatus Avinionensis in spiritualibus et temporalibus vicarius generalis, emit nomine ecclesie et episcopatus Avinionensis certo precio, prout continetur in instrumentis publicis, magister Bremundus de Aramone notarius, Raymbaudus Adamarii domicellus et Rostagnus Ruffi sindici et sindicario nomine dicte universitatis Biturrite volentes et intendentes ipsam universitatem et singulares personas dicti loci a prestatione dictarum decem librarum eximere et imperpetuum liberare, permutaverunt et ex causa permutationis seu scambii tradiderunt et concesserunt nunc et imperpetuum pro dictis decem libris prefato domino vicario presenti et recipienti nomine dicte ecclesie et episcopatus Avinionensis et per eum episcopis Avinionensibus qui erunt pro tempore alias decem libras turonensium parvorum censuales quas habent et percipiunt annuatim in macello boum et in certis tabulis cum directo dominio, consilio, laudimio ac prelatione et quicquid juris habent ratione dictarum decem librarum, et versa vice dictus dominus vicarius nomine quo supra et ex causa dicte permutationis, dictas decem libras turonensium parvorum recipiens et acceptans, pro ejusdem utilitate dicte ecclesie dedit, concessit et tradidit nunc et imperpetuum predictis sindicis presentibus et recipientibus nomine dicte universitatis et singularium personarum dicti loci Biturrite predictas decem libras melgoriensium per eum emptas ac quicquid juris ratione dictarum decem librarum malgoriensium predicte ecclesie competebat, dans et concedens una pars alteri quod pars quelibet quosupra nomine possit et valeat auctoritate propria ingredi possessionem rei permutate, aliqua licentia minime expectata, constituens se quelibet pars precario nomine alterius rem permutatam tenere et possidere vel quasi donec quelibet pars possessionem ipsius rei permutate intraverit et apprehenderit corporalem. Et in predictis omnibus una pars aliam dominum et procuratorem constituit ut in rem suam propriam, acto et convento inter partes predictas quod dictus dominus vicarius bona fide

(1) Reg. : *homines*.

faciat et cum effectu procuret quod dominus noster summus pontifex venditionem ipsi domino vicario de dictis decem libris factam, cum a curia Venayssini dicerentur teneri, approbet ex certa scientia et confirmet et dictam universitatem absolvat et quitet a predictis ; acto etiam quod dicti sindici faciant et cum effectu procurent quod emphiteote qui dictas decem libras pro tabulis in dicto macello serviunt recognitionem faciant domino vicario supradicto nomine dicte ecclesie cum fuerunt requisiti. Et sic ut predictum est promiserunt dicte partes nominibus quibus supra presentem permutationem et omnia in ea contenta perpetuo rata et firma tenere et habere et teneri facere per quoscumque et contra non facere vel venire nullo modo, nullo jure nulloque tempore per se nec interpositam personam aliqua juris seu facti subtilitate et sub omni juris renunciatione pariter et cautela. Actum Avinione in camera thesaurarie, presentibus domino Ademario Amelii thesaurario, domino Ludovico de Petragrossa, domino Johanne Aymerici, Guillelmo de Granholis. Ego vero Raymundus Fogacie, notarius publicus curie episcopalis Avinionensis et totius episcopatus ejusdem qui, de licentia et mandato litteratorie michi factis et concessis per venerabilem virum dominum Jacobum Folquerii canonicum Aniciensem officialem Avinionensem, de quadam nota quam inveni in quodam cartulario domini P. Marini notarii, in remotis partibus agentis, de ipsa nota ejus manu prout fertur scripta hoc publicum instrumentum scripsi et signo meo signavi et de eadem nota extraxi cum clausulis consuetis apponi, supplendo in eadem in duobus locis in quibus etc.. continetur, substantiam facti in aliquo non mutando nec variando et de mandato ipsius domini officialis michi facto sub anno Domini millesimo CCC° XXX° die quarto mensis martii, hoc publicum instrumentum per me dictum R. Fogacie notarium sic in formam publicam extractum tradidi dicto Rostagno Ruffi, sindico Bitturite, nomine universitatis Biturrite signoque meo subsequenti solito signatum».

Nulli ergo etc. Datum IIII idus januarii, anno sexto decimo».

4753 10 janvier 1332.

Priori provinciali Praedicatorum Franciae ut Petro de Brolo, ejusdem ordinis, det licentiam ad papae praesentiam veniendi. (Reg. 116, fol. 220 (249) v°, c. 1125).

« *Priori provinciali fratrum ordinis Predicatorum Francie.* Volentes certis ex causis quod dilectus filius Petrus de Brolo, ordinis tui Predicatorum, ad presentiam nostram accedat, discretioni tue presentium tenore mandamus quatinus eidem Petro veniendi ad eandem presenciam cum uno predicti ordinis honesto socio cures, cessante difficultatis obstaculo, licentiam impertiri. Datum IIII idus januarii, anno sexto decimo».

4754 10 janvier 1332.

Quamdam domum francam sitam in civitate Avinionensi prope palatium episcopale capellano perpetuo capellae Sancti Andreae in ecclesia Sancti Agricoli Avinionensis fundatae in dotem assignat. (Reg. 116, fol. 272 (301) v°, c. 1429 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XI, p. 115 n. 56121).

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Ad pia quibus — Datum IIII idus januarii, anno sexto decimo».

4755 10 janvier 1332.

Abbati monasterii de Lancellis ut Ciceum argenterium de Aretio, sequentem Curiam, qui a praedonibus prope Avinionem captus in quadam grangia ejusdem monasterii detinetur, liberari faciat. (Reg. 116, fol. 282 (311) v°, c. 1472).

« .. *abbati monasterii de Lancellis, Valentine diocesis.* Relatione percepimus fide digna quod dilectus filius Cicius argenterius de Arecio sequens Romanam curiam, qui per quosdam predones nuper prope civitatem Avinionensem captus violenter et furtim sublatus in Dei ac nostram et Apostolice Sedis injuriam et contemptum extitit, per eosdem predones graviter vulneratus in quadam grangia tui monasterii vocata Alconne detinetur captivus. Cum autem velimus quod idem Cicius ab eorumdem predonum et quorumlibet aliorum violentiis et injuriis restitutus libertati pristine tueatur, discretionem tuam rogandam duximus et hortandam tibi nichilominus in virtute obedientie districtius injungentes quatinus, eundem Ciceum de manibus dictorum predonum liberari procurans, non permittas quod per eos vel quosvis alios alibi transferatur, sed ipsum facias pocius caritative tractari, et dum de vulneribus

predictis curatus extiterit eum sub securo conductu procures ad predictam [curiam] conduci, te super hiis taliter habiturus quod nos devotionem possimus exinde merito commendare. Datum IIII idus januarii, anno sexto decimo».

4756 10 janvier 1332.

Ademaro episcopo Valentinensi et Diensi de eodem. (Reg. 116, fol. 282 (311) v°, c. 1473).

« *Ademaro, episcopo Valentinensi et Diensi.* Relatione percepimus fide digna — Datum ut supra. »

4757 10 janvier 1332.

Johannae de Francia pro eodem Ciceo. (Reg. 116, fol. 282 (311) v°, c. 1474).

« *Johanne de Francia, dalfine Viennensi.* Relatione percepimus etc. — Datum ut supra [IIII idus januarii, anno sexto decimo]. »

4758 10 janvier 1332.

Consilio Dalfini Viennensis de eodem. (Reg. 116, fol. 282 (311) v°, c. 1475).

« *Consilio Dalfini Viennensis.* Relatione etc. — Datum ut supra. »

4759 11 janvier 1332.

Archiepiscopo Senonensi ut, ratione passagii transmarini a rege Franciae assumpti, pacem inter comitem Convenarum et vicecomitem Carladesii procuret. (Reg. 116, fol. 223 (252), c. 1146).

« *Guillelmo, archiepiscopo Senonensi.* Cum negocio passagii transmarini per carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francie illustrem, zelo ferventis devotionis assumpto expediat quod inter dissidentes regni Francie, presertim nobiles et potentes qui dicto passagio possunt oportuni existere, pacis concordia reformetur, fraternitatem tuam rogamus et in Domino exhortamur quatinus ut inter dilectos filios nobiles viros Bernardum comitem Convenarum et Raynaldum de Pontibus vicecomitem Carladesii dissidentes invicem pacis et unitatis, odiorum extinctis fomitibus, reformentur federa, adeo efficaciter velis interponere partes tuas quod illa proinde merearis assequi gaudia que a Sapiente pacis ineuntibus consilia promittuntur. Datum III idus januarii, anno sexto decimo. »

4760 Avignon, 11 janvier 1332.

Archiepiscopo Viennensi ut civitatem Valentinam ad pacem tractatam inter episcopum Valentinum et Ademarum de Pictavia se opponentem, ad dictam pacem procurandam compellat. (Reg. 116, fol. 273 (302), c. 1432).

« *Bertrando, archiepiscopo Viennensi.* Infausti rumoris assertio hiis diebus perduxit ad nostri apostolatus auditum quod, licet super gravi et periculosa discordia, quam dudum inter predecessores venerabilis fratris nostri Ademari episcopi Valentini et Diensis et dilectum filium nobilem virum Ademarum de Pictavia suosque progenitores ac utriusque subditos suscitare nimium studuit inimicus humani generis, per viam pacificam terminanda tractatus coram certis tractatoribus ab eisdem episcopo et nobili communiter electis penderet, nosque partibus ipsis per nostras scripsissemus litteras quod, nisi convenire possent coram eisdem tractatoribus infra certum in litteris ipsis prefixum terminum, una cum aliquibus discretis viris pacis hujusmodi zelatoribus per dilectos filios ..commune ac populum civitatis Valentine et quosdam alios destinandos se conferre ad nostram presentiam procurarent, alias nostras litteras dictis communi et populo super hoc nichilominus dirigendo, tamen predicti commune ac populus, nescimus quo ducti seu potius seducti consilio, aliqua que discordiam ipsam augent et nutriunt facere temptarunt interim, et ad alia que periculosa personarum et rerum comminantur dispendia, sicut asseritur, se disponunt. Nos itaque, pacem cupientes reformari predictam et hujusmodi periculis obviari, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus per te vel alium seu alios prefatos commune ac populum, quibus nos super predictis litteras nostras dirigimus speciales, moneas effi-

caciter et inducas ut tractatum pacis hujusmodi Deo grate ac prelibatis partibus et earum subditis multipliciter accommode quantum in eis fuerit prosequentes, ab hiis que nutriri vel augere possunt dictam discordiam aut tractatum impedire predictum abstinere procurent, ipsos per excommunicationis in personas singulares eorum ac interdicti in communitatem et universitatem eorum ac civitatem predictam Valentinam aliasque spirituales penas et sententias de quibus tibi expedire videbitur promulgandas, appellatione postposita, nichilominus compellens. Non obstante si eis communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Avinione, III idus januarii, anno sexto decimo. »

4761 11 janvier 1332.

Episcopo Condomiensi facultatem ecclesias et cimiteria suae diocesis violata per aliquem presbyterum ydoneum usque ad triennium reconciliandi concedit. (Reg. 116, fol. 224 (253), c. 1159).

« *Eidem episcopo* [*Condomiensi*]. Desideriis tuis libenter — Datum III idus januarii, anno sexto decimo. »

4762 11 janvier 1332.

Eidem quod loca ecclesiastica suae diocesis per alium usque ad annum visitare possit. (Reg. 116, fol. 224 (253), c. 1160).

« *Eidem episcopo.* Meritis tue devotionis — Datum ut supra. »

4763 11 janvier 1332.

Abbati monasterii de Flarano, archidiacono Agennensi et Bernardo Planha judicibus ut personas ab eodem episcopo deputatas recipiant eisque procurationes exhiberi faciant. (Reg. 116, fol. 224 (253) v°, c. 1161).

« *Judicibus : abbati monasterii de Flarano, Auxitane diocesis, et archidiacono Agennensis ac Bernardo Planha, canonico Auxitanae ecclesiarum.* Meritis etc. — Datum ut supra [III idus januarii, anno sexto decimo.]. »

4764 13 janvier 1332.

Johannen episcopum Ambianensem a sententiis si quas incurrit, in diversis casibus statum suum, provisiones promotionesque suas tangentibus pro quibus dispensationes obtinuit, absolvit. (Reg. 116, fol. 195 (224), c. 991 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XI, p. 119, n. 56178).

« *Johanni, episcopo Ambianensi.* Sincera tue fraternitatis devotio qua nos et Ecclesiam Romanam revereri studes continue promeretur ut tuis petitionibus, illis presertim que tue quietem conscientie ac status securitatem respiciunt, quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus. Sane tua coram nobis exhibita petitio continebat quod tu olim a nobis diversas obtinere dispensationes super diversis casibus statum tuum et provisiones tibi ac promotiones per nos de te factas tangentibus meruisti. Prima videlicet ut tu, qui cantoriam Beate Radegundis Pictavensis et subsequenter decanatum Sancti Germani Autisiodorensis Parisiensis ecclesiarum assecutus fuisti tam antequam decanatum obtineres predictum eandem tamen obtinens cantoriam quam etiam postea cum utrosque cantoriam et decanatum, videlicet etiam patiens in etate defectum, dispensative simul otinuisti (*sic*), jura posses audire civilia, felicis recordationis Honorii pape tertii predecessoris nostri et aliis quibuscunque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus ; ac subsequenter cum te in episcopum prefecissemus Trecensem dispensationis obstinuisti gratiam quod non obstante etatis defectu, maxime cum in XXIIII° anno etatis tue vel circa illum constitutus existere dicereris, predictum episcopatum Trecensem obtinere posses et licite retinere, supplentes defectum etatis hujusmodi per nostram dispensationem predictam ; ac deinde cum sic factus et existens Trecensis episcopus abinde infra biennium a tempore dispensationis predicte fuisses per nos ad Ambianensem episcopatum translatus, iterum tecum dispensavimus quantum ad dictum episcopatum Ambianensem super etatis defectu,

ut ipso non obstante dictum episcopatum Ambianensem obtinere posses et licite retinere et omnem supplentes tue defectum etatis sicut in diversis nostris super predictis confectis litteris plenius continetur. Et licet tu qui primo eamdem cantoriam et postmodum ipsam et decanatum predictos simul dispensative obtinens et scolasticis disciplinis insistens jura civilia sepius audivisti, per dispensationes predictas quas super legibus audiendis, post obtentam (1) per te primo predictam cantoriam et postmodum cum ipsa cantoria sicut proponitur decanatum prefatum, credebas et credidisti per quondam Johannem Chersamont, decanum ecclesie Pictavensis et cancellarium Francie, patruum tuum, sub cujus confidentia discretionis et prudentie constitutus eras etiam ante quam post obtentas dignitates seu earum alteram leges audires, impetratas et tibi concessas fuisse hactenus credideris, sicut nunc credis etiam te fuisse quantum ad omnes status tuos predictos esse in tuto, quia tamen bonorum mentium est ibi culpam metuere ubi culpa minime reperitur, nobis humiliter supplicasti ut ad ora quorumvis emulorum et detractorum claudenda tuamque conscienciam serenandam si postquam cantoriam tantum vel postquam subsequenter eam et decanatum predictos dispensative simul obtinuisti, sicut premittitur, et ante licentiam predictam obtentam a nobis de supradictis juribus civilibus audiendis ea forsitan audivisti, necnon si exprimendo etatem tuam quando te ad episcopatum Trecensem promovimus fuerit in aliquo veritas tacita vel expressa falsitas, quod non credis, immo semper credisti et credis quod prefatus patruus tuus qui veritatem etatis tue scire poterat absque falsitatis commixtione expressit seu exprimi fecit eandem, te ab omnibus excommunicationum sententiis si aliquibus sis vel fueris propter hoc innodatus ad cautelam absolvere et tecum ex uberioris dono gratie super quibuscunque irretitum vel inhabilitatum penis seu notis quas propter premissa vel eorum aliqua incurrisses, quodque predictis sententiis irregularitatibus et inhabilitatibus non obstantibus et specialiter si exprimendo etatem tuam quando te ad episcopatum Trecensem dispensative promovimus fuit pro parte tua veritas tacta vel expressa falsitas, quod non credis, dignitatem episcopalem et predictum episcopatum Ambianensem ipsiusque administrationem cum omnibus suis juribus licite valeas retinere, quodque a fructuum ex predictis dignitatibus et aliis tuis beneficiis ecclesiasticis quibuscumque per te bona fide perceptorum et etiam consumptorum restitutione penitus sis immunis dispensare et concedere de speciali gratia et ex certa scientia dignaremur. Nos itaque supplicatione (1) hujusmodi plenius intellecta, volentes te favoribus super hiis prosequi generosis, te a predictis sententiis si quas ex premissis que narrata sunt superius incurristi tenore presentium absolvimus ad cautelam et tecum nichilominus super irregularitate ex predictis vel aliquo predictorum contracta quodque omnibus supradictis nonobstantibus eundem episcopatum Ambianensem licite retinere valeas dispensamus, tibique fructus predictos bona fide consumptos remittimus si sint in licitos et honestos usus consumpti. Nulli ergo etc. Datum idibus januarii, anno sexto decimo. »

(1) Reg. : *obtentis.*

4765 Avignon, 13 janvier 1332.

Caercinum Senhorelli capellanum perpetuum altaris Sancti Andreae in ecclesia Beati Agricoli Avinionensis instituit. (Reg. 116, fol. 273 (302), c. 1430).

« *Caercino Senhorelli* (2), *capellano perpetuo altaris Beati Andree in ecclesia Beati Agricoli Avinionensis.* Probitatis tue meritis — Datum Avinione, idibus januarii, anno sexto decimo. »

4766 15 janvier 1332.

Archiepiscopo Senonensi negotia quae Bernardus Jordani, dominus de Insula, in regali curia expedire habet commendat. (Reg. 116, fol. 223 (252), c. 1147 ; — Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 551, n. 3168).

« *Eidem archiepiscopo* [*Senonensi*]. Cum dilectus filius nobilis vir Bernardus Jordani, dominus de Insula, quedam negocia habeat, sicut accepimus, in regali curia expedire, nobilem et negocia hujusmodi tue fraternitatis benivolentie propensius commendamus. Datum XVIII kalendas februarii, anno sexto decimo. »

(1) Reg. : *supplicationem.*
(2) Index : *Seni Temborelli.*

In e. m. Johanni, episcopo Belvacensi.

In e. m. Johanni, episcopo Morinensi.

In e. m. Johanne, regine Francie, verbis competentibus mutatis.

In e. m. Miloni, domino de Noeriis.

In e m. Petro de Cunheriis, regis consiliario.

4767 15 janvier 1332.

Communi civitatis Valentinae ut ad pacem inter Ademarum episcopum Valentini et Diensis et Ademarum de Pictavia citius obtinendam ab hiis quae discordiam nutriri possunt abstineant et nuntios ad Sedem Apostolicam mittant. (Reg. 116, fol. 282 (311) v°, c. 1476).

« *Communi et populo civitatis Valentine.* Dudum intellecto quod ad tollendam periculosam et scandalosam discordiam olim inter predecessorem venerabilis fratris nostri Ademari, episcopi Valentinensis et Diensis, et dilectum filium nobilem virum Ademarum de Pictavia ejusque progenitores ac utriusque subditos et valitores hoste procurante humani generis suscitatam, super qua per viam pacificam sopienda (1) per nos extitit multipliciter alias sicut vos ignorare non credimus laboratum pacisque concordiam utrique parti multipliciter accomodam reformandam prefati episcopus et nobilis nostris acquiescentes monitis et persuasionibus in hac parte salubribus certos tractatores duxerant concorditer eligendos, nos tam ipsis quam vobis scripsisse meminimus exhortando ut viam sequeremini hujusmodi pacificam diligenter, et si forsan tractores predicti convenire non possent, partes ipse cum aliquibus viris discretis pacis ejusdem zelatoribus [per] vos et alios quos predictum tangit negocium destinandis venire infra certum per nos eis prefixum terminum ad nostram presentiam procurarent. Sane cum vos, sicut intelleximus displicenter, premissis pendentibus attemptaveritis aliqua que dictam possunt augere discordiam et pacis tractatui non modicum impedimentum afferre ad alia scandalosa et periculosa nimium vos paratos (2), providentiam vestram rogamus attentius et hortamur sano vobis nichilominus consilio suadentes quatinus commodis variis ex pace hujusmodi, si Deus eam dederit, proventuris et dispendiosis periculis que predicta parturivit hactenus discordia et imposterum nisi pax ipsa interveniat comminatur parere diligenter attentis, ab hiis que nutrire vel augere possunt discordiam abstinentes omnino, vos ad viam pacificam penitus inclinetis, viros ex vobis discretos et pacis ipsius fervidos zelatores una cum eodem episcopo ad nostram presentiam secundum litterarum nostrarum alias vobis directarum [tenorem] nichilominus destinando (1). Datum XVIII kalendas febroarii, anno sexto decimo. »

(1) Reg. : *sopiendam.*

(2) *Sic.*

4768 15 janvier 1332.

Ademaro episcopo Valentino et Diensi ut praefatas litteras dictae communae praesentet eamque ad pacem inducat. (Reg. 116, fol. 283 (312), c. 1477).

« *Ademaro, episcopo Valentino et Diensi.* Tam tibi, frater — Datum ut supra. »

4769 15 janvier 1332.

Bertrando de Volta ut eandem communam ad pacem inducat. (Reg. 116, fol. 283 (312), c. 1478).

« *Bertrando, domino de Volta.* Infesta relatione percepto — Datum ut supra [XVIII kalendas febroarii, anno sexto decimo.]. »

4770 16 janvier 1332.

Regem Bohemiae hortatur ut ab unione cum hoste Ecclesiae se abstineat eique de adventu ejus apud regem Franciae et de quadam dispensatione non concessa scribit. (Reg. 116, fol. 258 (287) v°, c. 1341 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 525, n. 1510 ; Tabacco, *La casa di Francia nell'azione politica di papa Giovanni XXII*, p. 359, n. X).

« *Regi Boemie.* Dilectum filium Johannem, prepositum Vicegradensem, Pragensis diocesis, nuncium regium benigne recepimus et que littere per eum nobis exhibite regie continebant queque ipse proponere voluit intelleximus diligenter. Sane, fili carissime, si sciret circumspectio regia que et qualia de unione tua et illius nobilis Dei et Ecclesie emuli

(1) Reg. : *destinandos.*

dicuntur communiter, quibus dictis tue littere regie diversis civitatibus ac prelatis necnon et personis singularibus in partibus destinate (1) Italie concordari videntur aperte, profecto non miraretur excellentia regia si cor nostrum reddant dubium et perplexum, presertim cum a pluribus impresentiarum indubie referatur te, postquam a regno tuo dicessisti, novissime biduo moram traxisse cum dicto Dei et Ecclesie emulo et cum eodem habuisse secreta consilia que non extimant fideles Ecclesie in favorem Ecclesie redundare. An autem cum hoc scriptis et relatis (2) per te nobis et tuos nuncios conveniant, advertat et consideret regia celsitudo. Sane quia jam audimus te, fili carissime, ad carissimi filii nostri in Christo Philippi regis Francie illustris presentiam pervenisse, speramus in Domino quod tua intentio apertius producetur in lucem, que si talis qualem obtamus qualemque (*sic*) tue magnificentie congruit fuerit exultabit cor nostrum in Domino, sibique vicissitudine mutua curabimus respondere. Circa dispensationem illam de qua per nuncium predictum nobis mencio facta fuit, ante diu quam dictus ad nos nuncius pervenisset receperamus plures litteras que dispensationem fieri cum instancia postulabant. Nos tamen ipsam concedere specialiter contemplatione tue excellencie regie distulimus, de ea concedenda spem sub certis conditionibus Deo gratis et Ecclesie convenientibus dederimus que cum nondum sint effectui mancipate a qua spe curassemus si utique prevenissent littere regie abstinere. Ad hoc celsitudinem regiam hortamur in Domino et rogamus attente ut pro honore Dei tueque salutis anime a Dei offensa et Ecclesie debeas abstinere, sciturus te aliter iram Dei contra te provocare periculose nimium cum in ejus manu consistunt reges et regna quique humiliat et sublevat pro sue libito voluntatis. Gratia Domini Nostri Jhesu Christi cor tuum in hiis et aliis dirigat ad ea que sibi sunt placita humiliter et inclinet. Amen. Datum XVII kalendas febroarii, anno sexto decimo. »

4771 Avignon, 21 janvier 1332.

Aymoni comiti Sabaudiae ut magistro Guillelmo de Campiniaco, canonico Bajocensi, pro quibusdam negotia Lombardiae ac Romaniae tangentibus fidem adhibeat. (Reg. 116, fol. 281 (310), c. 1463).

(1) Reg. : *destinatis.*
(2) *Sic.* Corr. : *scripta et relata* ?

« *Eidem comiti* [*Sabaudie*]. Cum dilecto filio magistro Guillelmo de Campiniaco, canonico Baiocensi, procuratori tuo certa tue nobilitati explicanda super negociis Lombardie et Romanie duxerimus, nobilitatem rogamus eandem quatinus eidem procuratori fidem velit credulam adhibere. Datum Avinione, XII kalendas febroarii, anno sexto decimo. »

4772 23 janvier 1332.

Petro Marini ut confessorem eligere possit. (Reg. 116, fol. 196 (225), c. 992).

« *Petro Marini, canonico Xanctonensi, familiari nostro.* Puritatem devotionis et — Datum X kalendas febroarii. »

4773 28 janvier 1331.

Electo Autisiodorensi ut ad ipsius ecclesiae gubernationem studium impendat. (Reg. 116, fol. 223 (252), c. 1152).

« *Aymerico, electo Autisiodorensi.* Nuper ecclesia Autisiodorensi pro eo pastoris solatio destituta quod nos dilectum filium nostrum Thalairandum tituli Sancti Petri ad Vincula presbiterum cardinalem, qui tunc regimini pastorali preerat ejusdem ecclesie, per nos a vinculo quo ipsi tenebatur astrictus eidem de fratrum nostrorum consilio absolutum ad cardinalatus honorem de dictorum fratrum consilio duximus assumendum, nos volentes prefate ecclesie, ne viduitatis ulterius subiciatur incomodis, de pastore ydoneo providere et ad te canonicum Turonensem dirigentes intuitum mentis nostre, de memorata ecclesia de fratrum eorumdem consilio providimus teque illi preficimus in episcopum et pastorem. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus impositum tibi onus hujusmodi suscipiens reverenter ad gubernationem ipsius ecclesie providam sic tua dirigere studia non postponas quod sub tuo fructuoso regimine, assistente tibi divina gratia, commodis spiritualibus et temporalibus amplietur tuque preter perhennis retributionis premium nostram et Apostolice Sedis gratiam uberius merearis. Datum V kalendas febroarii, anno sexto decimo. »

4774 29 janvier 1332.

Regi Franciae Johannem de Revesto, militem, Roberti regis Siciliae ipsiusque curiae magistrum rationalem pro certis negociis ad Franciae curiam accedentem commendat. (Reg. 116, fol. 223 (252), c. 1148).

« *regi Francie.* Cum dilectus filius nobilis vir Johannes de Revesto miles, carissimi in Christo filii nostri Roberti regis Sicilie illustris ipsiusque curie magister rationalis, pro certis negociis tam eundem regem quam hospitale Pontis Avinionensis tangentibus ad presentiam regie serenitatis accedat, excellentiam rogamus regiam et in Domino attentius exhortamur quatinus eidem pro divina et Apostolice Sedis reverentia dictique regis obtentu audientia benigna concessa expediri super eisdem negociis celeriter et favorabiliter faciat regia celsitudo. Datum IIII kalendas febroarii, anno sexto decimo. »

4775 29 janvier 1332.

Reginae Franciae ut eundem Johannem dicto regi commendet. (Reg. 116, fol. 223 (252), c. 1149).

« *Regine Francie.* Cum dilectus filius — Datum ut supra. »

In e. m. Ludovico, duci Borbonesii.

In e. m. Carolo, comiti Alenconii.

In e. m. Miloni, domino de Noeriis.

4776 30 janvier 1332.

Petro Aymerici tabellionatus officium ad quod a Gasberto archiepiscopo Arelatensi ydoneus repertus fuit concedit. (Reg. 116, fol. 195 (224), c. 990 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XI, p. 129, n. 56319).

« *Petro Aymerici, clerico, non conjugato nec in sacris ordinibus constituto, Caturcensis diocesis.* Consuevit interdum Sedes — Datum III kalendas febroarii, anno sexto decimo. »

In e. m. Berengario Blasini, clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto, Bitterrensis diocesis.

4777 31 janvier 1332.

Regi Franciae mandat quod Adolphum Leodiensem episcopum ad Coloniensem ecclesiam, jam provisam de Walramo fratre Juliacensis comitis, transferre non potuit. (Reg. 116, fol. 223 (252), c. 1150 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 526, n. 1515 ; Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 555, n. 3176).

« *Regi Francie.* Die XXVIII mensis januarii recepimus litteras regias pro translatione venerabilis fratris nostri Adolphi episcopi Leodiensis ad Coloniensem ecclesiam facienda. Sane, fili carissime, quia ante receptionem litterarum ipsarum de fratrum nostrorum consilio provideramus prefate ecclesie de dilecto filio Walramo, fratre viri spectabilis Guillelmi comitis Juliacensis, nepotis tui, pro quo excellentia tua hiis diebus affectuose scripserat, non potuit dicta translatio adimpleri. Datum II kalendas febroarii, anno sexto decimo. »

4778 1er février 1332.

Fructus mensae episcopalis ecclesiae Carpentoratensis qui toto tempore vacationis ipsius per obitum Othonis episcopi obvenerint reservat. (Reg. 116, fol. 276 (305), c. 1441).

« *Ad futuram rei memoriam.* Intendentes de fructibus — Datum kalendis febroarii, anno sexto decimo. »

4779 5 février 1332.

Episcopo Castrensi ut votum limina sancti Jacobi visitandi a Bertrando comite Vindocinensi, Carnotensis diocesis, emissum in fundationem capellae perpetuae in ecclesia sua Castrensi commutet secundum exigentiam expensarum quas in itinere praefatus comes fecisset. (Reg. 116, fol. 196 (225) v°, c. 994).

« *..episcopo Castrensi.* Pro parte dilecti filii nobilis viri Bochardi, comitis Vindocinensis, Carnotensis diocesis, coram nobis exhibita peticio continebat quod ipse olim gravi proprii corporis infirmitate detentus vovit beati Jacobi apostoli limina infra certum jamdiu elapsum terminum personaliter visitare, ac subsequenter, cum ad votum predictum complendum paratus nondum existeret, primo [a] venerabili fratri nostro Gaucelmo episcopo Albanensi, penitentiarie nostre curam gerente, ac deinde a nobis super eodem voto complendo diversas

prorogationes meruit diversis temporibus certis causis rationabilibus obtinere. Cum autem ultime prorogationis hujusmodi terminus infra quem dictus comes non potuit sicut nec adhuc potest propter infirmitatem seu debilitatem proprii corporis qua frequenter gravatur votum adimplere predictum, ut ex parte ipsius asseritur, appropinquet, nobis extitit supplicatum ut saluti anime sue studio paterne solicitudinis providentes sibi commutare in alia pietatis opera votum hujusmodi dignaremur. Nos itaque supplicationibus hujusmodi benignius inclinati, fraternitati tue (1), de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, ut, si saluti anime predicti comitis videris expedire, quod ipse, de hiis que in eundo, morando et redeundo pro complendo voto hujusmodi esset verisimiliter expensurus, unam capellaniam perpetuam per te in ecclesia tua Castrensi ordinandam infra certum competentem terminum per te sibi prefigendum de redditibus annuis amortisatis et liberis ad opus unius capellani perpetui, qui in eadem ecclesia celebrare missas [debeat] perpetuis temporibus, dotare debeat et residua si qua sint in alia pia opera juxta tuum arbitrium eroget, ordinare ac in hoc votum ipsum eidem comiti auctoritate nostra valeas commutare plenam concedimus tenore presentium facultatem. Datum nonis febroarii, anno sexto decimo. »

4780 5 février 1332.

Bertrando quem prius archidiaconum Atrabatensem ecclesiae Lodovensi per obitum Bernardi episcopi vacantim dispositionique apostolicae reservatae in episcopum praefecit mandat ut onus dictae ecclesiae suscipiat. (Reg. 116, fol. 220 (249) v°, c. 1126).

« *Bertrando, electo Lodovensi.* Nuper ecclesia Lodovensi per obitum bone memorie Bernardi episcopi Lodovensis, cujus provisionem nos ea vice certis causis rationabilibus duximus nobis specialiter reservandam, vacante, nos eidem ecclesie ne diutius subjaceret vacationis incomodis de pastore ydoneo providere volentes et ad te, archidiaconum Atrabatensem, dirigentes intuitum mentis nostre de te duximus prefate ecclesie de fratrum nostrorum consilio providendum, te illi preficientes in episcopum et pastorem. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus impositum tibi onus hujusmodi suscipiens reverenter, ad gubernationem ecclesie prelibate providam sic cures dirigere studia mentis tue quod per tuam solertem industriam divina tibi opitulante gratia prefata ecclesia votiva in spiritualibus et temporalibus suscipiat incrementa, tuque preter divine retributionis premium nostram et Apostolice Sedis gratiam uberius merearis. Datum nonis febroarii, anno sexto decimo. »

(1) Reg. : *fraternitatem tuam.*

4781 5 février 1332.

Capellanis ecclesiae Sancti Remigii Avinionensis in collegiatam dudum erectae indulget ut de terris et vineis quas colunt nulli teneantur decimam primitiasque solvere. (Reg. 116, fol. 273 (302) v°, c. 1433).

« *Capellanis ecclesie Sancti Remigii Avinionensis diocesis.* Digne agere credimus — Datum nonis febroarii, anno sexto decimo. »

4782 10 février 1332.

Petrum Botini capellanum unius ex capellis in ecclesia Sancti Remigii Avinionensis erectis constituit. (Reg. 116, fol. 278 (307), c. 1448).

« *Petro Botini, capellano perpetuo ecclesie collegiate Sancti Remigii Avinionensis diocesis.* Probitatis tue merita — Datum IIII idus febroarii, anno sexto decimo. »

In e. m. pro Petro Polhani.

In e. m. pro Petro Manescoti.

4783 10 février 1332.

Raymundum Porcelli clericum ejusdem ecclesiae constituit. (Reg. 116, fol. 278 (307), p. c. 1448).

« *Raymundum Porcelli, clerico perpetuo ecclesie collegiate Sancti Remigii Avinionensis diocesis.* Tue probitatis merita — Datum ut in alia [IIII idus febroarii, anno sexto decimo] ».

In e. m. pro Petro Fabri.

In e. m. pro Bertrando Alberti.

In e. m. pro Guillelmo Baudini. Datum ut supra.

4784 10 février 1332.

Bertrandum Gavaudani, vicarium parrochialis ecclesiae Sancti Remigii, instituit vicarium perpetuum in ecclesia parrochiali de Ayraga eidem ecclesiae Sancti Remigii incorporatae, et parrochialem ecclesiam Sancti Michaelis de Molains, Vasionensis diocesis, quam idem Bertrandus tenebat, vacantem decernit. (Reg. 116, fol. 279 (307) v°, c. 1449).

« *Bertrando Gavaudani* (1), *vicario perpetuo parrochialis ecclesie Santi Remigii Avinionensis diocesis.* Probitatis tue meritis — Datum IIII idus febroarii, anno sexto decimo. »

4784 *bis* 10 février 1332.

Petro Danrocha ut praefato Bertrando Gavaudani quinquaginta libras turonensium parvorum de redditibus ecclesiae de Ayraga taxatas pro vicaria perpetua ejusdem ecclesiae assignat (Reg. 116, fol. 279 (308), c. 1450).

« *Petro Danrocha, preposito ecclesie de Haento, Lemovicensis diocesis, episcopatus Avinionensis generali vicario in spiritualibus et temporalibus auctoritate apostolica deputato.* Probitatis dilecti filii — Datum ut supra. »

4785 12 février 1332.

Thomae Galli testandi facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 200 (229), c. 1009).

« *Thome Galli, canonico Abrincensi, familiari nostro.* Quia presentis vite — Datum II idus febroarii, anno sexto decimo. »

4786 12 février 1332-

Eidem eligendi confessorem facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 200 (229), c. 1010).

« *Eidem.* Benigne sunt tibi — Datum ut supra. »

4787 12 février 1332.

Eidem indulgentiam in mortis articulo concedit. (Reg. 116, fol. 200 (229), c. 1011).

(1) Index : *Gavardani.*

« *Eidem.* Provenit ex tue — Datum ut supra [II idus febroarii, anno sexto decimo] ».

4788 12 février 1332.

Eidem ut horas juxta morem Ecclesiae Romanae dicere possit. (Reg. 116, fol. 200 (229), c. 1012).

« *Eidem.* Meruit tue devotionis — Datum ut supra ».

4789 15 février 1332.

Pontio de Sampsone quod doctoratum legum a quocumque doctore recipere possit. (Reg. 116, fol. 210 (239), c. 1055).

« *Pontio de Sampsone, archidiacono* (1) *de Seya in ecclesia Legionensi, licentiato in legibus.* Devotionis tue meritis — Datum XVI kalendas marcii, anno sexto decimo ».

4790 16 février 1332.

Arberto de Chaslucio indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 203 (232), c. 1027).

« *Arberto de Chaslucio, militi Claromontensis diocesis.* Provenit ex tue — Datum XV marcii (*sic*), anno sexto decimo ».

In e. m. nobili viro Hugoni Ademarii, domino de Montiliis.

In e. m. nobili mulieri Ginae de Veyraco, vidue Caturcensis diocesis.

In e. m. Ademaro de Veyraco, priori prioratus de Carmelis, ordinis sancti Augustini, diocesis Sancti Flori.

In e. m. Stephano Lachapelia, laico Lemovicensis diocesis.

In e. m. Stephano de Martello, laico Lemovicensis diocesis.

In e. m. Petro de Veyraco, monacho Aureliacensi.

In e. m. Hugoni de Veyraco.

(1) Reg. : *aychidiacono.*

In e. m. Ayglinae de Blandiaco, vidue Uticensis diocesis.

In e. m. Alausie de Faudacio, relicte quondam Gastonis de Leomania, Montisalbanensis diocesis.

In e. m. P. Radulphi, laico Petragoricensi.

In e. m. Petro Columbarii, civi Massiliensi.

4791 25 février 1332.

Regi Navarrae quod preces suas pro Philippo de Meleduno archidiacono Remensi exaudire non potuit et quod per provisionem Guidoni Lachalm de praebenda Lincolniensi factam juri eidem Philippo competenti non derogatur. (Reg. 116, fol. 220 (249) v°, c. 1127).

« .. *regi Navarre.* Quia, fili carissime, procurationes in numerata recipiendas per achidiaconos qui suos archidiaconatus per alios visitant non consuevimus concedere aliis quam venerabilibus fratribus nostris Sancte Romane Ecclesie cardinalibus, qui nobiscum universalis Ecclesie onera paciuntur, presertim cum ex hoc ecclesie inutiliter pregraventur, si oblatis nobis pro dilecto filio Philippo de Meleduno archidiacono Remensi super hoc per te precibus non annuimus, cum nec possumus decenter, nos habeat quesumus regalis circumspectio excusatos. Ceterum noscat providentia regia nostre intentionis non esse nec etiam extitisse per provisionem factam dilecto filio Guidoni Lachalm de prebenda Lincolniensi per obitum quondam Bonifatii de Saluciis apostolici capellani vacante juri in eadem prebenda dicto Philippo ex priori provisione nunc competenti in aliquo derogare. Datum VI kalendas marcii, anno sexto decimo. »

4792 Avignon, 28 février 1332.

Duci Borbonesii ut ad pacem procurandam inter comitem Convenarum et vicecomitissam Vindocinensem partes suas interponat. (Reg. 116, fol. 216 (245), c. 1090).

« *Ludovico, duci Borbonesii.* Cum negocio transmarini passagii per carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francie illustrem, zelo magne devotionis assumpto expedire plurimum arbitretur quod inter nobiles et potentes regni sui Francie invicem dissidentes, illos (1) presertim qui oportuni possunt esse dicto negocio, pacis concordia reformetur, magnificentiam tuam rogamus attentius et in Domino exhortamur quatinus circa dissensionem quam inter dilectum filium nobilem virum Bernardum, comitem Convenarum et fratres suos ex una parte, ac dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Elionordim vicecomitissam Vindocinensem ejusque filios ex altera, suscitare contra jura sanguinis hostis humani generis studuit, per viam pacificam terminandam sic velit tua providentia efficaciter pro divina et Apostolice Sedis reverentia interponere partes suas quod pax desiderata inter partes ipsas proveniat tuque, fili, exinde illa merearis assequi gaudia que Sapiens ineuntibus pacis consilia repromittit. Ceterum precibus nostris adicimus ut eosdem comitem et fratres suos super aliis negociis que habent expedire in curia habere velis quantum honeste poteris propensius commendatos. Datum Avinione, III kalendas marcii, anno sexto decimo. »

4793 Avignon, 29 février 1332.

Regi Franciae de matrimonio filiarum quondam ducis Calabriae et de curia Bononiam transferenda. (Reg. 116, fol. 216 (245), c. 1091 ; — Tabacco, *La casa di Francia nell'azione politica di papa Giovanni XXII*, p. 360, n. XI).

« *Regi Francie.* Quia preces regias ut induceremus carissimum in Christo filium Robertum, regem Sicilie illustrem, ad copulandum matrimonialiter filias quondam ducis Calabrie primogeniti sui filiis quondam Philippi principis Tarentini, ex eo quod antea super filiabus eisdem copulandis viris aliis ad supplicem instantiam dicti regis dispensavimus, cujus occasione dispensationis inter primogenitam dicti ducis et filium carissimi in Christo filii nostri Caroli regis Ungarie illustris tractatum et firmatum fuit matrimonium, ad exauditionem honeste admittere non valemus, habeat nos regia circumspectio, quesumus, excusatos. Ceterum excellentia regia non miretur si ordinationem nostram de transferendo nos cum curia nostra Bononiam sibi et aliisque hucusque distulimus nunciare ; id enim in causa extitit quia donec regiorum nunciorum ambaxiatam audivissemus proficiscendi ter-

(1) Reg. : *illi.*

minum prefigendum non providimus, nec adhuc etiam duximus prefigendum. Datum Avinione, II kalendas marcii, anno sexto decimo.»

4794 Avignon, 1er mars 1332.

Reginae Franciae de infirmitate corporis et de morte filiae natae noviter consolatur. (Reg. 116, fol. 216 (245) v°, c. 1092).

« *Regine Francie.* Visitavit te, carissima — Datum kalendis marcii, anno sexto decimo».

4795 4 mars 1332.

Johannae de Trianno usum carnium in praesenti quadragesima concedit. (Reg. 116, fol. 199 (228) v°, c. 1006).

« *Nobili mulieri Johanne de Trianno, uxori nobilis viri Guichardi de Pictavia, nepti nostre.* Sincera devotio quam — Datum Avinione, IIII nonas marcii, anno sexto decimo.»

4796 5 mars 1332.

Raymundo de Valle quod quotidianas distributiones integras praebendae suae ecclesiae Albiensis in quatuor anni festivitatibus fructusque ejusdem praebendae in absentia usque ad triennium percipere possit. (Reg. 116, fol. 196 (225) v°, c. 995 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XI, p. 149, n. 56573).

« *Magistro Raymundo de Valle, canonico ecclesie Albiensis et archidiacono Montismirabilis in eadem ecclesia, familiari nostro.* Exposcunt grata tue — Datum III nonas marcii, anno sexto decimo.»

4797 5 mars 1332.

Judicibus ut eidem Raymundo praedictos fructus ministrari faciant. (Reg. 116, fol. 197 (226), p. c. 995).

« *Judicibus.* Quocirca discretioni vestre — Datum ut supra.»

4798 5 mars 1332.

Bernardo de Pereto testandi facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 199 (228), c. 1004).

« *Magistro Bernardo de Pereto, camerario ecclesie Biterrensis, Camere nostre clerico.* Quia presentis vite — Datum III nonas marcii, anno sexto decimo.»

4799 5 mars 1332.

Eidem indulgentiam in mortis articulo concedit. (Reg. 116, fol. 199 (228) v°, c. 1005).

« *Eidem.* Provenit ex tue — Datum ut supra.»

4800 10 mars 1332.

Arnaldo nato vicecomitis Caramanni, in septimo aetatis anno existenti, non obstante defectu annorum de canonicatu et praebenda Abrincensis ecclesiae providet. (Reg. 116, fol. 208 (237), c. 1049).

« *Arnaldo, nato dilecti filii nobilis viri Arnaldi vicecomitis Caramanni, canonico Abrincensi.* Exigunt laudabilis indolis — Datum VI idus marcii, anno sexto decimo.»

4801 10 mars 1332.

Eidem Arnaldo de canonicatu et praebenda ecclesiae Aquensis providet. (Reg. 116, fol. 208 (237) v°, c. 1050).

« *Eidem.* Exigunt etc... — Datum ut supra».

4802 11 mars 1332.

Bertrando electo Aptensi ut usque ad unum annum consecrationis munus recipere minime teneatur iterum indulget. (Reg. 116, fol. 276 (305), c. 1440).

« *Bertrando, electo Aptensi.* Sincere devotionis affectus — Datum V idus marcii, anno sexto decimo.»

4803 12 mars 1332.

Electo Autisiodorensi mandat ut manum regiam in fructibus ecclesiae Autisiodorensis Thalayrando nunc cardinali reservatis amovere faciat. (Reg. 116, fol. 223 (252) v°, c. 1153).

« *Eidem electo* [*Autisiodorensi*]. Cum dilectus filius Thalayrandus tituli Sancti Petri ad Vincula presbyter cardinalis dudum in perceptione fructuum ecclesie Autisiodorensis pro tempore quo, postquam eum ad cardinalatus honorem vocavimus, eidem administrationem ipsius ecclesie commendavimus, sicut nosti, propter appositionem manus regie in eisdem fructibus fuerit, sicut accepimus, impeditus, discretionem tuam rogamus attentius et hortamur quatinus, ut amoveatur manus hujusmodi et ipse fructus predictos pro tempore predicto debitos habere valeat pro suis necessariis utilius supportandis, cures sic efficaciter interponere partes tuas quod tua proinde debeat circumspectio merito commendari. Ceterum exhortationibus et precibus nostris hujusmodi adicimus ut, consideranter attendens quod fratres nostri Sacrosancte Romane Ecclesie cardinales precipuis sunt favoribus pertractandi, circa ea que pro reparationibus domorum et aliorum quorumdam petis de bonis memorati cardinalis deduci sic te curialiter pro nostra et Apostolice Sedis reverentia gerere studeas et benigne quod a nobis commendari [valeas] et eum reperire super tuis oportunitatibus propicium et benignum. Datum IIII idus marcii, anno sexto decimo ».

4804 15 mars 1332.

Stephano Avinionis perpetuam capellaniam in ecclesia Sancti Agricoli tunc vacantem dispositionique apostolicae reservatam confert. (Reg. 116, fol. 275 (304) v°, c. 1439).

« *Stephano Avinionis, perpetuo capellano in ecclesia Sancti Agricoli Avinionensis.* Probitatis tue meritis — Nulli ergo etc. »

« *Judicibus.* Mandamus quatinus vos — Datum idibus marcii, anno sexto decimo. »

4805 18 mars 1332.

Felizae Guigonae uxori Egidii de Sancto Genesio indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 199 (228) v°, p. c. 1005).

« Item in e. m (1) nobili mulieri Felize Guigone, uxori nobilis viri Egidii de Sancto Genesio, Valentine diocesis. Datum XV kalendas aprilis, anno sexto decimo. »

4806 19 mars 1332.

Arnaldo Regis et Olrico Saumate ut Ricavo de Gorda, civi et mercatori Avinionensi ad partes Flandriae pro pannis emendis destinato, quatuor milia florenorum auri assignent. (Reg. 116, fol. 203 (232) v°, c. 1028 ; — Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 562, n. 3199).

« *Arnaldo Regis, archidiacono Cameracensi, et Olrico Saumate, canonico Ruthenensi, Apostolice Sedis nunciis.* Cum dilectus filius Ricavus de Gorda, civis et mercator Avinionensis, quem pro emendis pannis ad opus familiarium nostrorum necessariis ad partes Flandrie destinamus, quatuor milibus florenis auri expendendis in emptione dictorum pannorum egere noscatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus dictos quatuor millia florenos vos ambo vel alter vestrum aut unus partem unam et alter aliam summe hujusmodi prefato mercatori mox cum vos requisierit, apud villam de Brugis, Tornacensis diocesis, absque dilatione ac difficultate qualibet assignare de pecuniis Cameram nostram contingentibus studeatis. Nos enim prefato mercatori supradictam summam a vobis seu vestrum altero seu partem ipsius ab uno et aliam partem ab altero recipiendi ac vos exinde quitandi et absolvendi plenam concedimus per alias nostras litteras facultatem. Datum XIIII kalendas aprilis, anno sexto decimo. »

4807 19 mars 1332.

Eidem Ricavo de Gorda facultatem praedictam summam recipiendi dictosque nuntios quittandi concedit. (Reg. 116, fol. 203 (232) v°, c. 1029 ; — Fayen, *ibidem*, p. 563, n. 3200).

« *Eidem Ricono* (sic). Cum pro emendis — Datum ut supra. »

(1) Cf. n. 4799.

4808 28 mars 1332.

Arcambaldo, abbati monasterii Sollempniacensis, et Nicolao Rotgerii, priori Sancti Pantaleonis, indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 199 (228) v°, p. c. 1005).

« In e. m. (1) Arcambaldo, abbati monasterii Sollempniacensis, ordinis sancti Benedicti, Lemovicensis diocesis.

In e. m. Nicolao Rotgerii, priori prioratus Sancti Pantaleonis, ordinis sancti Benedicti, diocesis Lemovicensis. Datum in ambabus V kalendas aprilis, anno sexto decimo. »

4809 28 mars 1332.

Raymundo Vigerii et Isabelli, relictae quondam, Bernardi Vigerii, indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 203 (232), p. c. 1025).

« In e. m. (2) nobili viro Raymundo Vigerii, domicello, Caturcensis diocesis, familiari nostro. Datum V kalendas aprilis, anno sexto decimo.

In e. m. nobili mulieri Isabelli, relicte quondam Bernardi Vigerii, vidue, Caturcensis diocesis. Datum ut supra. »

4810 30 mars 1332.

Ancelmo domino de Janiville de venatione missa regratiatur. (Reg. 116, fol. 221 (250), c. 1128).

« *Ancelmo, domino de Janiville, senescallo Campanie.* De venatione a tua nobilitate copiose nobis missa gratiarum tibi referimus uberes actiones. Datum III kalendas aprilis, anno sexto decimo. »

4811 30 mars 1332.

Hardoyno de Avoyr ejusque uxori indulgentiam in articulo mortis in e. m. ac Johanni Protha militi Neapolitano concedit. (Reg. 116, fol. 236 (265) v°, p. c. 1227).

(1) Cf. n. 4799.
(2) Cf. n. 4741.

« In e. m. (1) Hardoyno de Avoyr, militi, et Johanne ejus uxori, Andagavensis diocesis. Datum III kalendas aprilis, anno sexto decimo. »

4812 6 avril 1332.

Abbati Casae Dei et priori Sancti Firmini de Montepessulano ad supplicationem Bernardi, abbatis monasterii Sancti Theofredi, ordinis sancti Benedicti, Aniciensis diocesis, mandat ut detentores bonorum quondam Bertrandi Eracley, prioris prioratus Sanctae Enimiae, ejusdem ordinis, Mimatensis diocesis, de praedicto monasterio Sancti Teofredi dependentis, ad restitutionem compellant, alias contra eos procedant. (Reg. 116, fol. 202 (231), c. 1021).

« .. *abbati Case Dei et.. priori Sancti Firmini de Montepessulano, Clarimontensis et Magalonensis diocesum.* Sua nobis dilectus — Datum VIII idus aprilis, anno sexto decimo. »

4813 6 avril 1332.

Stephano Vilatonis testandi facultatem concedit: (Reg. 116, fol. 204 (233), p. c. 1030; — Fayen, *Lettres de Jean XXII*, II, p. 567, n. 3208).

« In e. m. (2) Stephano Vilatonis, canonico ecclesie Sancti Gaugerii Cameracensis — Datum VIII idus aprilis, anno sexto decimo. »

4814 6 avril 1332.

Raymundo de Valon ejusque uxori indulgentiam in articulo mortis concedit (Reg. 116, fol. 274 (303), p. c. 1435).

« In e. m. (3) pro Raymundo de Valon et Pelegrina uxore sua, Caturcensis diocesis, verbis competentibus mutatis. Datum VIII idus aprilis, anno sexto decimo. »

4815 7 avril 1332.

Raymundo de Bonofato indulget ut ad presbiteratus

(1) Le c. 1227, concernant le royaume de Sicile, n'a pas été retenu.
(2) Cf. n. 4917.
(3) Cf. n. 4822.

ordinem ratione ecclesiae oratorii Sancti Michaelis Lemovicensis diocesis promoveri et in ea residere usque ad triennium non teneatur. (Reg. 116, fol. 199 (228), c. 1003).

« *Raymundo de Bonofato, rectori parrochialis ecclesie oratorii Sancti Michaelis, Lemovicensis diocesis.* Exigentibus tue devotionis — Datum VII idus aprilis, anno sexto decimo. »

4816 Avignon, 9 avril 1332.

Hugoni abbati monasterii Sancti Egidii quod a quocumque antistite munus benedictionis recipere possit. (Reg. 116, fol. 211 (240) v°, c. 1061).

« *Hugoni, abbati monasterii Sancti Egidii ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Nemausensis diocesis.* Cum nos pridem — Datum Avinione, V idus aprilis, anno sexto decimo. »

4817 10 avril 1332.

Regi Franciae ut pacem cum Eduardo rege Angliae faciat, ne passagium transmarinum impediatur, utque fidem Petro, Rothomagensi archiepiscopo super hoc adhibeat. (Reg. 116, fol. 214 (243) v°, c. 1086).

« *Regi Francie.* Noscere (1) circumspectionem non ambigimus regiam quod intentus pluribus minor sit ad singula sensus, quodque virtus unita fortior noscitur se dispersa. Ideoque agredienti quid arduum admodum expedit quod alia sic curet disponere quod ad illud exequendum feliciter nequeant nocumentum afferre. Sane, fili carissime, quia scimus celsitudinem regiam assumpsisse negocium arduum et utique Deo gratum, acceptum catholico populo, statuique conveniens regio, passagium scilicet transmarinum, quod profecto totum scire ac totum posse requirit regium, regalem providenciam exhortamur in Domino paterno nichilominus suadentes affectu quatinus ad ea per que prefati negocii impediri posset executio vel differri sic intendas providere sedule quod obesse nequeat executioni predicte. Verum, fili carissime, quia quantum sincera caritas, si inter te et filium nostrum carissimum E. illustrem regem Anglie vigeat, afferre favoris et commodi prefati prosecutioni negocii poterit, quantumque vestrum dissidium eidem inferre posset obstaculum prudentia regia non ignorat, benivolentiam regiam rogamus attente ut hoc cogitans et recogitans diligenter, ob honorem Illius pro cujus amore personam tuam laboribus et periculis variis ac regnum expensarum profluviis spontanee ac letanter exponis, sic ad nutriendum inter te ac ipsum unitatem spiritus in pacis vinculo disponas animum regium quod, cujusvis dissidii inter te et ipsum occasione sublata, non solum ne tue intentioni obicem pone nequaquam ponat efficias, sed potius et eidem regi occasionem tribuas ut tue peregrinationis individuus comes fiat, ad quod hanelare dicitur avide si que nuper suis nunciis obtulisse diceris digneris implere. Proculdubio, fili carissime, si vincula sanguinis ac jus dominii quibus tibi idem rex astrictus noscitur consideraveris diligenter, magnificentie regie nequaquam occurret difficile in hiis que idem rex tecum habet agere viam justicie in viam liberalitatis et gratie commutare, presertim cum ipsum ejusque posteros tuis per hoc imperpetuum astringas obsequiis, et ab Illo ob cujus honorem hec facies mercedem tue ipsative gratie merito sperare poteris qui nullum bonum irremuneratum relinquere consuevit. Super hiis autem ne graventur ex prolixitate verborum aures regie ad varia occupate venerabili fratri nostro Petro, Rothomagensi archiepiscopo, mentem nostram exposuimus plenius cui velit, quesumus, celsitudo regia fidem indubiam adhibere. Gratia Domini Nostri Jesu Christi cor regium in hiis et aliis agendis dirigat et protegat ab adversis. Amen. Datum Avinione, IIII idus aprilis, anno sexto decimo. »

(1) Reg. : *Nosce.*

4818 10 avril 1332 (1).

Regi Franciae de adventu regis Bohemiae ad Curiam. (Reg. 116, fol. 215 (244), c. 1087).

« *Regi Francie.* Tam humaniter, tam benigne pium propositum ac devotum conceptum carissimi filii

(1) Nous avons attribué à cet acte la date de l'acte transcrit immédiatement avant, l'acte 4817 (c. 1086). Cet acte est à rapprocher du n. 4923, du 21 juillet 1352.

Johannis regis Boemie illustris ad nostram veniendi presenciam littere serenitatis regie deduxerunt quod profecto in admirationem nostrum provocaverunt animum ac leticia merito repleverunt. Quis enim admirari non debeat quod tantus princeps nobis adventum regis prefati sic dulci eloquio nobis nunciare curaverit ac supra se recipere quod idem rex sic ac de tali gente necnon et tali modo ac statu veniet sociatus sicut nos duxerimus ordinandum ? Profecto, fili, non est qui super hoc non debeat admirari. Ad hoc quidem regalem animum nullum impulit debitum cum sine hiis eidem regi liceret premissa irreprehensibiliter adimplere, sed, ut tenemus indubie, ad hoc reverentia quam ad Illum geris cujus vices in terris licet immeriti gerimus, sincera devotio qua ad ejus honorem sponse sancte, scilicet Ecclesie, affici nosceris cujus cura nobis incumbit regium animum inclinarunt, super quo devotionem regiam plurimum in Domino commendantes, eidem gratiarum exolvimus uberes actiones. Sane, fili carissime, licet nobis prefati regis presentia presertim ad talia qualia tue et ipsius regis continent littere esset et esse deberet admodum nobis grata, tamen attentis negociis arduis quibus in presentiarum habet idem rex providere, non videretur nobis expediens quod personaliter pro excusatione contenta in eisdem litteris ad nostram presentiam se conferret, quia quantum ad illa poterit absens si voluerit facere que nobis sufficient quoad eam (*sic*). Si autem ejusdem regis feratur intentio sicut et probabiliter creditur ad alia procuranda, attendat regalis providentia quod, si illa sint alicujus ponderis, requirent tractum temporis, cum ad talia absque tractatu et fratrum nostrorum consilio nos procedere nequaquam deceat, qui scientia et experiencia polleant, multa vident interdum in negociis que latent aliis, quique debent attenti esse sedule quod honor et jura Ecclesie serventur illesa ; quam quidem moram rex predictus absque forsan grandi suorum negociorum dispendio sustinere nequibit. Ideoque expedientius videretur quod viros aliquos tractabiles informatos plenius super hiis que a nobis intendit petere ad nostram presentiam destinaret, qui nobiscum vel cum illis quos duceremus super hoc deputandos haberent colloquium et tractatum, viasque et modos perquirerent per quos postulata, si forent concessibilia, possent ad convenientem effectum produci, quibus dispositis posset pro felici consummatione talium ad nostram se conferre presentiam cum honore ac cum leticia ad propria remeare. Nobis quidem molestum esset nimium si tantus princeps ad nostram veniret presentiam ipsumque recedere contingeret sicut veniet, et gratum admodum si recederet consolatus. Super quo circumspectio intendat, quesumus, regia quodque expediens viderit suadeat dicto regi. Si autem premissis non obstantibus venire voluerit rex prefatus, nos ipsum letanter intendimus Domino concedente recipere, et ut decet tantum principem cum honore tractare et ipsum insuper audire benigne ejusque supplicationibus quantum sine Dei offensa, injuria proximi honoreque salvo Ecclesie poterimus exauditionis januam aperire. Modum autem veniendi quem tua et ipsius regis circumspectio ordinandum duxeritis gratus erit pariter et acceptus. Datum. »

4819 10 avril 1332.

Regi Franciae. ut fidem adhibeat archiepiscopo Rothomagensi ipso regi explicanti proposita in quibusdam sermonibus papae contenta. (Reg. 116, fol. 216 (245) v°, c. 1093).

« *Regi Francie.* Quia nonnulli qui circa scripturam sacram dictaque sanctorum videntur minus intenti de nonnullis nostris sermonibus falsa proposita auribus non sunt veriti [regiis] renunciare, que utique brevi sermone non possent exprimi, venerabili fratri nostro ..Rothomagensi archiepiscopo exposuimus et in scriptis tradidimus que per nos proposita in illis sermonibus extiterunt, que, si libuerit, circumspectioni regie latius et apertius explicabit, in quibus, ut credimus, nil dictum reperiet quod scripture sacre ac sanctorum testimoniis probatum non fuerit evidenter. Super quo eidem archiepiscopo fidem velit benivolentia regia indubiam adhibere. Datum Avinione, IIII idus aprilis, anno sexto decimo. »

4820 10 avril 1332.

Reginae Franciae Bernardi comitis Convenarum, Petri Raynaudi et Guidonis ejusdem Bernardi fratrum negotia commendat. (Reg. 116, fol. 216 (245) v°, c. 1094).

« *Johanne, regine Francie.* Cum dilecti filii nobiles viri Bernardus, comes Convenarum, ac Petrus Raymundi et Guido fratres sui quedam habeant

negocia in regali curia, sicut accepimus, expedire, tam ipsos nobiles quam negocia hujusmodi benivolencie regie propensius commendamus. Datum ut supra [Avinione, IIII idus aprilis, anno sexto decimo]. »

In e. m. pro Bernardo Jordani, domino de Insula. Datum ut supra.

4821 11 avril 1332.

Perceptionem fructuum beneficiorum in absentia duobus clericis a Johanne comite Armaniaci electis ejusque insistentibus obsequiis usque ad triennium concedit. (Reg. 116, fol. 208 (237) v°, c. 1051).

« *Johanni, comiti Armaniaci.* Personam tuam claris — Datum III idus aprilis, anno sexto decimo. »

« *Judicibus : ..priori Sancti Orientii Auxitane et preposito Vaurensis ac archidiacono de Vico Auxitane ecclesiarum.* Mandamus quatinus vos — Datum ut supra. »

4822 Avignon, 12 avril 1332.

Guillelmo de Claromonte indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 274 (303), c. 1435).

« *Guillelmo de Claromonte, decano ecclesie Viennensis.* Provenit ex tue — Datum Avinione, II idus aprilis, anno sexto decimo. »

Item alia littera indulgentie similis pro Imberto de Claromonte, archidiacono Viennensi.

Item alia pro Sibodo de Claromonte, mistrali ecclesie Viennensis.

Item alia pro Guillelmo de Viriaco, canonico Viennensi.

Item alia pro Gaufrido, domino de Claromonte, Viennensis diocesis.

Item alia pro Beatrice de Sabaudia, ejus uxore. Datum ut supra.

4823 Avignon, 13 avril 1332.

Archiepiscopo Senonensi ut quibusdam exponendis ab archiepiscopo Rothomagensi fidem adhibeat. (Reg. 116, fol. 216 (245) v°, c. 1095 ; — Tabacco, *La casa di Francia nell'azione politica di papa Giovanni XXII*, p. 361, n. XII).

« *Archiepiscopo Senonensi.* Nonnulla venerabili fratri nostro Petro Rothomagensi archiepiscopo commisimus fraternitatis tue providencie exponenda, super quibus ei velit fidem indubiam tua adhibere prudencia eique in illis assistere prout fuerit oportunum. Datum Avinione, idibus aprilis, anno sexto decimo. »

In e. m. Johanni, episcopo Belvacensi.

In e. m. P., episcopo Ruthenensi.

In e. m. Miloni, domino de Noeriis, mutatis mutandis.

In e. m. Carolo, comiti Alenconii.

In e. m. regi Navarre illustri.

4824 Avignon, 13 avril 1332.

Comiti Borbonesii de oblatione per eum facta gratias agit eumque de translationis Curiae causa per archiepiscopum Rothomagensem certiorem facit. (Reg. 116, fol. 217 (246), c. 1096 ; — Tabacco, *op. cit.*, p. 361, n. XIII).

« *Ludovico, comiti Borbonesii.* Ex hiis que circa mutationem Romane curie hiis diebus magnificentia tua per dilectum filium priorem de Vincenis, tuum nuncium, nobis insinuavit et obtulit, zelum sincerum quem ad nos geris et Ecclesiam percepimus evidenter, super quibus tue benivolencie gratiarum referimus uberes actiones. Sane, fili, quid nos et fratres nostros ad mutationem ipsam moverit, venerabili fratri nostro Petro, archiepiscopo Rothomagensi, exponendum duximus ut ea tue exponat magnitudini cum hoc viderit oportunum ; diem autem certam assignare pretermisimus quousque assumptum noviter per carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem passagium foret quantum ad nos pertinet ordinatum ; quo facto, ut a multis creditur, non minus esset Bononie mora nostra quam Avinione presentia pro dicto passagio oportuna. Datum ut supra [Avinione, idibus aprilis, anno sexto decimo]. »

4825 Avignon, 13 avril 1332.

Reginae Franciae de translatione Curiae et cur terminum praefigere distulerit. (Reg. 116, fol. 217 (246), c. 1097 ; — Tabacco, *op. cit.*, p. 362, n. XIV).

« *Regine Francie.* Regali benivolentie que circa

salutem nostram ac statum Ecclesie Sancte Dei prosperum te, carissima filia, intentam reddit et solicitam, prout innotuerunt nobis evidentius regales littere super mutatione Curie nobis misse novissime ad gratiarum assurgimus uberes actiones. Sane quid ad hoc nos et fratres nostros moverit, venerabilis frater noster Petrus Rothomagensis archiepiscopus, cui hoc commisimus, si audire placuerit reginali excellentie explicabit. Nos autem, sicut alias nos scripsisse meminimus, certum distulimus prefigere terminum, scire volentes quid nunciorum qui per carissimum filium nostrum Philippum regem illustrem Francie super transmarino ab eodem assumpto passagio ad nostram mittebantur presentiam legatio pateretur. Hoc tamen tua prudentia, filia carissima, non ignoret quod multorum habet opinio (1) quod preter multa alia que sperantur ex mutatione Curie subsequi commoda, ipsi transmarino passagio, ordinatis que ad nos pertinent, non minus Bononie quam Avinione foret nostra presentia oportuna. Gratia Domini Nostri Jesu Christi sit tecum que te sic in via dirigat que ad desideratam celestem patriam sine devio te perducat. Amen. Datum Avinione, idibus aprilis, anno sexto decimo. »

4826 Avignon, 13 avril 1332.

Regi Franciae scribit de translatione Curiae. (Reg. 116, fol. 217 (246), c. 1098 ; — Tabacco, *op. cit.*, p. 363, n. XV).

« *Regi Francie.* Ex hiis que circa mutationem Romane curie hiis diebus circumspectio regia nobis scripsit et obtulit zelum sincerum regium quem ad nos gerit et Ecclesiam percepimus evidenter, super qua oblatione ad gratiarum assurgimus uberes actiones. Sane, fili carissime, quid nos et fratres nostros ad mutationem ipsam moverit, ne aures regie ex multiloquio pregraventur, venerabili fratri nostro Petro Rothomagensi archiepiscopo exponendum duximus ut ea tue exponat magnificentie, cum hoc viderit oportunum ; diem autem certam assignare pretermisimus quousque esset per te assumptum transmarinum passagium, quantum ad nos pertinet ordinatum, quo facto ut a multis creditur non minus esset Bononie mora nostra quam Avinione presentia pro dicto passagio oportuna. Datum ut supra [Avinione, idibus aprilis, anno sexto decimo]. »

(1) Reg. : *opininio.*

4827 Avignon, 13 avril 1332.

Regi Franciae, de suspensione interdicti in Lucanos edicti. (Reg. 116, fol. 217 (246), c. 1099 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 530, n. 1529).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Intentionis regalis esse supponimus quod per preces regias non intendit aliquid fieri quod in offensam Regis regum posset cedere aut quod in multarum vergeret periculum animarum. Sane, fili carissime, quia juxta canonicas sanctiones celebrans scienter excommunicatis presentibus incurrere peccatum mortale noscitur, a quo ipsi excommunicati si scienter hoc faciant nequaquam existunt immunes, notoriumque existat cives Lucanos (1) ex multis excessibus excommunicationis incurrisse sententias ac hereticorum fautores etiam notorios et Ecclesie inimicos et hostes, attendat circumspectio regia si interdictum cui dicta civitas subjacet sine Dei offensa ac celebrantium et ipsorum excommunicatorum celebrationi (2) se immiscentium divinorum periculo suspendi posset vel tolli ; ideoque si ad suspensionem interdictorum quibus dicta civitas subjacet non procedimus, nos habeat regia providentia excusatos. Et idem dicimus de aliis civitatibus quas filius noster carissimus Johannes, illustris rex Boemie, in Lombardie partibus detinet occupatas, in quarum nonnullis proditores Ecclesie et receptatores Bavari et fautores notorii residere noscuntur. Sed redeant sicut debent ad Ecclesie gremium, quos recipere ac obtentu interventionis regie cum eis misericorditer agere interdictumque totaliter amovere [parati sumus]. Gratia Domini Nostri Jesu Christi cor regium in agendis dirigat et protegat ab adversis. Amen. Datum ut supra. »

4828 Avignon, 13 avril 1332.

Regi Bohemiae de suspensione interdicti pro Lucanis ad Ecclesiae gremium redeuntibus (Reg. 116, fol. 217 (246) v°, c. 1100 ; — Riezler, *ibidem*).

(1) Reg. : *Lucani.*
(2) Reg. : *celebrationem.*

« *Regi Boemie.* Fili carissime tuam — Datum ut supra [Avinione, idibus aprilis, anno sexto decimo]. »

4829 Avignon, 13 avril 1332.

Reginae Franciae de negocio a rege assumpto, scilicet de passagio transmarino. (Reg. 116, fol. 217 (246) v°, c. 1101).

« *Regine Francie.* Quia te, filia carissima, zelatricem fervidam salutis et glorie celestis anime filii nostri carissimi Philippi, illustris regis Francie, esse supponimus, incunctanter hoc te decet efficacius ostendere cum talia se disponat agredi per que celestem gloriam potest habundantius promereri. Cum itaque, sicut reginalis circumspectio non ignorat, prefatus rex ad prosequendum Dei negocium se disponat, ex quo quidem negocio premissam adepturus est gloriam, si tamen Deo ejus obsequium sit acceptum, tuam providentiam apostolicis precibus et exhortationibus excitamus ut ad hoc quod idem rex taliter se disponat quod ejus obsequium Deo gratum existere debeat, velis studiosam operam adhibere. Super hoc autem et nonnullis aliis venerabili fratri nostro P. archiepiscopo Rothomagensi (1) ex parte nostra tue magnificentie, si audire placuerit, exponat aliqua, cui placeat fidem indubiam adhibere. Gratia Dei nostri cor tuum in suo beneplacito dirigat roburque tibi illud exequendi tribuat virtutemque perseverantie illis adjungere non omittat, quod tibi, filia carissima, dignetur concedere Cui cum voluerit subest posse. Amen. Datum ut supra. »

4830 Avignon, 13 avril 1332.

Regi Franciae, quod P. archiepiscopum Rothomagensem, Johannem episcopum Morinensem, Henricum dominum de Analgeria et P. Trosselli, nuntios regios super facto passagii recepit. (Reg. 116, fol. 217 (246) v°, c. 1102).

« *Regi Francie.* Benigne litteras recepimus regias nobis per venerabiles fratres nostros Petrum archiepiscopum Rothomagensem ac Johannem episcopum Morinensem, necnon dilectos filios nobiles viros Henricum dominum de Analgeria et P. Trosselli milites, tue nobis excellencie nuncios, presentatas, per quas utique ipsis, vel duobus ex ipsis super facto passagii fidem adhiberi indubiam ac petitiones per eos fiendas super eodem petivisti passagio ad exauditionis gratiam introduci. Qui quidem facunde verbo primo proposuerunt que voluerunt proponere, ac subsequenter nobis assignaverunt quandam scripturam que verbo proposita fuerant continentem. Nos autem, deliberatione cum fratribus nostris prehabita diligenti, eisdem respondimus prout scriptura quam in aliorum nunciorum presentia dicto Rothomagensi archiepiscopo assignare curavimus circumspectioni regie innotescet, nec miretur providencia regia si responsio antea non est facta. Negocium quidem grande noscitur admodum, multaque petebantur que simul pro simili negocio non legimus esse petita. Unde circa illa multa oportuit in consideratione deducere ut responsum ad illa congruum dari posset. Ut autem responsum citius reportassent, nunciorum ipsorum diligencia utique studiosa non defuit, quinymo ad hoc ut hoc possent assequi importunam, oportunum (1) tamen, curaverunt studiosam operam adhibere. Datum ut supra. »

4831 13 avril 1322.

Regi Franciae ut, consideratione negotii transmarini, quaedam gravamina ecclesiis suis imposita tolli faciat. (Reg. 116, fol. 218 (247), c. 1103).

« *Eidem regi.* Quia frustra de fine redditur anxius qui circa ea que ad finem sunt est remissus, idcirco curet excellentia regia sedule, quesumus, consideranter intendere que sunt ad finem assumpti per eum transmarini negocii necessaria seu etiam oportuna, hiisque consideratis attente disponere taliter quod presto sint tempore oportuno. Et quia tempus est breve citoque labitur, provideat diligentia regia ne inutiliter transeat cum ex quo transierit recuperari non possit. Sane ante omnia est regie celsitudini vigilanti studio providendum quod Illius a quo omnis est expectanda victoria sibi procurare curet benivolentiam, sine qua labor sibi qualiscumque nequiret fructuosus existere quoad vitam promerendam eternam. Hanc autem, sicut alias circumspectioni [regie] nos

(1) *Sic.* Corr. : *venerabilis frater noster P. archiepiscopus Rothomagensis* ?

(1) *Sic.* Corr. *oportunam* ?

scripsisse meminimus, non poterit assequi si sponse sue sacrosancte Ecclesie inimicus fueris vel si tibi commissus populus fuerit indebitis oneribus pregravatus. Sponsus quidem et sponsa predicta ea sunt indivisibili unione conjuncta quod altero in honore non habito alter nequeat honorari, et qui sibi commissum populum ab Eo qui rex est regum et dominantium dominus indebite gravat seu opprimit, ipsum committentem in ipso populo noscitur opprimere seu gravare. Specialiter autem necessarium credimus quod super reva in regno per tuum predecessorem imposita necnon et quibusdam gravaminibus sub colore regalie que noviter officiales nonnulli regii necnon et super nonnullis aliis ecclesiis inferunt, deliberare cum viris Deum timentibus salutemque tuam zelantibus debeas, qui sciant et velint fideliter consulere et taliter ordinare quod in mensa bona que facis et concepisti exequia per talia seu alia nequeant fermentari, quod tibi exequi dignetur concedere Cui cum voluerit subest posse. Circa superfluitatem cibariorum et vestium in quibus multa bona expenduntur inutiliter et dampnose, esset etiam ocius occurrendum ut que in Dei offensam ac in expendentium corporis et anime detrimentum expenduntur sepius ad Dei servicium servarentur. Datum ut supra [idibus aprilis, anno sexto decimo]. »

4832 13 avril 1332.

Gasbertum archiepiscopum Arelatensem absolvit a sententiis si quas juramentum, dum ecclesiae Massiliensi in episcopum praefectus erat, non praestando incurrit. (Reg. 116, fol. 275 (304), c. 1437).

« *Gasberto, archiepiscopo Arelatensi, camerario nostro.* Tua coram nobis proposita petitio continebat quod nos dudum de persona tua Massiliensi ecclesie tunc vacanti duximus de fratrum nostrorum consilio providendum, te illi preficiendo in episcopum et pastorem, quodque tu, licet obtentis litteris apostolicis super provisione hujusmodi ut est moris, tuos officiales et ministros ad ipsam ecclesiam tunc temporis destinasti (1) qui, litteris eisdem exhibitis et ostensis, possessionem episcopatus Massiliensis tuo nomine receperunt, deinde tamen tibi apud Sedem Apostolicam munere consecrationis de mandato nostro impenso, nequaquam juramentum per prelatos qui promoventur seu munus consecrationis recipiunt apud eam prestari solitum prestitisti, quamvis post dictam provisionem antequam munus predictum reciperes ratione officii cameriaratus nostri quod tibi tunc commisimus illud quod per camerarios Romanorum pontificum predecessorum nostrorum prestari consuevit hactenus prestiteris juramentum. Cum autem per eosdem officiales et ministros tuos administrationem prelibate ecclesie in spiritualibus et temporalibus quamdiu illius prefuisti regimini gesseris et proventus ejusdem episcopatus perceperis, a Sede tamen eadem continue non discedens, qui propter hoc transgressor constitutionis felicis recordationis Bonifacii pape octavi predecessoris nostri super hoc edite vel aliorum canonum possis censeri seu penas aliquas incurreris per constitutionem predictam inflictas, hesitans nos humiliter supplicasti ut tuis conscientie ac statui providere in hac parte salubriter dignaremur. Nos itaque premissis diligentius intellectis, tuis supplicationibus inclinati te ab omnibus penis si quas ex premissis vel aliquo premissorum quomodolibet incurrisses tenore presentium absolvimus ac penitus liberamus, volentes ac etiam decernentes quod omnia et singula per te dictosque officiales et ministros acta toto tempore quo ejusdem ecclesie regimini prefuisti perinde valeant ac [si] juramentum hujusmodi per prelatos apud dictam Sedem promotos prestari solitum prestitisses. Nulli ergo etc... Datum idibus aprilis, anno sexto decimo. »

(1) Reg. : *destinatis.*

4833 Avignon, 14 avril 1332.

Episcopo Parisiensi ut scriptis sibi et cancellario Parisiensi a Petro archiepiscopo Rothomagensi assignandis juxta ejusdem Petri directionem utatur. (Reg. 116, fol. 218 (247), c. 1104).

« *Episcopo Parisiensi.* Cum venerabilis frater noster Petrus archiepiscopus Rothomagensis scripta quedam pro parte nostra tibi et dilecto filio cancellario Parisiensi debeat assignare, volumus quatinus juxta directionem ipsius cui super hoc mentem nostram aperuimus studeas illis uti. Datum Avinione, XVIII kalendas maii, anno sexto decimo. »

In e. m. cancellario Parisiensi.

In e. m. Pastori de Vivariis, ordinis fratrum Minorum.

4834 20 avril 1332.

Henrico de Burgundia indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 274 (303), p. c. 1435).

« In e. m. (1)nobili viro Henrico de Burgundia, militi. Datum XII kalendas maii, anno sexto decimo.

Item in e. m. Juliane, abbatisse monasterii Beate Marie de Gozonio, Cisterciensis ordinis, Tholosane diocesis. Datum ut in proxima. »

4835 21 avril 1332.

Regi Angliae de mora Guillelmi Guissel in Curia retenti pro pace cum rege Franciae facienda et de passagio transmarino. (Reg. 116, fol. 230 (259), c. 1188).

« *E. regi Anglie.* Ad nostram pridem veniens presentiam dilectus filius nobilis vir Guillelmus Guissel, miles et nuncius regius, nobis tue celsitudinis litteras de credentia presentavit, quos quidem nuncium et litteras benigne recepimus, et que ipse pro parte regia nobis curavit exponere dicteque continebant littere pleno collegimus intellectu. Super hiis autem que prefatus nuncius pro parte regia nobis exposuit, taliter respondemus quod carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francie illustri, scripsimus juxta formam quam cedula continet presentibus interclusa. Sane quia, fili carissime, mutua inter te dictumque regem Francie concordia tam vobis quam utriusque subditis existere oportuna multipliciter noscitur ac discordia quam avertat Dominus dispendia utriusque subditis allatura, regalem rogamus excellentiam et in Domino attentius exhortamur quatinus ad pacem regium inclines animum et disponas, habiturus nos et prefatum nuncium super mora quam prosequendo diligenter et expectando responsionem nostram traxit in Curia probabiliter excusatum. Nos enim ex causa distulimus ipsumque redire non permisimus quousque possemus certius tue magnificentie nuntiare de termino. Speramus quod tue satisfieri poterit voluntati. Super facto autem passagii ad quod agendum salubriter pax regni terrarumque aliarum tue ditioni subjectarum requiritur thesaurique immensi copia est necessario oportuna, cum nos de hiis nequaquam sufficientem noticiam habeamus, certum nequivimus dare responsum, sed cum tu cum proceribus tuis, prout intelleximus, deliberationem et tractatum habueris (1), ac ut credimus premissa et alia oportuna tanto negocio in consideratione duxeris deducenda, plenius potes advertere quid te deceat et expediat facere super via passagii antedicti. Nos autem illa que secundum Deum poterimus cum fratrum nostrorum consilio parati erimus facere, si dictum iter decreveris assumendum. Datum XI kalendas maii, anno sexto decimo. »

Item fuit dupplicata sub data III nonas maii, anno sexto decimo.

(1) Cf. n. 4822.

4836 22 avril 1332.

Geraldo electo Agathensi tempus recipiendi consecrationem usque ad festum nativitatis beati Johannis Baptistae proxime futurum prorogat eique facultatem omnia sua beneficia cum episcopatu Agathensi retinendi concedit. (Reg. 164, fol. 202 (331) v°, c. 1023).

« *Geraldo, electo Agathensi.* Sincere devotionis affectus — Datum X kalendas maii, anno sexto decimo. »

4837 22 avril 1332.

Hugoni electo Carpentoratensi eadem concedit. (Reg. 116, fol. 202 (331) v°, c. 1024).

« *Hugoni, electo Carpentoratensi.* Exposcit sincere devotionis — Datum ut supra. »

4838 23 avril 1332.

Petro, archiepiscopo Lugdunensi ut magistro Guillelmo de Sura, archidiacono Lugdunensi, capellano apostolico, ei pro Camerae debitis misso, fidem adhibeat. (Reg. 116, fol. 221 (250), c. 1129).

« *Petro, archiepiscopo, Lugdunensi.* Cum super

(1) Reg. : *habuerunt.*

hiis — Datum VIIII kalendas maii, anno sexto decimo.»

4839 23 avril 1332.

Petro Villaris testandi facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 204 (233), p. c. 1030).

« In e. m. (1) Petro Villaris, rectori ruralis ecclesie Sancti Stephani de Villarasa, Elnensis diocesis, scriptori nostro. Datum IX kalendas maii, anno sexto decimo.»

4840 23 avril.

Eidem indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 274 (303) v°, c. 1435).

« In e. m. (2) magistro Petro Villaris, rectori ruralis ecclesie Sancti Stephani de Villarasa, Elnensis diocesis, scriptori nostro. Datum IX kalendas maii, anno sexto decimo.»

4841 24 avril 1332.

Arnaldo de Verdala mandat ut cum executoribus testamenti Raymundi episcopi Agathensis, qui licentiam testandi habuit, bonis ejus ratione reservationis apostolicae receptis, legata ab eo solvat, alioquin componendi cum praefatis executoribus facultatem ei concedit. (Reg. 116, fol. 197 (226), c. 998).

« *Eidem* [*Arnaldo de Verdala*]. Dudum volentes de bonis mobilibus — Datum VIII kalendas maii, anno sexto decimo».

Item in e. m. super bonis mobilibus bone memorie Bernardi episcopi Lodovensis. Datum ut supra.

4842-4843 24 avril 1332 (3).

Bernardo Begonis capellano Galhardi Sanctae Luciae in Silice diaconi cardinalis indulget ut quotidianas distributiones integras praebendae suae Albiensis ecclesiae in quatuor anni festivitatibus fructusque ejusdem praebendae in absentia usque ad triennium percipere possit. (Reg. 116, fol. 198 (227) v°, c. 1002 et fol. 202 (231), c. 1020).

« *Bernardo Begonis, canonico Albiensi.* Meritis tue probitatis — Datum VIII kalendas maii, anno sexto decimo.

Judicibus. Quocirca mandamus quatinus — Datum ut supra.»

4844 24 avril 1332 (1).

Petro Gasbiscoli, Bertrandi Sanctae Mariae in Aquiro diaconi cardinalis capellano, concedit ut quotidianas distributiones integras praebendae suae ecclesiae Albiensis in quatuor festivitatibus anni fructusque ejusdem praebendae in absentia usque ad triennium percipere possit. (Reg. 116, fol. 200 (229) v°, c. 1013).

« *Petro Gasbiscoli, canonico et operario ecclesie Albiensis.* Provenit ex tue — Datum Avinione, VIII kalendas maii, anno sexto decimo.

Judicibus. Mandamus quatinus vos — Datum ut supra.»

4845-4846 24 avril 1332 (2).

Bernardo Hugonis de Roseto, Bertrandi Sanctae Mariae in Aquiro diaconi cardinalis capellano, concedit ut quotidianas distributiones integras praebendae suae Albiensis in quatuor anni festivitatibus redditusque ejusdem praebendae in absentia usque ad triennium recipere possit. (Reg. 116, fol. 211 (240), c. 1060 et fol. 202 (231), c. 1019).

« *Bernardo Hugonis de Roseto, canonico et thesaurario ecclesie Albiensis.* Tue devotionis et — Datum VIII kalendas maii, anno sexto decimo.

Judicibus. Mandamus quatinus vos — Datum ut supra.»

4847 24 avrli 1332.

Ratherio de Miromonte concedit ut quotidianas distributiones integras praebendae suae ecclesiae Albiensis in

(1) Cf. n. 4917.
(2) Cf. n. 4822.
(3) On trouve dans le registre deux transcriptions de cet acte, c. 1002 et c. 1020.

(1) Le registre donne peu après une transcription incomplète du même acte (fol. 202, c. 1018).
(2) Cet acte est transcrit deux fois dans le registre, c. 1060 et c. 1019.

quatuor festivitatibus anni fructusque ejusdem praebendae in absentia usque ad triennium percipere possit. (Reg. 116, fol. 201 (230) v°, c. 1017).

« *Ratherio de Miromonte, canonico ecclesie Albiensis et archidiacono de Lautrico in eadem ecclesia capellano nostro.* Merita tue probitatis — Datum VIII kalendas maii, anno sexto decimo. »

« *Judicibus.* Quocirca mandamus quatinus. — Datum ut supra. »

4848 27 avril 1332.

Guigoni, dalfino Viennensi, ut officialibus suis inhibeat ne Bertrandum episcopum Ostiensem, Apostolicae Sedis legatum propter jurisdictionem quam ratione prioratus de Asperis, Vapincensis diocesis, in castris de Asperis et de Montebrando habet, molestent. (Reg. 116, fol. 281 (310) v°, c. 1468).

« *Eidem dalfino.* Exponente procuratore venerabilis fratris nostri Bertrandi, episcopi Ostiensis, Apostolice Sedis legati, nuper accepimus quod licet idem episcopus ratione prioratus sui de Asperis, Vapincensis diocesis, in castris de Asperis et de Montebrando eorumque territoriis et pertinentiis habeat et exerceat, sicut priores ejusdem prioratus predecessores sui habuerunt et exercuerunt (1), omnimodam juridictionem in spiritualibus et temporalibus cum mero et mixto imperio per tempora de quibus in contrarium memoria non existit, de novo tamen quidam tui officiales te habere in castris predictis mixtum et merum imperium confingentes, officiales et gentes prelibati episcopi super punitione certi delicti noviter commissi sicut fertur ibidem maliciose nituntur contra justitiam impedire, vexationes varias ac terrores et minas eisdem officialibus et gentibus prelibati episcopi nichilominus inferendo. Cum autem, fili, te non deceat nec anime tue expediat aliquos presertim Sacrosancte Romane Ecclesie cardinales qui debent honoribus et favoribus potioribus honorari molestare indebite vel in suis juribus impedire, nobilitatem tuam rogamus et in Domino attentius exhortamur quatinus predictis tuis officialibus inhibens cum effectu ne prefati episcopi gentibus et officialibus in castris predictis vel aliis bonis et juribus suis aliquas inferant seu inferri faciant aut procurent indebitas novitates, et ab illis que attemptasse dicuntur indebite necnon vexationibus, molestationibus et minis illatis hactenus eisdem minus rationabiliter desistere penitus non omittant, te taliter super hiis habiturus quod tua prudentia exinde debeat apud nos et Sedem Apostolicam merito commendari. Datum Avinione, V kalendas maii, anno sexto decimo. »

(1) Reg. : *execuerunt.*

4849 28 avril 1332.

Hugoni, prius archidiacono Cantuariensi, nunc electo Carpentoratensi, et Petro Danrocha mandat ut contra Felicianum de Assisio, subdiaconum, physicum, qui Petro de Corbaria et Ludovico de Bavaria adhaeserat, juxta tenorem litterarum prius ipsis directarum procedant. (Reg. 116, fol. 273 (302) v°, c. 1434 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 531, n. 1534 ; J. M. Vidal, *Bullaire de l'inquisition française*, p. 79, n. 118).

« *Hugoni, electo Carpentoratensi, et Petro Danrocha, preposito ecclesie Haentensis, Lemovicensis diocesis.* Dudum ad audientiam nostri apostolatus multorum insinuatione perlato quod Felicianus de Assisio, subdiaconus, phisicus, contra nos et Sanctam Romanam Ecclesiam cetumque venerabilium fratrum nostrorum ejusdem Ecclesie cardinalium et specialiter contra nonnullos ipsorum multa nefanda blasphemia et diffamatoria proferre temerariis non erubuerat ausibus, quorum nonnulla manifestius heresim sapiebant, nec hiis contentus, ad suam perfidiam apertius propalandam, Petrum de Corbario dum se pro papa scismatice gereret eidem velut scismaticus et de heresi vehementer suspectus adherere dampnabiliter ejusque statum sepius presumpserat multipliciter commendare, Ludovico quoque de Bavaria heretico et scismatico manifesto, ante et postquam etiam fuit per nos privatus sententialiter jure, si quod sibi ad regnum vel imperium Romanum forsitan competebat, et subsequenter de heresi condempnatus, adheserat et faverat multipliciter, et erat familiaris et capellanus ejusdem ac errores et hereses quos dictus Ludovicus defendit dampnabiliter approbaverat, sustinuerat et defenderat aliaque horrenda varia commiserat et nefanda, nos scire volentes super hiis veritatem tibi, fili electe, ut archidiacono Cantuariensi, et tibi, fili preposite, nominibus propriis

nostris expensis commisisse meminimus per nostras alias certi tenoris litteras et mandasse ut de predictis et ea tangentibus ac aliis que in crimine scismatis vel heresis caderent seu per que fautor seu defensor scismatum seu heresum aut scismaticorum vel hereticorum predictus Felicianus aliqualiter appareret, simpliciter et de plano juxta formam canonum et privilegiorum inquisitionis negocio concessorum tam cum ipso quam cum aliis vos informare solerter et fideliter curaretis, inquestam per notarium scribi publicum et in formam redigi publicam faciendo, et ad nostram audientiam quicquid per vos in hac parte reperiri contingerit referendo, sicut in litteris nostris predictis plenius continetur. Et licet vos tunc super premissis procedere ceperitis secundum traditam vobis formam tuque, fili electe, per nos interim promotus fueris in episcopum Carpentoratensem, aliis tamen occupati negociis inquisitionem ipsam perficere sicut accepimus nequivistis. Nos itaque volentes perfici negocium supradictum, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus super eodem negocio procedere juxta litterarum predictarum tenorem et continentiam prout ante promotionem potestatis hujusmodi exacta diligentia studeatis. Datum IIII kalendas maii, anno sexto decimo.»

4850 29 avril 1332.

Mimatensen et Condomiensem episcopos ac abbatem monasterii Clariaci, Agennensis diocesis, conservatores bonorum et jurium capituli ecclesiae Albiensis constituit eisque mandat ne praedictum capitulum indebite molestari permittant. (Reg. 116, fol. 205 (234), c. 1039).

«*Mimatensi et Condomiensi episcopis ac abbati monasterii Clariaci, Agennensis diocesis.* Militanti ecclesie licet — Datum III kalendas maii, anno sexto decimo.»

4851 29 avril 1332.

Capitulariis Tholosanis ut liberent quosdam clericos occasione cujusdam maleficii ab alio perpetrati in suis prisionibus detentos. (Reg. 116, fol 223 (252) v°, c. 1155).

«*Capitulariis Tholosanis.* Cum sicut admiranter et displicenter nimis audivimus hiis diebus, vos falcem nostram non verentes in messem mittere alienam nec attendentes quod alterius odio vel delicto non est alius pregravandus, immo pocius noscentis esset impune relinquendum facinus quam quod (*sic*) innocens dampnaretur, occasione cujusdam maleficii Tholose (1) ab alio perpetrati non absque Dei offensa, contemptu Sedis Apostolice et excommunicationis nota dilectos filios Raterium prepositum Sancti Salvi Albiensis, ordinis sancti Augustini, Fortanerium archidiaconum de Podio Sancti Georgii in ecclesia Albiensi, Bernardum archipresbiterum Sancti Cariti de Popia et nobilem virum Olivarium de Penna domicellum Caturcensis et Albiensis diocesum et quosdam famulos eorum de dicto facinore ut dicitur penitus innocentes vestris in plurimorum scandalum detinetis carceribus mancipatos, vobis precipimus et mandamus vobis nichilominus sano consilio suadentes quatinus prefatos clericos liberare absque more dispendio debeatis. Ecclesie quidem manifestam offensam ac atroces injurias nequiremus conniventibus oculis pertransire. De prefato autem domicello et laicis aliis quos insontes ut dicitur detinetis etiam vestris carceribus mancipatos, vostram rogamus prudentiam ut ipsos humaniter pertractetis, eosdem si ita est a dictis carceribus relaxantes, eisdem nullum gravamen indebitum inferentes. Datum III kalendas maii, anno sexto decimo.»

4852 29 avril 1332.

Duci Burgundiae ut ad pacem inter Philippum Franciae et Eduardum Angliae reges habendam partes suas interponat. (Reg. 116, fol. 223 (252), c. 1151).

«*Ottoni, duci Burgundie.* Licet ad stabilem carissimorum in Christo filiorum nostrorum Philippi Francie et Eduardi Anglie regum illustrium mutuam pacem et concordiam te, fili, affici admodum indubie supponamus, quia tamen solicitare solicitum sepe prodest, nobilitatem tuam rogamus attentius et in Domino exhortamur quatinus circa hec partes tue solicitudinis adeo vigilantibus studiis quantum cum Deo poteris interponas quod bonorum que

(1) Reg. : *Tholosanum.*

largiente Domino ex ea provenient fieri particeps merearis. »

In e. m. Carolo, comiti Alenconii.

In e. m. Radulpho, comiti Augi, constabulario Francie.

In e. m. Miloni, domino de Noeriis.

In e. m. G. de Sancta Maura, cancellario regio. Datum in omnibus III kalendas maii, anno sexto decimo. »

4853 Avignon, 30 avril 1332.

Regi Franciae ut pacem cum rege Angliae faciat. (Reg 116 fol. 218 (247), c. 1105).

« *Regi Francie.* Dum innumera commoda que stabilita concordia inter te, fili carissime, et carissimum filium nostrum Edwardum illustrem regem Anglie repromittit, dumque periculosa dispendia que cominatur discordia si inter vos foret, quod absit, pertinax consideramus attente, profecto plenis desideramus affectibus illam vigere inter vos et hanc penitus a vobis exulare. Quocirca preces adicimus precibus ut hec circumspectio regia in rationis consistorio introducens sic (1) ad pacem amplexandam inclinet cor regium sicque discordiam detestetur et aborreat quod merito gaudia valeat assequi que ineuntibus pacis consilia Sapiens repromittit. Super hoc autem hiis diebus per venerabilem fratrem nostrum Petrum Rothomagensem archiepiscopum serenitati scripsimus regie sibique aliqua super hiis eidem commisimus excellentie regie referenda, quem benigne, quesumus, audiat ejusque salutaria monita ad exauditionis gratiam introducat. Datum Avinione, II kalendas maii, anno sexto decimo. »

4854 Avignon, 30 avril 1332.

Reginae Franciae de eodem. (Reg. 116, fol. 218 (247), c. 1106).

« *Regine Francie.* Si commoda pacis — Datum ut supra. »

(1) Reg. : *si.*

4855 Avignon, 30 avril 1332.

Duci Borbonesii ut partes suas ad procurandam pacem inter Franciae et Angliae reges interponat. (Reg. 116, fol. 218 (247) v°, c. 1107).

« *Duci Borbonesii.* Quamquam te pacem — Datum ut supra. »

4856 Avignon, 30 avril 1332.

Regi Navarrae de eodem. (Reg. 116, fol. 218 (247) v°, c. 1108).

« *Philippo, regi Navarre illustri.* Attendentes varia comoda — Datum ut supra [Avinione, II kalendas maii, anno sexto decimo]. »

4857 1er mai 1332.

Guillelmum de Lauduno in capellanum suum recipit. (Reg. 116, fol. 204 (233) v°, c. 1036).

« *Guillelmo de Lauduno, vestiario ecclesie Magalonensis.* Odor boni nominis — Datum kalendis maii, anno sexto decimo. »

4858 4 mai 1332.

Benedicto Johannis quod fructus beneficiorum suorum ecclesiasticorum in absentia usque ad triennium percipere possit, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (Reg. 116, fol. 201 (230), c. 1016).

« *Benedicto Johannis, canonico Caturcensi.* Vite ac morum — Datum IIII nonas maii, anno sexto decimo.

Judicibus. Mandamus quatinus vos — Datum ut supra. »

4859 5 mai 1332.

Arnaldo de Verdala ut pro perpetua capellania in

ecclesia rurali Beatae Mariae de Palmis, Tholosanae diocesis, instituenda redditus quindecim librarum turonensium perpetuos de pecuniis Camerae acquirat. (Reg. 116, fol. 197 (226), c. 996).

« *Magistro Arnaldo de Verdala, archidiacono Mirapiscensi, Apostolice Sedis nuncio.* Volentes quod pro — Datum Avinione, III nonas maii, anno sexto decimo. »

4860 5 mai 1332.

Eidem ut bona quae quondam Petrus de Antinhaco civis Narbonensis in testamento pauperibus erogari mandavit, propter dissentiones executorum exigat et in tuto loco deponat. (Reg. 116, fol. 197 (226), c. 997).

« *Eidem.* Accepimus nuper quod — Datum ut supra. »

4861 5 mai 1332.

Guillelmo, archiepiscopo Tholosano ut duobus clericis ab Arnaldo de Verdala nominandis tabellionatus officium concedere possit. (Reg. 116, fol. 198 (227), c. 999).

« *Guillelmo, archiepiscopo Tholosano.* Cum dilectus filius — Datum III nonas maii, anno sexto decimo. »

4862 5 mai 1332.

Eidem ut Oldrico et Berengario de Montemauro, condominis castri de Sancto Vincentio, Tholosanae diocesis, qui quondam Galhardo tunc episcopo Tholosano jus quoddam in dicta diocesi vendiderunt, de pretio debito satisfaciat, alias Arnaldo de Verdala ad hoc eum compellaturo. (Reg. 116, fol. 198 (227), c. 1000).

« *Eidem.* Dilecti filii nobiles viri Oldricus et Berengarius de Montemauro, condomini castri de Sancto Vincentio tue diocesis, nobis fecerunt exponi quod ipsi dudum ante quod Tholosana ecclesia per nos in metropolitana erigetur jus quod ipsi nobiles pro se ac uxoribus suis habebant in quodam loco vocato ad Mogenseriam, inter tenentias de Vallegna et de Sancto Vincentio predicte diocesis consistente, in Galhardum tunc episcopum Tholosanum suosque successores et ecclesiam Tholosanam pretio centum quadraginta octo librarum turonensium parvorum vendicionis titulo transtulerunt, et licet idem Galhardus possessionem pacificam et quietam dicti loci ac jurium et pertinentium ipsius juxta formam venditionis hujusmodi nomine dicte ecclesie Tholosane adeptus tuque illum etiam dicto nomine teneas pacifice et quiete, de predicto tamen precio nequaquam extitit prefatis nobilibus satisfactum. Nos itaque ipsorum in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitatem tuam rogamus, requirimus attentius et hortamur quatinus consideranter attendens quod Ecclesia cum aliena jactura presertim pauperum, quibus potius caritative subvenire tenetur, locupletari non debet, quodque bona dicti Galhardi non extant ut accepimus de quibus satisfieri de dicto pretio valeat nobilibus antedictis, si est ita eis de dicto precio satisfacere non omittas; alias autem cum ipsis nobilibus deficere non debeamus in justicia in qua sumus omnibus debitores, dilecto filio magistro Arnaldo de Verdala archidiacono Mirapiscensi Apostolice Sedis nuncio damus per alias nostras certi tenoris litteras in mandatis ut te ad id previa ratione si fuerit necesse compellat. Datum etc... [III nonas maii, anno sexto decimo]. »

4863 5 mai 1332.

Arnaldo de Verdala ut eundem archiepiscopum ad praemissa inducat aut compellat. (Reg. 116, fol. 198 (227), c. 1001).

« *Eidem nuncio.* Pro parte dilectorum — Datum III nonas maii, anno sexto decimo. »

4864 5 mai 1332.

Ademaro Rogerii ut redditus et possessiones qui ad usus ecclesiae Sancti Bartholomei Caturcensis empti sunt in cartolario de pergameno conscribi faciat duplicato. (Reg. 116, fol. 201 (230), c. 1014).

« *Ademaro Rogerii, canonico Caturcensi.* Cum ad opus ecclesie Sancti Bartholomei Caturcensis certos redditus et possessiones emi et acquiri fecerimus ad usus de quibus ordinare dante Domino intendimus deputandos, nos de illis habere volentes certitudinem pleniorem discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus de redditibus et possessionibus hujusmodi solerter et fideliter te informans, illos particulariter et distincte in cartolario de pargameno conscribi facias dupplicato quorum unum penes te remaneat et aliud ad Cameram nostram quamtocius destinare procures, predictos redditus colligendo nichilominus et sic fideliter conservando quod fidelem reddere rationem et facere quod tibi pro parte nostra mandabitur valeas de eisdem. Datum III nonas maii, anno sexto decimo. »

4865 5 mai 1332.

Petro de Ungula de bonis suis mobilibus usque ad summam duorum millium florenorum auri disponendi facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 276 (305), c. 1442).

« *Petro de Ungula, priori prioratus Sancti Egidii, ordinis Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani.* Ut de bonis — Datum III nonas maii, anno sexto decimo. »

4866 7 mai 1332.

Archiepiscopo Rothomagensi quod usque ad unum annum loca ecclesiastica suae provinciae per alium visitare possit. (Reg. 116, fol 207 (236) v°, c. 1046).

« *Archiepiscopo Rothomagensi.* Meritis tue devotionis — Datum nonis maii, anno sexto decimo.
Judicibus. Meritis etc. — Datum ut supra. »

4867 Avignon, 7 mai 1332.

Archiepiscopo Rothomagensi ut nuntiis E. regis Angliae ad curiam regiam venturis assistet. (Reg. 116, fol. 218 (247) v°, c. 1110).

« *Archiepiscopo Rothomagensi.* Cum nuncii carissimi filii nostri in Christo Edwardi regis Anglie illustris ad regalem presentiam sicut accepimus sunt venturi, fraternitatem tuam rogamus attente ut circa negotium super quo alias excellentie scripsimus regie tibi credentiam committendo eisdem cures assistere prout honori tuo expedire videris oportune. Et ecce regi scribimus et regine filiis nostris carissimis prout continet sedula presentibus interclusa. Datum Avinione, nonis maii, anno sexto decimo. »

4868 7 mai 1332.

Guigoni dalfino Viennensi, ne terram Arnaldi de Trian, domini de Talardo, Romanae curiae marescalli, in absentia ejusdem invadat. (Reg. 116, fol. 281 (310) v°, c. 1467).

« *Eidem dalfino* [*Viennensi*]. Insinuatione displicibili et infesta hiis diebus percepimus licet adhibere fidem relatibus nequeamus quod tu, fili, terram dilecti filii nobilis viri Arnaldi de Trian, domini de Talardo, nepotis nostri, Romane curie marescalli ex eo presertim te invasurum hostiliter comminaris quia ipse coram gentibus regiis quedam prosequitur jura sua. Quocirca nobilitatem tuam rogamus et in Domino attentius exhortamur quatinus ab hujusmodi proposito, si forsan illud quod nequaquam credimus concepis, desistere penitus non postponas, sciturus quod si nobilis ipse in aliquo tibi vel gentibus tuis injuriatus fuerit, id faciemus libenter cum nobis innotuerit corrigi et rationabiliter emendari. Datum nonis maii, anno sexto decimo. »

4869 8 mai 1332.

Guillelmo de Chamballart concedit ut altare portatile habere possit. (Reg. 116, fol. 202 (231) v°, c. 1022).

« *Guillelmo de Chamballart, militi Andegavensis diocesis.* Sincere devotionis affectus — Datum VIII idus maii, anno sexto decimo. »

4870 Avignon, 8 mai 1332.

Archiepiscopo Rothomagensi et episcopo Parisiensi, ut nuncient duci Borbonesii quod, ratione passagii transmarini, civitatem Parisiensem ingredi eum licet, non

obstante quodam juramento ab eo praestito. (Reg. 116, fol. 218 (247) v°, c. 1109).

« *Archiepiscopo Rothomagensi et episcopo Parisiensi.* Sicut ad nostrum pervenit auditum, dilectus filius nobilis vir Ludovicus, dux Borbonesii, motus certis ex causis juramento firmavit se civitatem Parisiensem usque ad certum tempus minime intraturum. Sane quia ante juramentum hujusmodi idem Ludovicus carissimo in Christo filio nostro Philippo regi Francie illustri velut par Francie ejusque vassallus astrictus fuisse dicitur juramento, fraternitati vestre committimus et mandamus quatinus vos vel alter vestrum super hoc simpliciter, summarie et de plano sine strepitu et figura judicii informantes, si prius ipsum juramentum prestitisse regi predicto repereritis cui repugnet juramentum predictum, ipsum nuncietis auctoritate nostra in quantum eidem predictum juramentum derogat non servandum et quia eundem ducem affici novimus ad passagium transmarinum ejusque presentiam tractatibus dicti negocii reputamus admodum oportunam, volumus ut, quotiens per prefatum regem qui dictum passagium assumpsisse noscitur vel per alios ejus mandato Parisius tractari continget, eidem ut nonobstante juramento predicto dictam civitatem usque ad annum ingredi et dictis interesse tractatibus valeat auctoritate eadem concedatis. Datum Avinione, VIII idus maii, anno sexto decimo. »

4871 8 mai 1332.

Comitissae Bellimontis, de commutatione voti visitationem liminum beati Jacobi tangentis et de intercessione sua apud Franciae regem scribit. (Reg. 116, fol. 221 (250), c. 1130).

« *Johanne, comitisse Bellimontis.* Pridem nobilitatis tue litteras et nuncium exhibitorem earum benigne recepimus et que nuncius verbo curavit exponere dicteque continebant littere intelleximus diligenter. Sane, filia, terminum super complendo votum quod de visitando limina beati Jacobi apostoli emiseras usque ad festum Omnium Sanctorum proximum prorogantes, venerabili fratri nostro Petro archiepiscopo Rothomagensi commutandi tibi votum ipsum in alia pietatis opera, sicut expedire viderit, per alias nostras certi tenoris litteras concessimus facultatem. Super alio vero articulo, de scribendo scilicet carissimo in Christo filio nostro Philippo regi Francie illustri, respondemus quod id ex eo expediens non videtur quia, sicut intelleximus, nonnullorum magnatum preces sibi porrectas super hoc respuit, et postquam etiam venit ad nos prefatus nuncius, ad sententiam, ut dicitur, est processum, quare nos habeat super hoc tua nobilitas excusatos. Aliis autem petitionibus pro parte tua nobis oblatis duximus favorabiliter quantum cum Deo potuimus annuendum. Datum VIII idus maii, anno sexto decimo. »

4872 Avignon, 10 mai 1332.

Regi Franciae quod duci Borbonesii licentiam Parisiensem civitatem ingrediendi concessit (Reg. 116, fol. 218 (247) v°, c. 1111).

« *Regi Francie.* Quia ex litteris regiis super relaxando ingressu civitatis Parisiensis dilecto filio magnifico viro Ludovico duci Borbonesii noviter nobis missis colligere clare nequivimus an votum vel juramentum impediret eundem, ideo venerabilibus fratribus archiepiscopo Rothomagensi et episcopo Parisiensi quod ipsi vel eorum alter, sive votum vel juramentum obsistat, eidem ingressum predictum auctoritate nostra relaxare valeant, per nostras certi tenoris litteras, quas regie serenitati per exhibitorem presentium mittimus providimus committendum. Datum Avinione, VI idus maii, anno sexto decimo. »

4873 10 mai 1332.

Archiepiscopo Rothomagensi et episcopo Parisiensi ut Ludovico de Claromonte facultatem Parisius intrandi concedant. (Reg. 116, fol. 206 (235) v°, c. 1043).

« *Petro, archiepiscopo Rothomagensi, et Hugoni, episcopo Parisiensi.* Carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris supplicationibus inclinati, ut vos et vestrum quilibet in solidum dilecto filio magnifico viro Ludovico de Clarimonte (*sic*) duci Borbonesii quod ipse nuptiis dilecti filii nobilis viri Johannis primogeniti dicti regis Parisius in proximo sicut accepimus celebrandis, non obstante juramento quod de non intrando usque

ad certum tempus civitatem Parisiensem prestitisse dicitur, si celebrentur ibidem, valeat personaliter interesse, indulgere possitis, juramentum hujusmodi sicut expedire videritis quoad hoc relaxando, facultatem fraternitati vestre tenore presentium elargimur. Datum VI idus maii, anno sexto decimo. »

4874 17 mai 1332 ?(1)

Regi Franciae ut attentis bellorum eventibus, periculis et impedimento transmarini passagii, non procedat ad bellum cum rege Bohemiae contra ducem Brabantiae. (Reg. 116, fol. 215 (244) v°, c. 1088 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 529, n. 1527 ; Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 570, n. 3221).

« *Regi Francie.* Etsi generaliter in negociis alicujus ponderis sint tria, scilicet quid liceat secundum equitatem, quid deceat secundum honestatem, et quid secundum utilitatem expediat precipue attendenda, tamen in arduis et periculosis negociis sunt hec diligentius merito observanda. Sane, fili carissime, ad nostrum non absque admiratione pervenit auditum quod tua magnificentia hiis diebus subito, assignatione dierum prefixorum ad inclitum principem dilectum filium Johannem ducem Normannie primogenitum tuum ad statum militie promovendum ejusque matrimonium celebrandum ac quantum ad Crucis predicationem transmarinum inchoandum negotium penitus revocata, disposuisti in succursum regis Boemie illustris contra ducem Brabantie, inter quos hostis pacis gravis dissentionis suscitavit materiam, cum principum et aliorum armatorum multidudine profiscici. Profecto, fili carissime, res ista ardua et periculosa nimium est censenda. Constat enim eventum varium et dubium esse belli, nuncque hunc nuncque alium in illo consumere gladius consuevit, nec in multitudine bellantium est sperandum cum facile sit Domino exercituum multos in manu paucorum concludere, nec in multitudine exercitus sit victoria nisi de celo proveniat fortitudo. Ideoque regalem providentiam rogamus in Domino et hortamur attente ut premissis in consideratione deductis examinare cum viris Deum timentibus et expertis in talibus studeat sedule utrum pro parte illius cui disponit assistere bellum dici debeat esse justum ; alias enim non esset tibi licitum te immiscere talibus, ymo cum periculo corporis et anime talia attemptares. Rursus consideranter attende si regalem maturitatem deceat extra regnum suum ad bellorum discrimina proficisci teque tuosque principes exponere bellorum eventibus dubiis sic subito sic repente. Adhuc providentia regia considerare velit, quesumus, sedule utrum sic proficisci expediens debeat consideratis bellorum eventibus dubiis reputari, nec omittat in examinatione deducere si casus adversus in bello sibi, quod Dominus avertat, contingeret quanta possent imminere regno pericula, ymo certe gregi dominico universo, nec oblivio supprimat quin ad memoriam revocetur quantum ex isto progressu detrahi poterit negocio transmarino, quantumque grave ac molestum tibi esse poterit si que disposueras ad Dei honorem tueque salutem anime expendere te contingat consumere in hiis que forsan nec Deo erunt grata ymo potius displicibilia, nec tue saluti anime profutura. Considerat insuper regia celsitudo quod rex et dux predicti sibi sunt affinitate conjuncti, ideoque decentius esset magnificentie regie Deoque acceptius videretur quod se inter eos mediatorem constitueret ipsosque laboraret ad pacem et concordiam reducere, ac tantis liberare periculis quanta utrique eorum suisque valitoribus eorum comminatur dissentio, quam uni parti assistendo nutrire inter ipsos discordiam et augere discrimen. Nos in hiis quia forsan multa nos latent que circumspectio regia non ignorat unum suadere simpliciter non presumimus, sed obtamus quod celsitudo regia deducat in consideratione premissa, omnibusque in consideratione deductis illud eligat quod Deo acceptius extimabit. Quod tibi dignetur concedere Cui, cum voluerit, subest posse. Amen. Datum. »

(1) Cet acte n'est pas daté. Par rapprochement avec l'acte suivant, adressé à la reine sur le même objet, on lui a attribué la date du 17 mai 1332.

4875 17 mai 1332.

Reginae Franciae ut pacis passagiique transmarini intuitu, regem inducat ne ad subveniendum regi Bohemiae contra ducem Brabantiae armis procedat .(Reg. 116, fol. 218 (247) v°, c. 1112 ; — Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 571, n. 3222).

« *Regine Francie.* Dum attente bellorum consideramus eventus dubios et incertos, dumque consi-

deranter attendimus quanta gravitas sit a principibus in immiscendo se talibus observanda, profecto, carissima filia, mirari non sufficimus quomodo filius noster carissimus Philippus, rex Francie illustris, sic subito, sic repente, assignatione dierum pro actibus solennibus ordinata prorsus abolita, ad subveniendum regi Boemie contra ducem Brabantie, inter quos hostis humani generis adeo gravis dissensionis ingessit materiam, usque ad ea principes commovens dissidentes ut inter se, non juribus, sed viribus, non per justitie semitas que inter discordes media esse debet, sed potentia experiri decreverint, nec viis pacifis, sed congressibus bellicis exortam questionem dirimere, decreverit extra regnum suum cum principum aliorumque nobilium copiosa multitudine proficisci. Et quia nobis non occurrit quod hec deceant ipsum regem, nec quod via ista in suum regnique sui commodum debeat redundare, ac insuper attendentes quod per hoc transmarinum passagium impediri poterit vel differi, regem predictum per nostras litteras exhortandum duximus et rogandum ut, hiis in consideratione deductis, deliberare super accessu prefato cum viris Deum timentibus, qui eum sciant in hiis dirigere plenius, debeat, et quod Deo acceptius (1) noverit observare; subjungentes quod, cum rex et dux predictus sibi sint affinitate conjuncti, decentius fore ejus magnificentie arbitramur quod partes mediatoris inter ipsos assumeret ipsosque eorumque adjutores de tantis periculis quanta eorum cominatur dissensio eripere vigilantibus studiis laboraret, quam si, uni parti assistendo, inter ipsos dissensionem nutriat, discrimina augeat malisque innumeris aliis viam pandat, et quia premissa, filia carissima, non modicum te contingunt, circumspectionem tuam rogamus attente ut ad ea que Deo acceptiora regalique statui convenientia noveris, cor regium juxta prudentiam a Deo sibi traditam debeas inclinare; quod tibi dignetur concedere Actor pacis. Datum Avinione, XVI kalendas junii, anno sexto decimo.»

4876 18 mai 1332.

Duci Borbonesii de auxilio Petro de Via, militi, domino de Villemuri praestato gratias agit eumque ad continuandum hortatur (Reg. 116, fol. 221 (250), c. 1131).

(1) Reg. : *acceptus*,

«*Ludovico, duci Borbonesii.* Grata nobis dilect filii nobilis viri Petri de Via, militis, domini Villemuri, nepotis nostri, relatione percepimus quod tu in negociis quem ipse habet in regia curia expedire sibi et gentibus suis te exhibes propicium et benignum. Super quo nobilitati tue referentes gratiarum uberes actiones eandem rogamus attente quatinus premissa continuans velis sibi in eisdem assistere consiliis et auxiliis oportunis. Datum XV kalendas junii, anno sexto decimo.»

In e. m. Miloni, domino de Noeriis.

4877 23 mai 1332.

Arnoldo de Cayres concedit ut fructus sacristiae ecclesiae Brivacensis, Sancti Flori diocesis, in absentia usque ad triennium percipere possit, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (Reg. 116, fol. 206 (235), c. 1042).

«*Arnaldo de Cayres, sacriste ecclesie Brivacensis, Sancti Flori diocesis, bacallario in legibus.* Nobilitas generis, litterarum — Datum.

Judicibus. Mandamus quatinus vos — Datum etc.»

In e. m. Johanni de Attrabato, decano ecclesie Attrabatensis. Datum X kalendas junii, anno sexto decimo.

4878 23 mai 1332.

Cancellario et universitati magistrorum in facultate theologiae studii Parisiensis Georgium de Borgolio, ordinis Heremitarum sancti Augustini, in sacra pagina bacallarium, ad studium Parisiense accedentem ibi librum Sententiarum lecturum commendat. (Reg. 116, fol. 221 (250), c. 1132).

«.. *cancellario et universitati magistrorum in facultate sacre theologie studii Parisiensis.* Cum dilectus filius — Datum X kalendas junii, anno sexto decimo.»

4879 23 mai 1332.

Guigoni dalfino Viennensi ut aliquam personam de hiis quae inter ipsum et Arnaldum de Trian, Talardi et Montismirabilis dominum, Romanae curiae marescallum, contentiose vertuntur, plenius informatam mittat. (Reg. 161, fol. 281 (310) v°, c. 1466).

« *Eidem dalfino* [*Viennensi*]. Solita benignitate recepimus — Datum X kalendas junii, anno sexto decimo. »

4880 25 mai 1332.

Stephano de Rocolis indulget ut hospitalis Sancti Andreae de Galhaco, Albiensis diocesis, serviciis insistendo, fructus beneficiorum suorum, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, usque ad triennium percipere possit. (Reg. 116, fol. 205 (234) v°, c. 1040).

« *Stephano de Rocolis, preceptori hospitalis Sancti Andree de Galhaco, Albiensis diocesis.* Ex tue probitatis — Datum VIII kalendas junii, anno sexto decimo.
Judicibus. Quocirca mandamus quatinus — Datum ut supra. »

4881 25 mai 1332.

Stephano de Diodido (1) concedit ut fructus beneficiorum suorum ecclesiasticorum in absentia usque ad triennium percipere possit, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (Reg. 116, fol. 206 (235), c. 1041).

« *Magistro Stephano de Diodido, archidiacono Caturcensi.* Merita tue probitatis — Datum ut supra [VIII kalendas junii, anno sexto decimo]. »

4882 25 mai 1332.

Guidoni de Mauriolis concedit ut fructus beneficiorum suorum ecclesiasticorum usque ad triennium in absentia recipere possit, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (Reg. 116, fol. 210 (229), c. 1056).

« *Guidoni de Mauriolis, archidiacono de Combralia in ecclesia Lemovicensi.* Nobilitas generis, vite — Datum VIII kalendas junii, anno sexto decimo.
Judicibus. Mandamus quatinus vos — Datum ut supra. »

4883 25 mai 1332.

Helionum de Villanova, magistrum Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani a transfretatione ad insulam Rhodi dissuadet eumque hortatur ut Sancti Egidii et Tholosano prioratibus tunc vacantibus de persona ydonea provideat. (Reg. 116, fol. 364 (393) v°, c. 1821).

« *Eidem magistro.* De convalescentia persone tue que diu infirmitate gravata languerat ex tuarum percepta nuper serie litterarum tibi plurimum congaudentes, debilitati tue compatimur quam in te eadem infirmitas dereliquit. Sane licet persone tue presentia in insula Rodi oportuna existeret, quia tamen ipsius persone et instantis temporis qualitate pensatis, absque periculo ex quo religioni tue maximum quod absit detrimentum imminere posset ad partes illas nequires personaliter conferre, suademus tibi quod marium te non exponas discrimini de presenti sed subsidium quod habere poteris illuc mittas et necessitatibus domus tui ordinis ejusdem insule provideas fideliter et prudenter. Ceterim quia Sancti Egidii et Tholosani prioratus tui ordinis per obitum quondam Petri de Ungula olim dictorum prioratuum prioris, qui nuper ad Sedem Apostolicam diem clausit extremum, vacare noscantur ad presens, tuam providentiam in Domino exhortamur quatinus de tali persona eisdem prioratibus in hoc personarum acceptione semota providere procures que sciat et possit eorum jura defendere viriliter et salubriter gubernare; et expedientius crederemus quod prioratus predicti sub duorum priorum regimine gubernentur. Provideat super hoc provide tua circumspectio quid agendum. Datum Avinione, VIII kalendas junii, anno sexto decimo. »

4884 25 mai-6 juin 1332.

Guidoni de Mariolis, subdiacono, indulget ut ratione archidiaconatus de Cambralia in ecclesia Lemovicensi seu parrochialis ecclesiae de Chambolma ejusdem diocesis quos ex dispensatione apostolica simul tenet, ad superiores ordines se promoveri facere usque ad triennium non teneatur, (Reg. 116, fol. 204 (233), c. 1032).

« *Guidoni de Mariolis, archidiacono de Cambralia in ecclesia Lemovicensi.* Exigunt tue multiplicia — Datum VIII junii (*sic*), anno decimo sexto. »

4885 25 mai-6 juin 1332.

Amelio episcopo Castrensi ut familiares suos qui

(1) *Corriger* : Diosido.

torneamento nuper Avinione prope ecclesiam fratrum Praedicatorum facto interveniendo excommunicationem incurrerunt absolvere possit. (Reg. 116, fol. 204 (233), c. 1033).

« *Amelio, episcopo Castrensi.* Ut omnes et — Datum ut supra [VIII junii (*sic*), anno sexto decimo]. »

4886 Avignon, 27 mai 1332.

Johanni episcopo Lingonensi, Basiliensis ecclesiae administratori, ut ligam cum Argentinensibus et Friburgensibus adversus Ludovicum de Bavaria facere intendat. (Reg. 116, fol. 260 (289), c. 1352 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 532, n. 1540).

« *Johanni, episcopo Lingonensi, administratori ecclesie Basiliensis in spiritualibus et temporalibus auctoritate apostolica deputato.* Cum dilecti filii magistri civium et universitatis ac rectores consulum civitatis Basiliensis et dilecti filii.. Argentinenses et Friburgenses cives confederationem et ligam cum dilectis filiis .. civibus et communitate Maguntinis intendant, sicut accepimus, facere et inire, ut adversus maliciosas et fraudulas insidias illius hominis reprobi et dampnati Ludovici de Bavaria ejusque complicum et sequacium valeant fortius et virilius se munire, nos attendentes confederationem et ligam hujusmodi utrisque ipsorum existere multipliciter fructuosam, fraternitatem tuam rogamus attencius et hortamur ut circa illam faciendam et formandam operosam adhibere solicitudinem non omittas, nobis quicquid inde factum extiterit rescripturus. Datum VI kalendas junii, anno sexto decimo. »

4887 Avignon, 27 mai 1332.

Episcopo Argentinensi, de eodem. (Reg. 116, fol. 260 (289), c. 1353 ; — Riezler, *op. cit.*, p. 532, n. 1540).

« *Bertholdo, episcopo Argentinensi.* Cum dilecti filii Argentinenses ac Basilienses et Friburgenses cives simul initi cum dilectis filiis etc... ut supra. Datum ut supra. »

4888 29 mai 1332.

Guillelmo Bertrandi de Syoraco concedit ut fructus beneficiorum suorum ecclesiasticorum usque ad triennium in absentia recipere possit, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (Reg. 116, fol. 210 (239) v°, c. 1057).

« *Guillelmo Bertrandi de Syoraco, canonico ecclesie Beati Martini Turonensis.* Ex tue devotionis — Datum IV kalendas junii, anno sexto decimo. »

4889 29 mai 1332.

Bertrando electo Lodovensi facultatem contrahendi mutuum usque ad summam mille florenorum auri sub certis conditionibus concedit. (Reg. 116, fol. 207 (236), c. 1044).

« *Bertrando, electo Lodovensi.* Cum sicut in — Datum IIII kalendas junii, anno sexto decimo. »

4890 29 mai 1332.

Raymundo de Chameraco collectionem cujusdam census annui in provincia Auxitana necnon Lombariensi, Ruthenensi, Castrensi, Albiensi, Montisalbanensi, Rivensi, Vabrensi, Caturcensi et Tutellensi diocesibus debiti committit. (Reg. 116, fol. 224 (253) v°, c. 1162).

« *Raymundo de Chameraco, canonico Massiliensi, Apostolice Sedis nuncio.* Cum nonnulli ecclesiarum — Datum IIII kalendas junii, anno sexto decimo. »

4891 29 mai 1332.

Eidem nuntio ut fructus annuales beneficiorum ecclesiasticorum vacantium reservatorumque etiam si sequestrati sint, exigat et colligat. (Reg. 116, fol. 224 (253) v°, c. 1163).

« *Eidem nuncio.* Cum intellexerimus quod — Datum ut supra ».

4892 29 mai 1332.

Eidem nuntio et officiali Lumbariensi ut de quibusdam beneficiis vacantibus in provincia Auxitana se informent. (Reg. 116, fol. 225 (254), c. 1164).

« *Eidem nuncio et .. officiali Lumbariensi.* Perduxit nuper ad — Datum ut supra [IIII kalendas junii, anno sexto decimo]. »

4893 29 mai 1332.

Episcopo Tarviensi et Raymundo de Chameraco de unione ecclesiarum parrochialium quorum redditus ad sustentationem rectorum non sufficiunt. (Reg. 116, fol. 225 (254) v°, c. 1165).

« *Episcopo Tarviensi et dicto nuncio* [*Raymundo de Chameraco*]. Dudum ad audientiam nostri apostolatus deducto quod in tua, frater episcope, diocesi Tarviensi quamplures erant sicut adhuc dinoscuntur existere parrochiales ecclesie adeo in suis redditibus et proventibus tenues et exiles quod unus rector ydoneus de unius quinymo duarum vel trium ecclesiarum predictarum redditibus et proventibus non potest sustentari congrue nec onera eis incumbentia commode supportare, quodque nonnulli rectores ecclesiarum ipsarum qui dudum duas vel plures earum absque unione canonica obtinebant post publicationem constitutionis olim per nos super pluralitate beneficiorum edite que incipit : « Execrabilis » multas de predictis ecclesiis quasi omnino cultu divino dimiserant destitutas, nos cupientes super hiis salubriter providere tibi ecclesias ipsas que ad collationem tuam spectabant personis ydoneis conferendi per alias nostras certi tenoris litteras concessisse dicimur facultatem. Cum autem certis ex causis procedere ad executionem dictarum litterarum nequiveris, sicut fertur, et quamplures de dictis ecclesiis de patronatu tam clericorum regularium et secularium quam laicorum asserantur existere, adhuc predicte ecclesie divinis officiis sicut displicenter audivimus remanent destitute ; nos igitur verentes animarum pericula et cultum ubique cupientes augmentari divinum, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus ecclesias dimissas hujusmodi rectoribus qui eas tenebant ante dimissionem predictam vel aliis de quibus vobis videbitur unam vel duas uni videlicet sicut expediencius cognoveritis commendare ad vitam eorum dumtaxat per eos regendas et gubernandas salubriter auctoritate nostra curetis, ita quod illi quibus easdem commendabitis ecclesias convertere in suarum et ecclesiarum ipsarum utilitatem et necessitatem valeant fructus et redditus earumdem ; proviso tamen quod deinceps cultus in eis agatur divinus et animarum cura nullatenus neglectui relinquatur. Ceterum nostre intentionis existit quod per commendam hujusmodi tibi, episcope predicte, ac patronis jamdictis clericis et laicis nullum prejudicium imposterum generetur quominus, nisi nos aliter ordinaverimus, eisdem rectoribus et aliis quibus predictas ecclesias duxeritis commendandas cedentibus vel decedentibus, tu, predicte episcope, illas que ad tuam collationem pertinent conferre canonice valeas et patroni predicti ad eas que de patronatu suo noscuntur existere, personas presentare possint ydoneas, et aliter jus suum in eis habeant et obtineant sicut prius, quibus per premissa concedere jus novum non intendimus nec antiquo quomodolibet derogare. Datum ut supra [IIII kalendas junii, anno sexto decimo]. »

4894 29 mai 1332.

Eidem nuncio ut non obstante divisione fructuum beneficiorum vacantium facta per ordinarios, ipse fructus percipiat secundum constitutionem « Suscepti regiminis » acsi divisio facta non esset. (Reg. 116, fol. 225 (254), c. 1166).

« *Dicto nuncio* [*Raymundo de Chameraco*]. Nuper exposito coram — Datum ut supra [IIII kalendas junii, anno sexto decimo]. »

4895 29 mai 1332.

Eidem nuncio ut praelatos Caturcensis, Ruthenensis, Vabrensis et Tutellensis diocesum ad solvendum residuum subsidii pro repressione rebellium oblati inducant, alioquin eos compellat, observata tamen modestia. (Reg. 116, fol. 225 (254) v°, c. 1167).

« *Eidem nuncio.* Intelleximus quod subsidii — Datum ut supra. »

4896 29 mai 1332.

Officiali Caturcensi quod uni clerico a magistro Raymundo de Chameraco, canonico Massiliensi, Apostolicae Sedis nuntio nominando tabellionatus officium concedere possit. (Reg. 116, fol. 225 (254) v°, c. 1168).

« ..*officiali Caturcensi.* Cum dilectus filius — Datum ut supra [IIII kalendas junii, anno sexto decimo]. »

4897 29 mai 1332.

Guillelmo Cabiroli ut fructus annuales beneficiorum vacantium ab ipso papa collatorum super quibus lis pendet et quos sequestrari contingit, sequestro non obstante exigat. (Reg. 116, fol. 226 (255) v°, c. 1173).

« *Guillelmo Cabiroli* (1), *canonico Tholonensi, Apostolice Sedis nuncio.* Cum intellexerimus quod — Datum IIII kalendas junii, anno sexto decimo ».

4898 30 mai 1332.

Capitulo Sancti Frontonis Petragoricensis mandat ne permutationem juridictionis Burgi Petragoricensis cum consulibus ejusdem Burgi perficiant. (Reg. 116, fol. 207 (236) v°, c. 1047).

« *Capitulo ecclesie Sancti Frontonis Petragoricensis.* Perlatum hiis diebus extitit ad nostri apostolatus auditum quod vos super permutanda jurisdictione quam sub feudo Romane Ecclesie in Burgo Petragoricensi obtinere noscimini cum dilectis filiis .. consulibus dicti Burgi jam inivistis tractatum. Cum autem de forma tractatus hujusmodi et an eidem Romane Ecclesie et vestre Sancti Frontonis Petragoricensis expediat ipsa permutatio ecclesiis (*sic*) certiorari velimus, discretioni vestre presentium tenore mandamus quatinus de tractatu hujusmodi nos plene certificare curantes ad ipsius perfectionem absque nostra speciali licentia nullatenus procedatis. Datum III kalendas junii, anno sexto decimo. »

4899 31 mai 1332.

Ademaro domino de Rossilione mandat ut Ricavum de Gordis, mercatorem Avinionensem, qui de partibus Flandriae ac Brabantiae rediens arrestatus fuerat liberet. (Reg. 116, fol. 282 (311), c. 1470 ; — Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 574, n. 3229).

(1) Index : *Cabayroli.*

« *Ademaro, domino de Rossilione.* Cum dilectum filium Ricavum de Gordis, civem et mercatorem Avinionensem, cum pannis quos de partibus Flandrie ac Brabancie ad opus nostrorum familiarium deferebat, in terra tua per quam faciebat transitum duxeris displicenter, sicut accepimus, arrestandum, nobilitatem tuam rogamus attentius et hortamur quatinus prefatum mercatorem cum eisdem pannis, quibus indigemus, e vestigio liberare, quacunque cessante difficultate, procures. Datum II kalendas junii, anno sexto decimo. »

4900 4 juin 1332.

Regi Siciliae nuntiat, inter alia, ducem Brabantiae ad regem Franciae venturum esse eique commendat episcopum Lomberiensem. (Reg. 116, fol. 247 (276) v°, c. 1292 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 532, n. 1543 ; Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 574, n. 3231).

« *Eidem regi* [*Sicilie*]. Postquam a nostra pridem discessit (1) presentia dilectus filius magister P. de Pirn, phisicus regius, per quem tue celsitudini que nuntianda occurrebant tunc temporis nunciavimus, nova non occurrerunt alia usque modo. Nunc autem de partibus Francie audivimus quod inter inclitum principem .. regem Boemie et dilectum filium nobilem virum ducem Brabancie treugis usque ad quindenam instantis festi nativitatis beati Johannis Baptiste initis, idem rex versus Bavarum dirigere dicitur gressus suos, dux autem predictus ad carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francie illustrem, est venturus in proximo, sicut fertur, cum idem rex duos episcopos ad eum destinaverit ut in predicto instanti festo beati Johannis curet interesse cum ipso. Sane, fili carissime, quia statum regium audire prosperum nos delectat, curet nos de illo et aliis in eis partibus occurentibus regalis sublimitas reddere sepius certiores. Ceterum venerabilem fratrem nostrum Jacobum, Lomberiensem episcopum, cui licentiam adeundi presentiam regiam prout celsitudo regia petierat, concessimus, tue benivolentie propensius commendamus. Datum II nonas junii, anno sexto decimo. »

(1) Reg. : *dicessit.*

4901 8 juin 1332.

Mathae de Insula eligendi confessorem facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 226 (255), c. 1171).

« *Mathe de Insula, comitisse Convenarum.* Ut per confessionis — Datum VI idus junii, anno sexto decimo. »

4902 8 juin 1332.

Vicario in spiritualibus episcopi Lombariensis facultatem dat commutandi in pietatis opera votum beati Jacobi lim ina visitandi cui consensit Matha de Insula comitissa Convenarum. (Reg. 116, fol. 226 (255), c. 1172).

« *Vicario in spiritualibus Jacobi episcopi Lombariensis.* Pro parte dilecte in Christo filie nobilis mulieris Mathe de Insula comitisse Convenarum coram nobis exhibita petitio continebat quod quondam Margarita de Fuxo, mater sua, emisso voto promisit quod cum primo partu masculino vel feminino quem daret sibi Dominus limina beati Jacobi apostoli Compostellana personaliter visitaret. Sane cum eadem comitissa, que dicte Margarite primus partus post votum predictum extitit, votum ipsum cui aliqualiter postquam pervenit ad annos discretionis consensit commode nequeat presertim ad presens, cum gravida fore noscatur, personaliter adimplere, fecit nobis humiliter supplicari ut votum hujusmodi de quo remorsum habet conscientie sibi commutare in alia pietatis opera dignaremur. Nos itaque supplicationibus hujusmodi benignius inclinati, discretioni tue commutandi auctoritate nostra votum hujusmodi in aliud pietatis opus licentiam concedimus. Datum ut supra [VI idus junii, anno sexto decimo]. »

4903 10 juin 1332.

Regi Siciliae nuntiat celebrationem proximam matrimonii filii regis Franciae cum filia regis Bohemiae. (Reg. 116, fol. 245 (274) v°, c. 1279 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 533, n. 1544).

« *Eidem regi* [*Sicilie*]. Dilectum filium nobilem virum Humbertum de Cholay, militem, ad nos pridem cum litteris credentie filii nostri in Christo carissimi Caroli regis Ungarie illustris venientem, postquam suam hujusmodi credentiam nobis exposuit ad tuam providimus celsitudinem dirigendum, quem audire velit regalis providentia ut cum bone voluntatis videatur existere, fidem ei adhibeat prout cognoverit expedire. Nova non occurrunt postquam tam per regios quam nostros scripsimus nuncios alia, nisi quod carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris primogenitus proxima sequenti dominica debet, ut fertur, absque sollemnitate milicie qualibet matrimonium cum filia regis Boemie consumare Datum IIII idus junii, anno sexto decimo. »

4904 12 juin 1332.

Guigoni dalphino Viennensi ut moram nobilis viri Humberti de Cholayo, militis in Curia retenti excusatam habeat. (Reg. 116, fol. 281 (310) v°, c. 1465).

« *Guigoni, dalfino Viennensi.* Cum dilectum filium — Datum II idus junii, anno sexto decimo. »

In e. m. nobili mulieri Beatrici de Vicanesio, domine de Arlato.

4905 13 juin 1332.

Episcopo Tutellensi ut Garino de Castronovo, domino de Gramato, quoddam tenementum ratione mutui venditum pro pretio exoluto restituat. (Reg. 116, fol. 221 (250), c. 1133).

« *..episcopo Tutellensi.* Exposuit nobis dilectus filius nobilis vir Garinus de Castronovo, dominus de Gramato, familiaris noster, quod dum ipse olim indigeret pecunia et super hoc a te, frater, mutuum postularet, demum ut contractus procederet hujusmodi mutui convenistis adinvicem, videlicet quod idem Garinus quoddam tenementum suum tibi pro certo precio venderet, sibi vero liceret illud pro eodem precio recuperare cum vellet ; et nichilominus ultra id prefatus Garinus quandam aliam possessionem suam ex causa hujusmodi tibi dedit. Cum autem, si veritas suffragatur assertis, honestatem contractus ipse non sapiat et lucrum tale tuam non deceat puritatem, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente quatinus, si est ita dictusque Garinus tibi precium offerat exolutum, illo recepto

tenementum et possessionem sibi restituas prelibata. Datum idibus junii, anno sexto decimo. »

4906 13 juin 1332.

Amedeo de Pictavia ut obligationem quamdam per gentes suas Ricavo de Gordis, mercatori Avinionensi, impositam annullare faciat. (Reg. 116, fol. 203 (232), c. 1026).

« *Nobili viro Amedeo de Pictavia.* Referente dilecto filio Ricavo de Gordis, mercatore, cive Avinionensi, accepimus quod pridem de mense marcii proximi preteriti eodem mercatore qui per Cameram nostram ad partes Flandrie et Brabancie pro emendis pannis ad opus et usum familiarium nostrorum mittebantur (*sic*) per castrum de Stell[a] transeunte, alique gentes tue ipsum cui imponebant quod pedagium in loco vocato Leva vireni persolverat arrestarunt, et quamvis litteras Camere predicte facientes mensionem expressam quod pro dictis pannis emendis mittebantur ostenderet, ipsum tamen non permiserunt abire donec ipse, timens moram suam nobis et dicte Camere nocivam existere, se una cum quodam nepote suo tunc secum existente juramento prestito sub pena ducentorum florenorum auri promisit infra instans festum nativitatis beati Johannis Baptiste cum dicto nepote in castro Sauseti personaliter interesse, unde confecto nichilominus publico instrumento. Cum autem premissa in detractionem honoris nostri presumpta te non deceat sustinere, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attentius quatinus obligationem hujusmodi facias penitus anullari et ne similia committantur de cetero cohibeas effectualiter gentes tuas. Datum idibus junii, anno sexto decimo. »

4907 13 juin 1332.

Abbati monasterii Obazine quia regem Franciae parerium in quodam tenemento, laedendo Garinum de Castronovo dominum de Gramato, effecerit reprobat. (Reg. 116, fol. 221 (250), c. 1134).

« *Abbati monasterii Obazine, Lemovicensis diocesis.* Sicut dilectus filius nobilis vir Garinus de Castronovo, dominus de Gramato, familiaris noster nobis graviter est conquestus, tu infra quendam districtum ipsius quoddam obtinens tenementum, nec de dampno ejus advertens, tibi carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francorum illustrem in tenemento ipso parerium noviter effecisiti. Quocirca discretionem tuam rogamus et hortamur attente, tibi nichilominus salubriter suadentes quatinus, si rei veritas sic se habet, ita indempnitati ejusdem Garini in hac parte provideas quod in lesione ipsius ut proximi Deum atque justiciam non offendas. Datum idibus junii, anno sexto decimo. »

4908 13 juin 1332.

Ludovico duci Borbonesii P. Alberti, priorem de Vicennis, ejus nuncium cum responsionibus remittit. (Reg. 116, fol. 221 (250) v°, c. 1137).

« *Ludovico, duci Borbonesii.* Nobilitatis tue litteras — Datum idibus junii, anno sexto decimo. »

4909 13 juin 1332.

Guillelmo Cabiroli ut summas a Faydito Guirandonis archipresbytero Sarlatensi, olim collectore subsidii in provincia Burdegalensi, et a subcollectoribus quos in diocesi Condomiensi deputavit collectas recipiat. (Reg. 116 fol. 225 (254) v°, c. 1169).

« *Guillemo Cabiroli* (1), *canonico Tholonensi, Apostolice Sedis nuncio.* Cum Fayditus Guyrandonis — Datum idibus junii, anno sexto decimo. »

4910 13 juin 1332.

Eidem, pro summis in diocesi Pictavensi collectis. (Reg. 116, fol. 226 (255), c. 1170).

« *Eidem nuncio.* Dudum Fayditus Guirandonis — Datum ut supra. »

4911 13 juin 1332.

Parrochialem ecclesiam Sancti Nazarii Caturcensis

(1) Index : *Cabayroli.*

diocesis per obitum Raymundi de Buxeria olim rectoris vacantem reservat, si in ea tempore datae praesentium non sit alicui specialiter jus quaesitum. (Reg. 116, fol. 192 (221) v°, c. 980).

« *Ad futuram rei memoriam.* Cum sicut ad — Datum idibus junii, anno quinto decimo (*sic*)((1). »

4912 13 juin 1332.

Guillelmo Guilhalmoni tabellionatus officium ad quod a Gasberto, archiepiscopo Arelatensi, ydoneus repertus fuit concedit. (Reg. 116, fol. 195 (224), p. c. 990).

« In e. m. (2) pro Guillelmo Guilhalmoni, clerico Albiensis diocesis. Datum idibus junii, anno sexto decimo. »

4913 16 juin 1332.

Sycardo de Galhaco concedit ut fructus beneficiorum suorum ecclesiasticorum usque ad triennium in absentia recipere possit, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (Reg. 116, fol. 210 (239), v°, c. 1058).

« *Magistro Sycardo de Galhaco, canonico Mimatensi, scriptori et familiari nostro.* Grata familiaritatis obsequia — Datum XVI kalendas julii, anno sexto decimo. »

4914 23 juin 1332.

Amedeo de Pictavia mandat ut sententiam inter universitates castrorum de Valriaco et de Taulinhano latam pro parte sua et castri de Taulinhano complere faciat. (Reg. 116, fol. 282 (311), c. 1469).

« *Amedeo de Pictavia.* Intelleximus nuper quod licet in quadam sententia dudum lata per venerabilem fratrem nostrum Armandum, archiepiscopum Aquensem, tam auctoritate litterarum nostrarum quam vigore compromissi per universitates castrorum de Valriaco et de Taulinhano in eum facti super dissensione suscitata ratione tenementorum Mestinhaci et Launarii inter universitates predictas procedentem contineatur et per partes easdem sit emologatum expresse quod ipse partes et nichilominus tu, fili, qui dicti castri de Taulinhano existis dominus necnon dilectus filius nobilis vir Arnaldus de Trianno, dominus de Talardo, rector comitatus Venaissini, approbare contenta in dicta sententia deberetis, dictique rector et universitas de Valriaco ea expresse approbaverint et nichilominus universitas ipsa ea que juxta tenorem dicte sententie tenebatur facere quantum in ea fuit duxerit effectualiter adimplenda, tu tamen et universitas castri tui predicti de Taulinhano nedum approbare distulistis premissa, quin immo homines et incole castri tui predicti contra seriem ejusdem sententie venientes in eisdem tenementis novitates aliquas, quas nequaquam procedere de tua conscientia credimus, in nostram et Apostolice Sedis contumeliam ac hominum universitatis castri nostri predicti de Valriaco facere moliuntur. Quocirca nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente quatinus ea que per te dictamque universitatem ejusdem castri tui restant in hac parte secundum continentiam prelibate sententie facienda complere ac compleri per eandem universitatem facere absque alteriori dilatione procurans, a predictis novitatibus adeo cum effectu cohibere studeas gentes tuas quod ob tui defectum vel negligentiam super premissis de cetero querela nobis nullatenus deferatur. Datum Avinione, VIIII kalendas julii, anno sexto decimo. »

4915 30 juin 1332.

Guigoni dalphino Viennensi quod accessum ejus ad Ebredunenses partes pro scandalis tollendis gratum habebit. (Reg. 116, fol. 283 (312), c. 1479).

« *Guigoni, dalfino Viennensi.* Inchoata quedam in partibus Ebredunensibus per incolas diversorum castrorum illarum partium contra suos superiores audivimus, quibus nisi occurratur ocius possent se ad similia alii dilatare quod esset difficile ad ea extirpanda salubria remedia adhibere. Ideoque accessus tuus, fili, ad partes illas nobis gratus admodum extitit et acceptus, nobilitatem itaque tuam attentius exhortamur in Domino et rogamus quatinus principiis tam pernitiosis sic cures vigilanti studio obviare quod se inchoasse talia doleant et alii similia non attemptent. Excusatio, fili, quia

(1) Si la date donnée par le copiste est exacte, l'acte serait de 1331.
(2) Cf. n. 4776.

ad nostram presentiam non veneras non fuit necessaria, satis enim tua presentia nobis est in illis partibus acceptior quam fuisset in istis. Datum II kalendas julii, anno sexto decimo. »

4916 7 juillet 1332.

Petro de Rippa indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 204 (233), p.c. 1031).

« In e. m. (1) Petro de Rippa, civi Caturcensi. Datum nonis julii, anno sexto decimo.

In e. m. Brayde, abbatisse monasterii Helnonensis, ordinis Cisterciensis, Vabrensis diocesis.»

4917 12 juillet 1332.

Bernardo Stephani testandi facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 203 (232) v°, c. 1030).

« *Magistro Bernardo Stephani, archidiacono Figiacensi in ecclesia Caturcensi, notario nostro.* Quia presentis vite — Datum IIII idus julii, anno sexto decimo. »

4918 12 juillet 1332.

Bernardo Stephani indulgentiam in articulo mortis concedit (Reg. 116, fol. 204 (233), c. 1031).

« *Magistro Bernardo Stephani, archidiacono Figiacensi in ecclesia Caturcensi, notario nostro.* Sincere devotionis affectus — Datum IIII idus julii, anno sexto decimo. »

4919 Avignon, 12 juillet 1332.

Reginae Franciae de pace apud Compendium facta, qua via ad bona innumera praecipue ad Terrae Sanctae negotium praeparatur, congaudet. (Reg. 116, fol. 219 (248), c. 1113).

« *Regine Francie.* Que pacis Actor apud Compendium ministerio carissimi filii nostri Philippi, regis Francie illustris, in quo, filia carissima, non defuisse tuum (2) supponimus, hiis diebus egerit novissimarum litterarum tuarum nobis lectio aptius nunciavit, que utique immensi gaudii tam in celis angelis quam in terris bone voluntatis hominibus non immerito materiam ministrarunt. Per hoc enim innumeris animarum periculis via preclusa noscitur et ad bona innumera, precipue ad Terre Sancte negocium, preparata, pro quibus Illi a quo cuncta procedunt gratiarum quas valemus actiones exolvimus, gratias nichilominus tue benivolencie de nunciatione hujusmodi referentes. Gratia Domini Nostri Jesu Christi sit tecum. Amen. Datum Avinione, IIII idus julii, anno sexto decimo. »

4920 12 juillet 1332.

Bernardo Jordani quod antequam litterae ejus pervenissent, de beneficiis per obitum Bertrandi de Turre apostolici capellani vacantibus jam disposuerat. (Reg. 116, fol. 223 (252) v°, c. 1154).

« *Bernardo Jordani, domino de Insula.* Priusquam recepissemus tue — Datum IIII idus julii, anno sexto decimo. »

4921 14 juillet 1332.

Regi Franciae respondet quod gratias petitas non concedet nisi auditis prius mentibus regiis. (Reg. 116, fol. 219 (248), c. 1114).

« *Regi Francie.* Ad regalem noticiam deducimus per presentes quod gratiam de qua in litteris regiis nobis missis novissime fiebat mentio concedere non intendimus quousque mentes audiverimus regias super illis. Gratia Domini Nostri Jesu Christi cor regium in agendis dirigat et protegat ab adversis. Amen. Datum Avinione, II idus julii, anno sexto decimo. »

4922 15 juillet 1332.

Archiepiscopo Bituricensi quod uni clerico praesentando a Johanne Bertrandi, canonico Bituricensi, cui in Bituricensi et Lemovicensi diocesibus certa sunt commissa negotia, tabellionatus officium concedere possit. (Reg. 116, fol. 209 (238), c. 1053).

« *Archiepiscopo Bituricensi.* Cum de discretione — Datum idibus julii, anno sexto decimo. »

(1) Cf. n. 4918.
(2) Il peut manquer un substantif.

4923 21 juillet 1332.

Regi Franciae quod adventus Johannis regis Bohemiae ad Curiam, de quo scripserat, quantum ad praesens expediens non videtur. (Reg. 116, fol. 214 (243), c. 1084) (1).

« *Regi Francie.* Innotuere nobis serenitatis regie littere hiis diebus pium propositum ac devotum conceptum carissimi in Christo filii Johannis, regis Boemie illustris, certis ex causis contentis in eisdem litteris ad nostram presentiam veniendi. Profecto, fili carissime, quanquam prefati regis presentia presertim ad illa que tue et ejusdem regis exprimebant littere esset et esse debeat admodum nobis grata, tamen attentis arduis negociis regiis quibus in presentiarum habet idem rex providere, non videtur nobis expediens [ut] quantum ad presens pro excusatione contenta in eisdem litteris ad nostram presentiam personaliter debeat se conferre, cum quantum ad illa absens facere possit talia, per que ipsum habebimus plenius excusatum. Si autem ejusdem regis feratur intentio, sicut probabiliter creditur, ad alia obtinenda, attendat regalis providentia quod si illa sint alicujus ponderis requirent tractum tempus, cum ad talia absque fratrum nostrorum tractatu et consilio nos procedere non deceat, qui, cum scientia et multa experientia polleant quique attenti debent esse ac soliciti quod in agendis honor et jura conserventur Ecclesie multa vident circa talia et attentius considerant que aliis forsan lateret (*sic*) ; quam quidem moram forsitan nequibit idem rex absque grandi negociorum suorum dispendio prestolari idemque expedientius videretur quod pro talibus examinandis viasque et modos inveniendi per quos possint congrue talia effectui mancipari viros prudentes et tractabiles deberet ad nostram presentiam destinare, dictisque negociis usque ad consumationem vel saltem prope perductis, si sibi videretur expediens posset convenientius et decentius pro consumandis et perficiendis tractatis et ordinatis cum suis nunciis ad nostram presentiam se conferre. Nobis quidem molestum esset nimium si tantum principem a nobis redire contingeret sicut venit, ac gratum admodum si a nobis recederet consolatus. Super quo circumspectio intendat, quesumus, sedule regia, quodque expediens viderit suadeat dicto regi. Sane, si premissis non obstantibus venire voluerit rex prefatus, nos ipsum letanter Domino concedente intendimus recipere ac ut decet tantum principem cum honore tractare, ipsumque audire benigne ac ejus petitionibus quantum sine Dei offensa, injuria proximi salvoque honore Ecclesie poterimus prompte exauditionis januam aperire. Ad id autem quod in calce litterarum ipsarum nobis obtulit regia celsitudo, videlicet quod supra se recipiebat quod idem rex sic veniet et de tali gente sociatus talique modo ac statu sicut nos duxerimus ordinandum, pro tali et tanta oblatione regie benivolentie gratias exhibentes breviter respondemus quod nos circa illa nil ordinare volumus, sed quicquid tua, fili carissime, et dicti regis circumspectio ordinandum duxerit gratum accedet nostris affectibus et acceptum. Datum XII kalendas augusti, anno sexto decimo. »

(1) Cf. ci-dessus un acte de date incertaine, le n. 4818.

4924 21 juillet 1332.

Regi Bohemiae super eodem, quod adventus suus pro sola excusatione in litteris contenta expediens non videtur, sed quod viros providos mittat. (Reg. 116, fol. 214 (243) v°, c. 1085).

« *Regi Bohemie.* Propositum regium ex certa causa veniendi ad Curiam nobis serenitatis regie littere nunciarunt. Profecto, fili carissime, licet tua presentia, presertim attenta causa in eisdem contenta litteris, esset et esse deberet nobis multum accepta, nobis tamen, attentis negociis arduis quibus habet in presentiarum regia providentia providere, adventus ipse in presenti propter solam excusationem in eisdem contentam litteris expediens non videtur. Poterit quidem melius quoad illa nobis in absentia tua satisfieri quam posset negociis antedictis. Sane, fili carissime, si ob causas etiam alias, sicut et probabiliter creditur, disposuerit regia circumspectio huc venire, attendat, quesumus, quod si illa sint ponderis, non poterunt citius expediri : sine tractatu fratrum nostrorum et consilio ad talia procedere nos non decet, qui velut viri eruditi eminenti scientia et experientia multa prediti in negociis arduis cum multa examinatione ac diligentia consueverunt procedere finesque eorum et circumstantias profundius intueri. Que si celsitudo regia noluerit prestolari, veremur proculdubio quod mora prolixior sit negociis regiis dispendiosa gravamina allatura. Ideoque videretur expedientius quod pro illis nobis exponendis regia deberet providentia viros

aliquos Deum timentes ac etiam tuam et Ecclesie justiciam diligentes ad nostram presentiam destinare, cum quibus per nos vel illos quos ad hoc deputari contingeret vias oportunas et modos congruos super illis possemus querere per quos votis satisfieri posset regiis et offensa divina vitari ; quibus repertis, si alia regia negocia patiantur, pro illorum consumatione felici posset celsitudo regia ad nostram presentiam se conferre. Quod si adventum ipsum casu aliquo impediri contingeret, possent illa sic disposita cum aliis quos ad hoc destinandos tue excellentie deceret consumari. Verum si premissis non obstantibus veneris, nos dante Domino audire te benigne ac letanter intendimus recipere sicut decet tantum principem cum honore tractare, tuisque petitionibus quantum sine Dei offensa, injuria proximi honoreque salvo Ecclesie poterimus exaudicionis januam aperire. Datum ut supra [XII kalendas augusti, anno sexto decimo]. »

4925 23 juillet 1332.

Bertrando nato Bertrandi de Cardalhaco facultatem percipiendi fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad aliud triennium prorogat. (Reg. 116, fol. 210 (239) v°, c. 1059).

« *Bertrando, nato dilecti filii nobilis viri Bertrandi de Cardalhaco, domini de Biole, canonico Rothomagensi.* Nobilitatis generis, vite — Datum X kalendas augusti, anno sexto decimo.

Judicibus Mandamus quatinus vos — Datum ut supra. »

4926 24 juillet 1332.

Carolo comiti Alenconii respondet quod nullus in Curia aliquid honori seu commodo ejus contrarium obtinebit. (Reg. 116, fol. 221 (250) v°, c. 1135).

« *Carolo, comiti Alenconii.* Ad ea que tue, fili, littere nobis misse novissime continebant breviter respondemus quod quicumque ad Curiam venerit nichil a nobis quod honori tuo seu commodis in aliquo deroget obtinebit. Datum VIIII kalendas augusti, anno sexto decimo. »

4927 Avignon, 25 juillet 1332.

Johanni, nato Johannis ducis Brabantiae, et Mariae, Philippi regis et Johannae reginae Franciae concedit ut, nonobstante tertio consanguinitatis gradu possint matrimonium contrahere. (Reg. 116, fol. 208 (237), c. 1048) ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XI, p. 237, n. 57845 ; Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 380, n. 3254).

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Consuevit Apostolice Sedis — Datum Avinione, VIII kalendas augusti, anno sexto decimo. »

4928 27 juillet 1332.

Petro, archiepiscopo Lugdunensi, ut Chabertum Hugonis, juris civilis professorem, ad possessionem obedienciariae ecclesiae Sancti Justi Lugdunensis per resignationem Huberti Caprarii vacantis recipiat. (Reg. 116, fol. 221 (250) v°, c. 1136).

« *Petro, archiepiscopo Lugdunensi.* Conquerente dilecto filio — Datum VI kalendas augusti, anno sexto decimo ».

In e. m. dicto capitulo.

4929 31 juillet 1332.

Bertrando de Lordato testandi facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 204 (233), p. c. 1030).

« In e. m. (1) mutatis mutandis Bertrando de Lordato, camerario ecclesie Electensis, ordinis sancti Benedicti. Datum II kalendas augusti, anno sexto decimo. »

4930 31 juillet 1332.

[Bertrando de] Lordato, camerariae ecclesiae Electensis camerario indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 207 (236) v°, p. c. 1045).

« In e. m. (2) Lordato (*sic*), camerario ecclesie Electensis. Datum II kalendas augusti, anno sexto decimo.

In e. m. Hugoni de Ambesia militi, domino de Calvomonte, Turonensis diocesis.

In e. m. nobili mulieri Isabelli de Averio, domine

(1) Cf. n° 4917.
(2) Cf. n° 4949.

de Poceyo, Andegavensis diocesis. Datum ut supra. »

4931 31 juillet 1332.

Regi Franciae de tractatu habito super matrimonio contrahendo inter Mariam natam ejus et Johannem primogenitum ducis Brabantiae congaudet, nuntians ei se super consanguinitate et affinitate dispensationem concessisse, sed impedimento aetatis, deliberatione praehabita, tollere non potuisse. (Reg. 116, fol. 219 (248), c. 1115; — Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 586, n. 3259).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Leta manu recepimus litteras regias tractatum habitum super matrimonio contrahendo inter inclitos pueros Mariam natam tuam et Johannem primogenitum (1) dilecti filii nobilis viri ducis Brabancie nunciantes, et quia certa (2) impedimenta, scilicet consanguinitatis et affinitatis ac de defectu etatis consummationi hujusmodi matrimonii obsistebant, supplicavit nobis excellencia regia ut per dispensationis beneficium impedimenta hujusmodi tolleremus. Nos autem attendentes bona ex hujusmodi matrimonio probabiliter proventura, prompto animo impedimenta illa, scilicet consanguinitatis et affinitatis substulimus, et idem de etatis impedimento curassemus facere si tolerare potestas apostolica posset, sed quia, deliberatione prehabita super hoc diligenti, comperimus quod ad hoc potestas apostolica se extendere non valebat nec aliquem nostrorum predecessorum super tali impedimento reperire potuimus dispensasse, deficiente potestate non voluntate super impedimento illo omisimus dispensare, super quo nos habeat excellentia regia excusatos necnon et super litterarum expeditione tardata. Huic enim causam prebuit sedula nuncii diligentia qui temptavit multipliciter etiam importune super etatis defectu obtinere aliud cui (3) jus et ratio obviabant. Datum Avinione, II kalendas augusti, anno sexto decimo. »

4932 6 août 1332.

Archiepiscopo Viennensi quod ecclesias et cimiteria suae diocesis usque ad triennium reconciliare possit. (Reg. 116, fol. 278 (307), c. 1447).

« .. *archiepiscopo Viennensi*. Tue devotionis precibus — Datum VIII idus augusti, anno sexto decimo. »

4933 7 août 1332.

Philippo de Sagineto ut Bartholomeo episcopo Forojuliensi contra quosdam monachos monasterii de Thorondeto inquisituro assistet. (Reg. 116, fol. 283 (312), c. 1480).

« *Philippo de Sagineto, comitatuum Provincie et Forcalquerii senescallo*. Non sine displicentia magna percepto quod nonnulli monachi ac conversi seu donati monasterii de Thorondeto, Cisterciensis ordinis, Forojuliensis diocesis, illorum horrendorum scelerum que per predones publicos et famosos in Provincia hiis diebus commissa sunt et incessanter etiam committuntur se participes efficiunt et eorumdem predonum receptatores, auxiliatores et adjutores existunt, venerabili fratri nostro Bartholomeo, episcopo Forojuliensi, damus per alias nostras litteras in mandatis ut ipse per se vel alium seu alios summarie, simpliciter et de plano veritatem inquirens, quos de predictis culpabiles repererit capere studeat previa justicia et punire. Quocirca nobilitatem tuam rogamus et hortamur attentius quatinus eidem episcopo vel deputando aut deputandis ab ipso super hoc tuosque (*sic*) officiales et ministros assistere circa premissa studeas sicut per ipsum episcopum vel officiales et ministros suos requisitus fueris auxiliis, consiliis et favoribus oportunis. Datum VII idus augusti, anno sexto decimo. »

4934 7 août 1332.

Episcopo Forojuliensi ut contra quosdam monachos monasterii de Thoroneto praedonum publicorum fautores procedat. (Reg. 116, fol. 277 (306) v°, c. 1445).

« *Bartholomeo, episcopo Forojuliensi*. Infausti rumoris assertio perduxit nuper ad nostri apostolatus auditum quod illorum atrocium excessuum et nefandorum scelerum, que per quosdam viros nequissimos predones publicos et famosos in itine-

(1) Reg. : *Johannis primogeniti*.
(2) Reg. : *circa*.
(3) Reg. : *cujus*.

ribus publicis et diversis locis aliis partium Provincie non absque Dei offensa hiis diebus patrata sunt horribiliter et incessanter perpetrantur, nonnulli monachi et conversi seu donati monasterii de Thorondeto, Cisterciensis ordinis, tue Forojuliensis diocesis, se consentientes et participes efficiunt, eorundemque predonum receptatores, fautores, auxiliatores et adjutatores existunt. Cum autem excessus talium per quos religioni detrahitur, rei etiam publice dispendiosa gravia comminantur sub dissimulationis neglectu minime debeant incorrecti reliqui, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus per te vel alium seu alios super predictis et ea tangentibus summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu judicii et figura veritatem inquirens, ad captionem, incarcerationem et correctionem monachorum ac conversorum seu donatorum predictorum quos de predictis culpabiles repereris secundum sanxiones canonicas procedere non ommittas, invocato ad hoc si necesse fuerit auxilio brachii secularis, contradictores etc... Non obstantibus exemptionis et quibusvis aliis privilegiis, graciis et litteris apostolicis ejusdem ordinis (*sic*) seu monasterio sub quacumque forma vel expressione verborum concessis, etiam si de illis esset in presentibus specialis et expressa et de verbo ad verbum mentio facienda, que quoad hec nulli volumus suffragari, seu si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum VII idus augusti, anno sexto decimo. »

4935 7 août 1332.

Archiepiscopo Senonensi ut canonicatum et prebendam ecclesie Bajocensis, non obstante collatione eorundem Petro de Tria per regem Franciae facta, magistro Petro Beraldi restituere faciat. (Reg. 116, fol. 221 (250) v°, c. 1138).

« *Guillelmo, archiepiscopo Senonensi.* Non absque admiratione et displicentia magna percepimus hiis diebus quod, licet dilectus [filius] magister Petrus Beraldi, archidiaconus Montispensati in ecclesia Caturcensi, capellanus noster, canonicatum et prebendam ecclesie Bajocensis ex collatione nostra dudum sibi facta de illis per duodecim annos et ultra pacifice possederit et quiete, tamen Petrus de Tria canonicatum et prebendam predictas, quos idem capellanus per quadriennium et amplius ante tempus ultime vacationis ejusdem ecclesie Bajocensis assecutus pacifice vigore dicte collationis nostre fuerat, minus vere asserens dicto tempore vacavisse, illos per carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francie illustrem, sibi de facto conferri seque pretextu collationis ejusdem quam procurator suus licet requisitus renuit exhibere, per dilectum filium capitulum ecclesie supradicte ad eosdem canonicatum et prebendam, non obstantibus appellationibus pro parte ipsius capellani ad Sedem Apostolicam interjectis, procuravit admitti, prefato capellano nostro non vocato nec audito in suis juribus, rationibus et defensionibus, sed absque cause cognitione alia, predictis canonicatu et prebenda quos diutius ut premittitur pacifice possederat spoliato, in divine majestatis offensam, Sedis Apostolice contemptum et contumeliam ipsiusque capellani manifestum prejudicium et jacturam. Cum autem talia honori et saluti regis plurimum obvia, si res ita se habeat, fore noscantur, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attentius quatinus tu, quem veritatis et justitie ac honoris et salutis regis ejusdem zelatorem existere fervidum supponimus, eidem regi seriose premissa ostendere ac ipsum efficaciter inducere non postponas ut, collatione hujusmodi non obstante, capellanum nostrum restitui faciat ad suam possessionem predictam et nichilominus provideri ne similia imposterum attemptentur, sic te super hiis habiturus quod nos tuam devotionem et prudentiam in hac parte commendare merito valeamus. Datum VII idus augusti, anno sexto decimo. »

In e. m., verbis competentibus mutatis, magistro Guillelmo de Sancta Maura, decano ecclesie Turonensis, ejusdem regis cancellario.

4936 10 août 1332.

Duci Borbonesii quod patriarcham Jerosolimitanum quem dignum reputat commendatum habere intendit. (Reg. 116, fol. 219 (248) v°, c. 1117).

« .. *duci Borbonesii.* Si excellentie tue circums-

pectio consideranter attenderet quantum civitas Parisiensis diocesis pastoris presentia egeat quantumque patriarchatus Jerosolimitanius patriarche presentiam exigat et requirat, adhuc si harum prelationum distanciam attenderet diligenter, profecto, fili, credimus quod ut unus presideret huc usque tua prudencia non instaret; nec tuam excellentiam moveat quod videmur de patriarchatu Alexandrinensi et Tarraconensi ecclesia hoc fecisse. Scimus quidem quod patriarcha Alexandrinensis patriarchatum Jerosolimitanum satis libenter acceptasset, sed quia supponebamus quod illuc non proficisceretur personaliter et querebamus personam que vellet illuc accedere, hoc nolumus facere; sed patriarche Jerosolimitano qui nunc est, cum audivimus eum ad partes illas etiam sine prelatione proficisci voluntarium, ipsi de eodem duximus providendum. Patriarchatum autem Alexandrinum patriarche honoris causa contulimus potius quam sperantes quod in presentiarum se patriarcha conferre deberet; ecclesiam autem Tarraconensem predictam ei quia ipse satis habundariorem in redditibus nec in honoribus minorem scilicet Tholetanam dimiserat duximus commendandam. Sane quia patriarcham (1) Jerosolimitanum ferventer diligimus ipsumque dignum omni reputamus honore, ipsum propter ipsius merita tueque fili interventionis obtentu habere intendimus loco et tempore propensius commendatum. Quare super hoc nos habeat tua prudentia excusatos. Datum Avinione, IIII idus augusti, anno sexto decimo. »

4937 13 août 1332.

Ademario Rogerii ut ab heredibus Bernardi Audoyni, civis Caturcensis, faciat sibi satisfactionem impendi de certis redditibus nomine Camerae emptis pro duarum capellaniarum perpetuarum in ecclesia Sancti Bartholomei Caturcensis fundatione. (Reg. 116, fol. 209 (238), c. 1052).

« *Ademario Rogerii, canonico Caturcensi.* Fidedigna relatione percepimus quod quondam Bernardus Audoyni, civis Caturcensis, tam a Camera nostra quam a dilecto filio Johanne David, cive Caturcensi, tradente dicte Camere nomine, quingentas (2) quadraginta duas libras sexdecim solidos quinque denarios turonensium parvorum in quadringentis septuaginta florenis de Florentia justi et recti ponderis et nonaginta quatuor regalibus auri quindecim solidis uno denarium (*sic*) turonensium parvorum, singulis florenis pro sexdecim solidis octo denariis et regalibus pro triginta duobus solidis turonensium parvorum singulis computatis, recepit ad emendum et acquirendum redditus et proventus certos annuos pro duabus capellaniis perpetuis quas ordinare intendimus in ecclesia Sancti Bartholomei Caturcensis. Et licet dictus Bernardus postmodum asseruerit in eadem Camera presens dum adhuc viveret se triginta sex libras monete Caturcensis annui et perpetui redditus in certis bonis et possessionibus sufficientibus ad opus dictarum capellaniarum acquisivisse de pecunia supradicta, nos tamen de hiis plenam non habentes noticiam et volentes nostris et ejusdem Camere in hac parte indempnitatibus providere, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus super premissis solerter et fideliter te informans ac rationem exigens ab heredibus dicti Bernardi de receptis redditibus hujusmodi post emptionem predictam, tibi tam ipsis quam aliis quibuscunque ad quorum manus post dictam emptionem redditus predicti pervenerint debitam et integram de illis faciens nostro nomine satisfactionem impendi, si forsan inveneris quod dicti redditus ex proprietatibus seu rebus emphiteoticis adeo sicut asseritur insufficientibus debeantur quod nunc vel pro tempore verisimiliter possent perdi, quia de talibus capellanie dotari nequirent utiliter supradicte, pecuniam predictam a memoratis heredibus exigere dicto nomine non postponas, eis dictis redditibus cum pecuniam ipsam recuperaveris nichilominus resignatis totaliter et dimissis, contradictores etc... non obstantibus si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum idibus augusti, anno sexto decimo. »

4938 Avignon, 13 août 1332.

Regi Franciae nuntiat de Guillelmo majori archidiacono in ecclesia Parisiensi, consiliario regio ac capellano apos-

(1) Reg. : *patriarcha Jerosolimitanus.*
(2) Reg. : *quingentis.*

tolico, quem rex commendavit, eidem ecclesiae se providisse. (Reg. 116, fol. 219 (248) v°, c. 1116).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Attendentes, fili carissime, testimonia laudabilia que tua magnificentia dilecto filio Guillelmo, majori archidiacono ecclesie Parisiensis, consiliario regio ac Sedis Apostolice capellano, super ydoneitate ac sufficientia ad episcopalis regimen dignitatis per litteras perhibuit regias nobis destinatas sepius et specialiter novissime hiis diebus, fratrumque multorum nostrorum tam canonicorum Parisiensis ecclesie necnon et aliorum qui studentes Parisius eum noverant multe litterature et experientie preditum quemque multum sufficientem et ydoneum ad pastoralis officii regimen reputabant, necnon et grandia et diuturna obsequia que idem Guillelmus tam in officialatus quam archidiaconatus officiis quam in dirigendo nonnullos Ecclesie presules in suis regiminibus gessit considerantes attente, et nichilominus provide attendentes quod utrum ex electione futura capituli electio concors et an de persona sic sufficienti sicque obsequiosa eidem ecclesie ac excellencie regie sic devota procederet erat apud homines dubium et incertum, juxta beati Augustini consilium certum eligentes et dimittentes incertum, eidem ecclesie de archidiacono predicto de fratrum nostrorum consilio providendum duximus, intendentes ecclesie providere potius quam persone, indubie nichilominus supponentes quod circumspectioni regie que specialiter ydoneum presulem ecclesie predicte desiderat erit grata dicta provisio pariter et accepta, quem providentie regie et ecclesiam propensius commendamus, nosque excusatos habeat si propter premissa electionem capitulo non duximus remittendam. Datum Avinione, idibus augusti, anno sexto decimo. »

4939 13 août 1332.

Guillelmum prius archidiaconum ecclesiae Parisiensis eidem ecclesiae per obitum Hugonis episcopi vacanti in pastorem praeficit. (Reg. 116, fol. 222 (251), c. 1139 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XI, p. 251, n. 58038.

« *Guillelmo, electo Parisiensi.* Nuper ecclesia Parisiensi per obitum bone memorie Hugonis episcopi Parisiensis vacante, nos de provisione ipsius ecclesie quam nobis ea vice duxeramus specialiter reservandam solicite agitantes et ad te, archidiaconum ejusdem ecclesie, dirigentes intuitum mentis nostre, de persona tua duximus eidem ecclesie de fratrum nostrorum consilio die date presentium providendum, te illi preficientes in episcopum et pastorem. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus impositum tibi onus hujusmodi suscipiens reverenter ad gubernationem ecclesie predicte providam sic cures dirigere studia mentis tue quod per tuam solertem providentiam votiva in spiritualibus et temporalibus suscipiat incrementa tuque proinde preter mercedis perhempnis premium nostram et Apostolice Sedis gratiam uberius merearis. Datum idibus augusti, anno sexto decimo. »

4940 14 août 1332.

Regina Franciae nuntiat quod Guillelmum archidiaconum in ecclesia Parisiensi eidem ecclesiae in pastorem praefecit. (Reg. 116, fol. 220 (249), c. 1119).

« .. *Regine Francie.* Ad reginalem noticiam deducimus per presentes quod nos attendentes laudabilia testimonia que filius noster carissimus Philippus, rex Francie illustris, nobis sepe perhibuit et specialiter novissime hiis diebus de sufficientia et ydoneitate dilecti filii Guillelmi, archidiaconi in ecclesia Parisiensi, consiliarii regii ac capellani Sedis Apostolice, ad regimen pastorale, cui nonnulli ex nostris fratribus Parisienses canonici et alii non canonici qui studentes Parisius eum noverant simile testimonium perhibebant, necnon et grandia ac diuturna servicia laudabilia que idem Guillelmus tam in officialatus quam archidiaconatus officiis ac in dirigendo nonnullos ejusdem ecclesie presules in pastorali exequendo officio considerantes attente, et insuper provide attendentes quod, si contingeret electionem per capitulum celebrari, an concors sequeretur electio de sic persona ydonea et obsequiosa Ecclesie ac excellentie regie sic devota apud homines dubium existebat, juxta Augustini consilium dicentis « tene certum et dimitte incertum », de fratrum nostrorum consilio eundem archidiaconum eidem ecclesie preficiendum duximus, intendentes providere ecclesie potius quam persone, quem electum reginali benivolencie propensius commendamus. Gratia Domini Nostri Jesu Christi cor tuum in hiis que

sibi sunt placita dirigat et ab adversis protegat et defendat. Amen. Datum XIX kalendas septembris, anno sexto decimo.»

4941 14 août 1332.

Johanni de Arpadella ut litteras Guillelmo de Chanaco ecclesiae Parisiensis electo ac regi reginaeque Franciae de ejusdem Guillelmi promotione directas eisdem praesentet. (Reg. 116, fol. 220 (249), c. 1120).

«*Magistro Johanni de Arpadella, canonico Parisiensi.* Ecce quod discretioni tue litteras mittimus presentandas dilecto filio Guillelmo de Chanaco ecclesie Parisiensis electo ac carissimo in Christo filio Philippo regi ac carissime filie Johanne regine Francorum, per quas promotionem factam de dicto archidiacono Parisiensi ecclesie nunciamus, quas cura evestigio per te vel alium ad hoc ydoneum presentare. Datum ut supra.»

4942 15 août 1332.

Petro, episcopo Mirapiscensi, et Arnaldo de Buxia, clerico Caturcensis diocesis, indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 195 (224), p. c. 989).

«In e. m. (1) Petro, episcopo Mirapiscensi. Datum XVIII kalendas septembris, anno sexto decimo.
In e. m. pro Arnaldo de Buxia, clerico Caturcensis diocesis.»

4943 Avignon, 15 août 1332.

Reginae Franciae ipsius sospitatem corporalem significat eique de devotione ejus erga Ecclesiam gratias agit. (Reg. 116, fol. 219 (248) v°, c. 1118).

«.. *regine Francie.* Ut reginali benivolentie que ipsam de statu nostro reddit solicitam satisfiat, ecce, carissima filia, quod faciente salutis Auctore corporali perfruor sospitate, de tua excellentia quam Deus in prosperitate bona conservet per tempus et longiora tempora idem desiderantes frequenter audire, de zelo sincero quem ad Sanctam Ecclesiam matrem tuam et ad nos et nostros (2) gerit assidue tue excellencie gratias uberes exhibentes, Illum in cujus manu consistunt corda principum deprecamur ut in hoc cor tuum firmet et stabiliat ac conservet tibique Ipse qui nullum bonum irremuneratum consuevit relinquere mercedem habundantem dignetur reddere in retributione justorum. Amen. Gratia Domini Nostri Jesu Christi cor tuum in hiis que sibi sunt placita dirigat et ab adversis protegat et defendat. Amen. Datum Avinione, XVIII kalendas septembris, anno sexto decimo.»

(1) Cf. n. 4669.
(2) Reg. : *nostras.*

4944 20 août 1332.

Leonardo de Verulis testandi facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 204 (233), p. c. 1030).

«In e. m. (1) Leonardo de Verulis — Datum XIII kalendas septembris, anno sextodecimo.»

4945 21 août 1332.

Abrincensi, Lemovicensi et Magalonensi episcopis ad petitionem Alphonsi regis et Beatricis reginae Portugaliae mandat ut ossa Elisabeth, ducissae Britanniae, sororis praedictae reginae, de monasterio de Prieres, ordinis Cisterciensis, Venetensis diocesis, ad regnum Portugaliae transferri faciant. (Reg. 116, fol. 270 (299), c. 1409).

«.. *Abrincensi,* .. *Lemovicensi et* .. *Magalonensi episcopis.* Exhibita nobis pro parte carissimorum in Christo filiorum nostrorum Alfonsi regis et Beatricis regine Portugalie illustrium peticio continebat quod quondam Elizabeth ducissa, uxor dilecti filii nobilis viri Johannis ducis Britannie, soror ejusdem regine olim in partibus illis sicut Domino placuit diem clausit extremum, corpusque ipsius in monasterio de Prieres, ordinis Cisterciensis, Venetensis diocesis, extitit honorabiliter tumulatum. Cum autem rex et regina prefata ossa dicte ducisse ad regnum Portugalie transferri desiderent, ibidem sicut de beneplacito dicte regine processerit tumulanda, nobis humiliter supplicarunt ut transferendi de ipso monasterio ad prefatum regnum Portugalie dicta ossa concedere licentiam dignaremur. Nos itaque dicte supplicationi benignius inclinati, licentiam hujusmodi, dummodo dicte

(1) Cf. n. 4917.

translationi assensus dicti ducis accedat, tenore presentium concedentes fraternitati vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios auctoritate vestra translationem hujusmodi fieri, si, ut prefertur, de voluntate dicti ducis processerit, etiam si prefata ducissa dum viveret apud dictum monasterium suam sepulturam elegerit, faciatis, contradictores etc..., non obstantibus quibusvis constitutionibus et privilegiis apostolicis aut statutis seu consuetudinibus monasterii et ordinis predictorum contrariis per que ipsa translatio posset quovismodo impediri, seu si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum XII kalendas septembris, anno sexto decimo. »

4946 21 août 1332.

Judici majori comitatus Venayssini, de lignis habitatoribus castri Valriaci concedendis ad reparandum dicti castri muros. (Reg. 116, fol. 278 (307), c. 1445).

« *Stephano de Dyosidio, judici majori comitatus Venayssini.* Petitio dilectorum filiorum hominum et universitatis castri nostri de Valriaco infra comitatum Venayssini, cujus judex esse dinosceris, consistentis nobis exhibita continebat quod, cum ipsi muros castri predicti sicut asseritur pro magna parte destructos ad ipsius castri fortificationem et tutiorem custodiam reparare intendunt, eademque reparatio absque grandium expensarum onere nequeat consumari, eisdem recipiendi de nemore nostro Sancti Marcelli quod est infra territorium dicti castri necessaria ligna frondium arborum tam sicca quam viridia pro quoquenda calce ad opus reparationis hujusmodi oportuna concedere licentiam dignaremur. Nos itaque de premissis noticiam non habentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus si hoc utilitati dicti castri expedire videris, licentiam hujusmodi eis concedere non omittas, proviso tamen quod dolo et fraude in hac parte cessantibus, non convertantur in usus alios ligna frondium hujusmodi nec sub illorum colore integre dicti nemoris arbores incidantur vel alias enormiter destruantur. Datum XII kalendas septembris, anno sexto decimo. »

4947 21 août 1332.

Philippo de Sangineto ut de Petro Guaberti de Aquis, subvigerio curiae regiae Arelatensis, qui quondam Bertrandum de Ventabrenno, laicum Aquensis diocesis, in ecclesia Sancti Luciani Arelatensis vulneravit, justitiam fieri permittat nec tales officiales toleret. (Reg. 116, fol. 281 (310), c. 1464).

« *Nobili viro Philippo de Sangineto, senescallo Provincie.* Ad nostri apostolatus auditum perduxit infausti rumoris assertio hiis diebus quod Petrus Guaberti de Aquis, subvigerius curie regie Arelatensis, non attenta reverentia quam sacrosanctis ecclesiis jubet utriusque juris sanxio exhiberi, nec metuens ecclesiarum publice ledere libertatem, quondam Petrum Bertrandi de Ventabrenno laicum Aquensis diocesis ad ecclesiam Sancti Luciani Arelatensis pro tuitione sue confugientem persone persecutus cum nonnullis suis complicibus crudeliter usque intra dictam ecclesiam extitit, ac ipsum infra ecclesiam ipsam subtus quoddam altare adeo graviter et atrociter (1) vulneravit eum violenter de eadem ecclesia extrahendo quod eodem die post intervallum modici temporis expiravit. Et cum per curiam ecclesiasticam juxta statuta canonum ratione tanti facinoris proceditur contra eum, ipse se jactans seu jactari faciens sicut fertur sic pauperem existere quod nichil de bonis suis pro prestanda satisfactione alicui poterit reperiri, per modum minarum asserit se de sequela esse illius predonis publici Raymundi Calvini per quem tot varia nefanda scelera in Provincia commissa sicut (2) hactenus et incessanter, sicut habet vulgaris et infesta multorum assertio, committuntur. Cum autem honorem non deceat regium nec tibi quoquomodo expediat talem hominem in officio regio presertim in tali civitate tenere, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attentius sano tibi nichilominus consilio suadentes quatinus, cessante cunctatione qualibet, taliter studeas super hiis providere quod per dictam ecclesiasticam curiam super excessu predicto possit, [sicut] ad ipsam pertinet, exhiberi justicia et tales officiales qui bone conver-

(1) Reg. : *et atrociter* bis.
(2) *Sic.* Corr. : *sunt.* ?

sationis non existerent et solvendo (*sic*) non essent si delinquerent nequaquam in officiis tolerentur. Datum XII kalendas septembris, anno sexto decimo. »

4948 26 août 1332.

Raymundo de Chameraco de quibusdam libris quos ex bonis quondam Garciae episcopi Aquensis in Vasconia dispositioni apostolicae reservatis provenientes pontifici ipsi assignavit, quittat. (Reg. 116, fol. 360 (389) v°, c. 1796).

« *Magistro Raymundo de Chameraco, canonico Massiliensi, Apostolice Sedis nuncio.* Cum libros infrascriptos inter bona mobilia bone memorie Garcie, episcopi Aquensis in Vasconia, dispositioni nostre certis causis rationabilibus reservata repertos ac per te de mandato nostro receptos, videlicet « Speculum juris, Summam Ostiensem, Librum de proprietatibus rerum, Codicem digestum novum, Inforciatum volumen, Concordantias ac librum Institutionum » nobis dudum feceris assignari, nos tuis volentes super hiis indempnitatibus precavere te ac omnia bona tua de predictis libris nobis ut premittitur assignatis absolvimus tenore presentium et quitamus, tibi nichilominus concedentes ut nulli tenearis de illis imposterum respondere, nec illorum occasione tu vel predicta bona tua possitis quomodolibet molestari. Datum VII kalendas septembris, anno sexto decimo. »

4949 30 août 1332.

Guidoni Mannorsin ejusque uxori indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 207 (236) v°, c. 1045).

« *Guidoni Mannorsin, militi, domino de Boonuyo, et Johanne ejus uxori, Carnotensis diocesis.* Provenit ex vestrorum — Datum III kalendas septembris, anno sexto decimo.

In e. m. Oliverio, domino de Cliconio, militi, et Isabelli ejus uxori, diocesis Nannectensis. Datum ut supra.

In e. m. Petro, comiti Drocarum. Datum III kalendas septembris anno sexto decimo.

In e. m. nobilibus Johanni de Britannia, comiti, et Johanne comitisse Montisfortis. Datum ut supra. »

4950 31 août 1332.

Bernardo de Cannassio indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 207 (236) v°, p. c. 1045).

« In e. m. (1) Bernardo de Cannassio, familiari nostro. Datum II kalendas septembris, anno sexto decimo.

In e. m. nobili viro Olivario, domino de Uceyo, et Johanne ejus uxori, Turonensis diocesis. Datum ut supra. »

4951 31 août 1332.

Bernardo de Cannassio testandi facultatem concedit. (Reg. 116, fol. 204 (233), p. c. 1030).

« In e. m. (2) Bernardo de Cannassio, archidiacono de Lomberio in ecclesia Albiensi. Datum secundo kalendas septembris, anno sexto decimo. »

4952 31 août 1332.

Aymoni comiti Sabaudiae de benivolentia regratiatur eique nuntium suum de quibusdam responsurum remittit. (Reg. 116, fol. 281 (310), c. 1462).

« *Aymoni, comiti Sabaudie.* Leta manu recepimus — Datum II kalendas septembris, anno sexto decimo. »

4953 3 septembre 1332.

Guillelmo de Orto ut curam monasterii Menacensis ordinis sancti Benedicti, Claromontensis diocesis, assumat donec Petrus abbas de certis redditibus prioratus de Bellanavia, ejusdem ordinis, Bituricensis diocesis, Camerae debitis satisfecerit eumdemque abbatem ad comparendum personaliter citet. (Reg. 116, fol. 209 (238) v°, c. 1054).

« *Guillelmo de Orto, abbati ecclesie Claromontensis, Apostolice Sedis nuncio.* Dudum dilectus filius Johannes Bertrandi, canonicus Bituricensis, collector fructuum beneficiorum ecclesiasticorum apud Sedem Apostolicam vacantium usque ad certum

(1) Cf. n. 4949.
(2) Cf. n. 4917.

tempus reservatorum sub certis modis et formis pro Camere nostre necessitatibus utilius relevandis in civitate et diocesi Bituricensi auctoritate apostolica deputatus, veridica relatione percepto quod Petrus, abbas monasterii Menacensis, ordinis sancti Benedicti, Claromontensis diocesis, fructus, redditus et proventus prioratus de Bellanavia, ordinis predicti, Bituricensis diocesis, pro certo tempore quo apud dictam Sedem vacaverat pertinentes ad ipsam Cameram receperat, et pro illis in certis pecunie summis eidem Camere tenebatur, eundem abbatem perhemptorie monuit et requisivit instanter ut infra certum terminum tunc per eum sibi prefixum super hoc predicte Camere ac eidem collectori nomine ipsius de hiis in quibus pro premissis tenebatur debitam satisfactionem impendere procuraret. Quod cum idem abbas facere contumaciter recusaret, fuit per dictum collectorem excommunicationis sententia canonice innodatus, quam deducens dampnabiliter in contemptum per triennium et amplius animo indurato in sue salutis anime periculum plurimorumque scandalum sustinuit, de predictis satisfactionem exhibere non curans. Deinde vero premissis expositis coram nobis, nos prefato collectori per nostras certi tenoris litteras dedisse meminimus in mandatis ut prefatum abbatem ex superabundanti moneret et requireret iterum ut de predictis infra certum terminum sibi prefigendum super hoc dicte Camere satisfaceret et rediret humiliter ad Ecclesie unitatem, alioquin eum citaret perhemptorie ut infra certum alium terminum competentem sibi similiter prefigendum se apostolico conspectui personaliter presentaret, super predictis responsurus, facturus et recepturus quod justicia suaderet. Cum autem abbas ipse monitioni et requisitioni ac etiam citationi predictis factis per eundem collectorem juxta predictarum litterarum nostrarum seriem obedire non curaverit cum effectu, nos nolentes tales contumacias et inobedientias absque debita correctione relinquere, ne perniciosum trahantur ab aliis in exemplum, memoratum abbatem ab administratione spiritualium et temporalium ejusdem monasterii tenore presentium duximus suspendendum. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus per te vel alium seu alios tam in eodem monasterio quam alibi ubi expedire videris satisfactionem predictam publicare procurans, administrationem bonorum predictorum gerere fideliter quousque a nobis aliud in mandatis super hoc receperis non postponas, faciens de bonis ejusdem abbatis de hiis in quibus pro fructibus supradictis tenetur memorate ecclesie debitam et integram satisfactionem impendi. Rursus volumus quod supradictum abbatem cites perhemptorie ut infra certum aliquem terminum competentem per te prefigendum eidem coram nobis studeat personaliter comparere, super dictis inobedientiis et contumaciis responsurus, facturus et recepturus quod justicia sua debebit, eidem sub excommunicationis et privationis abbatie dicti monasterii penis quas ipsum, si mandato presenti parere contempserit, incurrere volumus ipso facto, districtius injungendo ut in termino per te sibi prefigendo personaliter compareat coram nobis nec se de administratione predicta per se vel alium seu alios directe aut indirecte presumat intromittere quoquo modo quousque per nos se restitui meruerit ad eandem. Datum III nonas septembris, anno sexto decimo.»

4954 3 septembre 1332.

Johanni de Borbonio indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 116, fol. 207 (236) v°, p. c. 1045).

«In e. m. (1) Johanni de Borbonio, cantori ecclesie Eduensis. Datum III nonas septembris, anno sexto decimo.

In e. m. nobili viro Petro de Chanayo, militi, et Crispine ejus uxori, Andegavensis diocesis. Datum ut supra.»

4955 S.d. [1331-1332].

Petro de Landa quod obsequiis Guillelmi de Sancta Maura, decani ecclesiae Turonensis, regis Franciae cancellarii, insistens, vel in Romana curia moram trahens fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad triennium percipere possit, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (Reg. 116, fol. 192 (221), c. 979).

«*Petro de Landa, canonico Suessionensi.* Vite ac morum — Datum.

Judicibus. Dilects filiiis.. Sancte Genovefe Parisiensis et.. Sancti Marchi Suessionensis monasteriorum abbatibus ac Petro de Moenaco, canonico Caturcensi. Mandamus quatinus vos — Datum.»

(1) Cf. n. 4949.

4956 S.d. (1).

Regi Franciae de convalescencia a reumate congaudet. (Reg. 116, fol. 223 (252) v°, c. 1156).

« *Regi Francie.* Gravatum, fili carissime, te hiis diebus audivimus reumate sed et Illius faciente misericordia qui vulnerat et medetur, te restitutum pristine sanitati intelleximus, de quo Illi gratias uberes referentes, Ipsum suppliciter exoramus ut sic temporale regnum quod obtines tibi concedat salubriter regere quod ad regna merearis sempiterna et gloriam cum te vocandum duxerit pervenire. Et quia supponimus discrasiam prefatam profuturam corpori, providentiam regiam deprecamur eidem nichilominus sano consilio suadentes ut spiritus regius expers utilitatis non remeant (*sic*) sed mundiorem per effectum se quoad preterita gaudeat ac cautiorem (1) se redditum senciat ad futura. Speramus equidem quod si de spiritus salute, fili carissime, reddaris solicitus, de salute corpori et spiritui Qui dat salutem regibus providebit. Gratia Domini cor regium in agendis dirigat et protegat ab adversis. Datum. »

(1) Cet acte et le suivant sont compris, dans le registre, entre des actes du 13 novembre 1331 (c. 1158, n. 4718) et 29 avril 1332 (c. 1155, n. 4848).

4957 S.d.

Reginae Franciae de ejusdem regis convalescentia. (Reg. 116, fol. 224 (253), c. 1157).

« ..*regine Francie.* Insinuavit nobis ad — Datum. »

(1) Reg. : *cautionem.*

Imp. F. BOISSEAU, Rue du Taur, 34 - TOULOUSE (France)
Dépôt légal, 2e trimestre 1967

BIBLIOTHÈQUE DES ÉCOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES ET DE ROME
PUBLIÉE
SOUS LES AUSPICES DU MINISTÈRE DE L'ÉDUCATION NATIONALE

LETTRES SECRÈTES ET CURIALES

DU PAPE

JEAN XXII

(1316-1334)

RELATIVES A LA FRANCE

PUBLIÉES OU ANALYSÉES D'APRÈS LES REGISTRES DU VATICAN

PAR

† AUGUSTE COULON ET S. CLÉMENCET
ANCIENS MEMBRES DE L'ÉCOLE FRANÇAISE DE ROME

DIXIÈME FASCICULE

Ouvrage publié avec le concours du Centre National de la Recherche Scientifique

PARIS
ÉDITIONS E. DE BOCCARD
11, rue de Médicis, 11

1972

LIBRARY

JOHANNIS XXII LITTERARUM SECRETARUM

ANNUS DECIMUS SEPTIMUS (1)

4958 5 septembre 1332.

Guigoni dalfino Viennensi ut pecuniam et bona ablata nunciis Opizonis et Nicolai marchionum Estensium cum transirent per Dalphinatum restitui faciat. (Reg. 117, fol. 58 v°, c. 322).

« *Guigoni, dalfino Viennensi, vel ejus consilio.* Non sine magna displicencia percepimus quod cum nuper, secunda die videlicet presentis mensis septembris, dilecti filii Dasi Dalfinus judex et Bartholomeus dictus Nigrassolus, cives Ferrarienses, ambaxiatores et nuncii dilectorum filiorum nobilium virorum Opizonis et Nicolai marchionum Estensium, mandatorum nostrorum in civitate nostra Ferrariensi, ad Sedem Apostolicam pro certis arduis prefatorum marchionum negociis venientes per terras tue dicioni subjectas transirent, quidam homines subditi tui, quorum principalium scilicet nomina continet cedula presentibus interclusa, eosdem ambaxiatores et nuncios prope Romanum prosequentes versus Valenciam iter suum ceperunt et etiam captivarunt, sex equos et circa ducentos quinquaginta florenos auri, necnon quoddam jocale argenti dentatum cum linguis serpentinis magni florenorum valoris contra venenum et alia bona que secum habebant arripientes violenter ab ipsis, quos cum bonis predictis adhuc detinent miserabiliter captivatos. Cum autem talia in divine majestatis contumeliam et offensam non modicam dicte Sedis tuique detractionem honoris et terrarum tuarum predictarum periculum cedere dinoscuntur, nobilitatem tuam rogamus et in Domino attencius exhortamur quatinus ambaxiatores et nuncios supradictos cum predictis bonis suis et aliis ab eis captis sic celeriter et libere pristine restitui facias libertati quod premissa detestabilia non tibi, fili, placuisse sed displicuisse pocius pretendat eorum expedicio liberalis, nosque proinde tue nobilitatis commendare prudenciam merito valeamus. Datum nonis septembris, anno decimo septimo. »

4959 5 septembre 1332.

Ademaro de Pictavia ut pro praedictis apud eundem Guigonem partes suas interponat. (Reg. 117, fol. 58 v°, c. 323).

« *Nobili viro Ademaro de Pictavia.* Displicenter nimis hiis — Datum ut supra.

In e. m. Ademaro, episcopo Valentinensi.

In e. m. Guillelmo, episcopo Gratianopolitano. Datum ut supra. »

4960 Avignon, 7 septembre 1332.

De consecratione Johannis, episcopi Abrincensis. (Reg. 117, fol,. 83 v°, c. 430).

« *Universis presentes litteras inspecturis.* Dudum ecclesia Abrincensi regimine vacante pastoris,

(1) les lettres secrètes de Jean XXII pour les dix-septième et dix-huitième années du pontificat (5 septembre 1332-4 septembre 1334) sont enregistrées dans le Registre Vatican 117, qui ne contient aucune bulle des deux derniers mois du pontificat.

nos ad personam venerabilis fratris nostri Johannis episcopi Abrincensis tunc apud Sedem Apostolicam constituti nostre considerationis dirigentes intuitum, ipsum tunc canonicum et camerarium ecclesie Sancti Martini Turonensis de fratrum nostrorum consilio ecclesie Abrincensi in episcopum prefecimus et pastorem, ac deinde sibi per venerabilem fratrem nostrum Gaucelmum episcopum Albanensem apud dictam Sedem munus fecimus consecrationis impendi. Sane cum, sicut accepimus, in dubium ab aliquibus quo tempore dictus episcopus Abrincensis munus predictum receperit revocetur, nos dubium hujusmodi, ne cautela probationis quibusvis in hac parte deficiat, removere volentes, tenore presentium asserimus et testamur quod prefatus Johannes episcopus Abrincensis munus consecrationis hujusmodi dominica que fuit quarta decima dies mensis aprilis, pontificatus nostri anno quinto decimo, ab eodem episcopo Albanensi de mandato nostro eidem facto vive vocis oraculo illud apud dictam Sedem impendente recepit. Datum Avinione, VII idus septembris, anno decimo septimo. »

4961 10 septembre 1332.

Amedaeum de Pictavia iterum rogat ut Ricavum de Gordis et Johannem Triacha, mercatores Avinionenses, a quadam obligatione ipsis imposita liberare faciat. (Reg. 117, fol. 58 v°, c. 324; — Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 597, p. 3276).

« *Nobili viro Amedeo de Pictavia, domino de Taulinhano, familiari nostro.* Scripsisse dudum nobilitati tue meminimus ut dilectos filios Ricavum de Gordis et Johannem Triacha, cives et mercatores Avinionenses, quos pro certis nostris et Camere nostre negociis per terras tuas tunc transeuntes gentes tue obligari juramento interposito fecerunt ut infra festum nativitatis beati Johannis Baptiste proxime preteritum se coram te sub pena ducentorum florenorum auri presentare curarent, ab obligatione hujusmodi penitus liberares. Sane cum liberationem nondum fecisse dicaris predictam, nosque velimus dictos mercatores, qui sicut prefertur transeuntes tunc per dictas terras tuas nostra et Camere predicte gerebant negocia, remanere ab hiis liberos totaliter et immunes, nobilitatem eandem rogamus et hortamur attencius quatinus per litteras tuas vel instrumentum publicum eosdem ab obligatione predicta omnino liberare procures, nobis litteras vel instrumentum hujusmodi per exhibitorem presentium nichilominus transmissurus, ac eciam provisurus quod Ricavo, mercatori predicto, cum per terras predictas pannos conducendo pro eadem Camera transierit, impedimenta de cetero a tuis gentibus non prestentur. Datum IIII idus septembris, anno decimo septimo. »

4962 [10 septembre 1332] (1).

Ademaro de Rossilione mandet ut ab quibusdam obligationibus Ricavum de Gordis, mercatorem, liberari faciat. (Reg. 117, fol. 60 v°, c. 337; — Fayen, *op. cit.*, n. 3277, p. 597).

« *Ademaro, domino de Rossilione.* Dudum gentes tue dilectum filium Ricavum de Gordis, civem [et] mercatorem Avinionensem cum pannis per eum in partibus Flandrie et Brabancie ad opus et usum familiarium nostrorum emptis nomine Camere nostre cum eisdem pannis quos conduci faciebat ad eandem Cameram per terras tuas transeuntem arrestaverunt, ipsumque postmodum, receptis ab eo et dilecto filio Helia de Buferno serviente nostrorum armorum obligationibus de veniendo ad castrum tuum de Rossilione quandocunque requirerentur et satisfaciendo de hiis de quibus dictus mercator reperiretur in tuo dominio deliquisse, abire cum pannis permiserunt predictis. Sane cum prefatus mercator tunc nostra et Camere nostre agens negocia mercaturas alias nequaquam in eodem dominio exercendo nec alias delinqueret in eodem, et propterea nos velimus eosdem mercatorem et servientem ab obligationibus hujusmodi liberari, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attentius quatinus eos liberari faciens ab obligationibus supradictis, nobis tuas cures litteras super hoc per exhibitorem presentium destinare, provisurus nichilominus quod eidem mercatori, cum per terras predictas pannos pro eadem Camera conducendo transiverit, impedimenta de cetero

(1) Cette date, incomplète dans le manuscrit, a été rétablie par analogie avec l'acte précédent.

a tuis gentibus non prestentur. Datum IIII idus [septembris], anno decimo septimo.»

4963 Avignon, 10 septembre 1332.

Guillelmo de Rocolis, quod fructus praebendae quam in ecclesia Aniciensi obtinet usque ad triennium in absentia percipere possit. (Reg. 117, fol. 92, c. 466).

« *Guillelmo de Rocolis de Castris, canonico Aniciensi.* Ex tue probitatis — Datum Avinione, IIII idus septembris, anno decimo septimo.

Judicibus. Mandamus quatinus vos — Datum ut supra.»

4964 12 septembre 1332.

Ricavo de Gorda ut pro pannis emendis in Flandriae et Brabantiae partibus pecunias a mercatoribus societatis Bardorum in dictis partibus seu Parisius commorantibus recipiat. (Reg. 117, fol. 52, c. 297; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 598, n. 3279).

« *Dilecto filio Ricardo* (sic) *de Gorda, civi et mercatori Avinionensi.* Cum te pro — Datum Avinione, II idus septembris, anno decimo septimo.»

4965 Avignon, 12 septembre 1332.

Guillelmo archiepiscopo Tholosano quod tabellionatus officium Bernardo de Sparrossia clerico suae diocesis concedere possit. (Reg. 117, fol. 74, c. 399).

« *Guillelmo, archiepiscopo Tholosano.* Apostolice Sedis providencia — Datum Avinione, II idus septembris, anno decimo septimo.»

4966 Avignon, 12 septembre 1332.

Guillelmo, abbati monasterii Grandissilvae indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 89, c. 453).

« *Guillelmo, abbati monasterii Grandissilve, ordinis Cisterciensis, Tholosane diocesis.* Sincere devotionis affectus — Datum Avinione, II idus septembris, anno decimo septimo.»

4967 13 septembre 1332.

Hugoni Borias tabellionatus officium concedit. (Reg. 117, fol. 74, c. 400).

« *Hugoni Borias, clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto, Ruthenensis diocesis.* Ne contractuum memoria — Datum idibus septembris, anno decimo septimo.»

4968 Avignon, 16 septembre 1332.

Guidoni de Ubertinis facultatem percipiendi fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad triennium concedit. (Reg. 117, fol. 92, v° p. c. 466).

« In e. m. (1) alie due similes, videlicet gratiosa et executoria usque ad triennium verbis competentibus mutatis pro dilecto filio Guidone de Ubertinis, canonico Turonensi. Datum Avinione, XVI kalendas octobris, anno decimo septimo».

4969 Avignon, 16 septembre 1332.

Archiepiscopo Colocensi mandat ut de absolutionis beneficio quibusdam fratribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, ratione electionis sepulturae excommunicationis sententiam incurrentibus, provideat. (Reg. 117, fol. 61 v°, c. 345).

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Colocensi.* Pro parte dilectorum filiorum Guillelmi de Bellama, fratris Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, olim locum tenentis dilecti filii .. magistri ejusdem Hospitalis in conventu Rodi, et ejusdem conventus coram nobis proposita peticio continebat quod de usu, more, consuetudine, observantia, statuto

(1) Cf. n. 4963.

et institutione dicti Hospitalis a quadraginta quinquaginta et sexaginta annis, et per tantum tempus quod memoria hominum in contrarium non existit, observatum fuit in ordine Hospitalis predicti [quod] hii in manibus recipientium eos, absque tamen inductione quacunque, sponte, per votum, juramentum, interpositionem fidei vel aliam promissionem, inter alia jurasse noscuntur quod in ultimis vite sue in cimiterio ejusdem Hospitalis eligerent sepulturam. Cum igitur ab aliquibus asseratur quod hii qui juramenta receperunt hujusmodi excommunicationis sententiam a jure contra inductores sepulturas eligentium promulgatam incurrisse noscuntur, pro parte dictorum Guillelmi et conventus pro se ac nomine aliorum recipientium predictorum fuit nobis humiliter supplicatum ut eis providere de absolutionis beneficio a dicta excommunicationis sentencia, si quam propterea incurrerant, dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus recipientibus predictis commorantibus in partibus transmarinis qui a predicta excommunicationis sentencia pecierint humiliter se absolvi, de hujusmodi absolutionis beneficio juxta formam Ecclesie auctoritate nostra hac vice studeas providere, injuncta eis et eorum cuilibet propter hoc sicut animarum ipsorum saluti expedire videris penitencia salutari; per hoc autem ejusdem Hospitalis et aliorum quorumcunque juribus non intendimus in aliquo derogare. Datum Avinione, XVI kalendas octobris, anno decimo septimo.»

4970 Avignon, 16 septembre 1332.

Raymundo de Chameraco ut recipiat fidejussores a Faydito Guirandonis, archipresbitero Sarlatensi, pro pecuniis ab eo in provincia Burdegalensi recollectis et Camerae certo modo solvendis. (Reg. 117, fol. 83 v°, c. 431).

«*Magistro Raymundo de Chameraco, canonico Massiliensi, Apostolice Sedis nuncio.* Dudum Fayditus Guirandonis, archipresbiter Sarlatensis, tam subsidii per nonnullos prelatos et personas ecclesiasticas ac capitula et conventus civitatis et diocesis ac provincie Burdegalensis nobis et Ecclesie Romane pro nostris et ejusdem Ecclesie necessitatibus pro repressione hereticorum et rebellium in partibus Italie contra Deum ac nos et Ecclesiam memoratam fidemque catholicam crudeliter sevientium, et diversis causis aliis incumbentibus utilius relevandis oblati, quam fructuum beneficiorum ecclesiasticorum que in eisdem civitate et diocesi ac provincia consistentia apud Sedem Apostolicam certis temporibus vacaverant seu vacabant, per nos sub certis modis et formis reservatorum et nostre Camere applicatorum ad ipsius onera facilius supportanda, quam etiam quorumdam aliorum proventuum ad Cameram ipsam spectantium deputatus collector, de pecuniis subsidii, fructuum et proventuum predictorum per ipsum vel subcollectores ab eo deputatos in eisdem civitate et diocesi ac provincia collectis et receptis infrascriptas pecuniarum summas, videlicet quinque milia nongentas octuaginta sex libras undecim solidos sex denarios et obolum turonensium parvorum, computando valosium pro duobus denariis et obolo turonensium parvorum, et ex alia parte quingentos septuaginta quinque florenos auri de Florencia, se debere predicte Camere recognovit, tam summas easdem quam quicquid aliud idem Fayditus per se vel subcollectores suos reperiretur habuisse et collegisse de predictis vel aliquo predictorum, de quibus legitimas non posuisset in eadem Camera rationes, solvere prelibate Camere infra certum tunc instantem nunc vero elapsum terminum sub excommunicationis sententia in eum canonice per venerabilem fratrem Gasbertum, archiepiscopum Arelatensem camerarium nostrum, promulgata si in solutione hujusmodi dicto termino facienda deficeret, promittendo seque solemniter obligando, sicut in instrumento publico inde manu dilecti filii Johannis de Podio Audemari, clerici Caturcensis diocesis publici auctoritate apostolica notarii, confecto plenius continetur. Subsequenter autem dicto adveniente termino, ac eodem Faydito de summis predictis nequaquam tunc sicut nec adhuc satisfaciente Camere supradicte, quia dictam excommunicationis sententiam propterea incurrerat fuit excommunicatus publice nunciatus, fructusque beneficiorum suorum ecclesiasticorum extiterunt pro parte dicte Camere sequestrati. Verum, sicut ejusdem Fayditi peticio coram nobis exhibita continebat, quod ipse, non valens de predictis integraliter satisfacere quoad presens, predictas summas expressas superius que

ad florenos auri legitima computatione facta reducte de ipsius Fayditi consensu summam quinque milium ducentorum septuaginta florenorum auri de Florencia ac novem solidorum et oboli turonensium parvorum faciunt, singulis de quatuor milibus sexcentis nonaginta quinque florenis auri, ad quos dicte minute turonensium parvorum pecunie preter novem solidos et obolum sunt reducte, pro viginti quinque solidis sex denariis turonensium parvorum computatis, predicte Camere modo qui sequitur solvere, videlicet mille florenos auri hinc ad instans festum Nativitatis dominice et ex tunc continue singulis annis subsequentibus in eodem festo quingentos florenos auri, et in nono anno ex tunc post dictos annos subsequente, quo erit ultimus solutionis hujusmodi terminus, ducentos septuaginta florenos auri novem solidos et obolum turonensium parvorum, et propter hoc se et bona sua efficaciter obligare dareque fidejussores super hoc sufficientes et ydoneos sit paratus, fecit nobis humiliter supplicari ut sibi terminos concedere hujusmodi dictosque fidejussores et eorum promissionem et obligationem recipi, ac eidem relaxatis sibi dictorum suorum beneficiorum fructibus provideri de absolutionis beneficio ab eadem excommunicationis sentencia mandaremus. Nos itaque supplicationi hujusmodi benignius inclinati, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamas quatinus, recepta per te nostro nomine recognitione a dicto Faydito quod, reductis dictis quinque milibus nongentis octuaginta sex libris undecim solidis sex denariis et obolo turonensium parvorum ad florenos auri de Florencia ut predicitur, in dicta summa quinque milium ducentorum septuaginta florenorum auri novem solidorum et oboli turonensium parvorum nobis et eidem Camere tenetur et est ex causis predictis obligatus efficaciter et astrictus, si ipse tibi fidejussores super predictis sufficientes et ydoneos duxerit offerendos, ac ipse Fayditus dictique fidejussores et eorum quilibet principaliter et in solidum pro dictis quinque milibus ducentis septuaginta florenis auri novem solidis et obolo turonensium parvorum usque ad satisfactionem integram eidem Camere in supradictis terminis, sicut distinctum est superius, exsolvendis, necnon pro expensis et dampnis que ratione solutionum predictarum si dictis terminis non fierent forsitan sustinere predictam Cameram quovis modo contingeret reservandis et emendandis, se suosque successores et heredes ac bona sua omnia presencia et futura sub cohertione, juridictione, compultione ac submissione Camere nostre predicte ac auditoris sive vice auditoris causarum ipsius, necnon et aliarum quarumcumque curiarum ecclesiasticarum et secularium quas dicta Camera voluerit eligere, efficaciter obligentur, expresse renunciando exceptioni doli, mali fori, loci et in factum actioni, errori calculi ac rei et conventionis non sic habitorum et non sic gestorum, et de duobus dietis in consilio generali et felicis recordationis Bonifatii pape VIII[1] predecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad judicium evocetur, et quibuslibet aliis constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus super hoc editis, et beneficio restitutionis in integrum ac omnibus litteris, indulgenciis et graciis apostolicis impetratis et impetrandis, conventioni judicum et locorum, omni juris auxilio canonici et civilis, contradictioni litterarum apostolicarum, epistole divi Adriani, beneficio cedendarum et dividendarum actionum, et autenticis « Presente » et « Hoc ita », ac exeptioni de duobus aut pluribus reis debendis et de primo conveniendo principalem quam fidejussorem, necnon omnibus aliis exceptionibus per quas contra predicta vel aliquot predictorum possent ipsi vel ipsorum aliqui imposterum se defendere vel tueri, ac hiis et aliis renuntiationibus et cautelis adhibitis oportunis, in se sponte recipiendo nichilominus excommunicationis sentenciam per te in eosdem Fayditum et fidejussores ac eorum quemlibet si defecerint in premissis vel aliquo premissorum auctoritate apostolica proferendam, fidejussores eosdem nomine dicte Camere ac obligationem tam predicti Fayditi quam fidejussorum ipsorum sub modis et formis predictis et aliis de quibus tibi videbitur faciendam solenniter recipere, dictamque sentenciam in eos et quemlibet eorum in solidum si eos deficere contingeret in predictis vel aliquo predictorum proferre canonice non ommittas, inde confici faciens publicum instrumentum tuo sigillo munitum eidem Camere fideliter destinandum. Demum vero receptis recognitione fidejussoribus et obligatione predictis dictoque contractu coram te soleniter celebrato, eundem Fayditum ab eadem excommunicationis sentencia [quam] antea non solvendo dictas summas in predicto termino prout superius narratur incurrit

juxta formam Ecclesie absolvendi fructusque beneficiorum eidem Faydito relaxandi tibi plenam concedimus tenore presentium facultatem. Ceterum volumus et nostre intentionis existit quod recognitioni et obligationi factis primo super predictis per prefatum Fayditum, nisi dumtaxat quoad solutionis terminum ut predicitur jam elapsum et (*sic*) predictus Fayditus predictam quinque milium nongentarum octuaginta sex librarum undecim solidorum sex denariorum et oboli turonensium parvorum summam in florenis et in terminis sicut superius expressum est teneatur exsolvere per recognitionem et obligationem hujusmodi nullatenus derogetur, sed quoad illa omnia in sua remaneant firmitate, ita quod de hiis de quibus per supradictum Fayditum vel fidejussores aut eorum aliquem dicte Camere satisfactum extiterit in hac parte, sint ipsi omnes et singuli quiti, liberi et immunes. Datum Avinione, XVI kalendas octobris, anno decimo septimo. »

4971 16 septembre 1332.

Eduardo, comiti Barensi, ut episcopum et ecclesiam Tullenses molestare desistat. (Reg. 117, fol. 123 v°, c. 623 ; — Sauerland, *Quellen zur lothringischen...*, I, n. 678, p. 306).

« *Eduardo, comiti Barensi.* Sua nobis venerabilis frater noster Thomas, episcopus Tullensis, insinuatione monstravit quod tu, fili, pretextu cujusdam compositionis que inter quosdam predecessores tuos et episcopum tunc Tullensem olim centum quadraginta anni sunt elapsi facta fuisse dicitur, in castro de Luberduno, Tullensis diocesis, ad eundem episcopum et ecclesiam Tullensem pleno jure spectanti, jus receptionis tempore guerrarum tuarum asserens te habere, prefatos episcopum et ecclesiam multipliciter satagis molestare. Et licet memoratus episcopus asserens ex eo quia consensus capituli ecclesie predicte Tullensis super eadem compositione nullatenus intervenit, et quibusdam rationibus aliis [se] non tenere (*sic*), teque vel predecessores tuos jure predicto quod nunc de novo vendicare niteris a longis retro temporibus usos non fuisse nec questionem movisse aut fecisse aliquam super hoc mentionem, offerat et obtulerit juri seu sapientum virorum eligendorum communiter arbitrio velle stare, tu tamen id recusans recipere nisi fieret in hac parte cognitio per judicium laicorum, aggravare contra prefatos episcopum et ecclesiam non desinis manum tuam. Cum autem saluti anime tue non expediat Ecclesie jura usurpare indebite, quam velut matrem honore teneris congruo prosequi ac in suis juribus et libertatibus defendere ut benedictionis filius et tueri, nobilitatem tuam rogamus attencius et in Domino exhortamur quatinus a molestationibus predictis desistens, super hiis stare velis consilio et arbitrio eligendorum hinc inde comuniter sapientum. Sic enim juri, honori et saluti tuis consuletur, ut credimus, et ab injuriis Ecclesie abstinebis. Datum XVI kalendas octobris, anno decimo septimo. »

4972 17 septembre 1332.

Guillelmo electo Parisiensi tempus consecrationem recipiendi usque ad instans festum Resurrectionis dominicae prorogat. (Reg. 117, fol. 74 v°, c. 403).

« *Guillelmo, electo Parisiensi.* Sincere devotionis affectus quem ad nos et Romanam geris Ecclesiam promeretur quod in hiis que sunt favoris et gratie nos tibi promptos gaudeas invenisse. Cum itaque nuper Parisiensi ecclesie tunc vacanti de persona tua nobis et fratribus nostris tuorum exigencia meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficientes te eidem ecclesie in episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, nos tuis supplicationibus inclinati tempus recipiendi munus consecrationis a canonibus diffinitum, infra quod adhuc fore dinosceris, tibi usque ad instans proximum festum Resurectionis dominice auctoritate eadem de speciali gratia prorogamus, tibi nichilominus quod interim beneficia ecclesiastica, etiam si dignitates, personatus vel officia existant et curam habeant animarum, quocumque et qualiacumque fuerint, que tempore promotionis tue ad eandem ecclesiam obtinebas sicut adhuc obtines canonice, una cum episcopatu Parisiensi licite retinere valeas, constitutione quacumque contraria non obstante, de speciali gratia, auctoritate eadem concedentes; proviso quod interim taliter de ipsius ecclesie

administratione provideas quod ipsa in spiritualibus non ledatur nec in temporalibus detrimentum propterea paciatur, quodque beneficia hujusmodi interim in debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura in eis quibus illa imminet nullatenus negligatur. Nulli ergo etc... Datum XV kalendas octobris, anno decimo septimo. »

4973 17 septembre 1332.

Eidem electo Parisiensi ut ad presbyteratus ordinem promoveatur munusque consecrationis a quocumque antistite recipere possit indulget. (Reg. 117, fol. 74 v°, c. 404).

« *Eidem electo* [*Parisiensi*]. Cum nuper ecclesie — Datum ut supra. »

4974 Avignon, 17 septembre 1332.

Andreae de Manso tabellionatus officium concedit. (Reg. 117, fol. 84 v°, c. 432 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 58409).

« *Andree de Manso, clerico Caturcensi, non conjugato nec in sacris ordinibus constituto.* Consuevit interdum Sedis — Datum Avinione, XV kalendas octobris, anno decimo septimo. »

4975 Avignon, 17 septembre 1332.

Petro Danrocha quod fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad triennium percipere possit, quotidianis distributionibus exceptis. (Reg. 117, fol. 92 v°, c. 467).

« *Petro Danrocha, preposito ecclesie Ahentis Monasterii, Lemovicensis diocesis.* Grata tue fidelitatis — Datum Avinione, XV kalendas octobris, anno decimo septimo. »

4976 Avignon, 17 septembre 1332.

Episcopo Lodovensi ac archidiaconis de Amiliano et de Montepensato ut eidem Petro praedictos fructus ministrari faciant. (Reg. 117, fol. 93, p. c. 467).

« *Judicibus : Venerabili fratri episcopo Lodovensi et dilectis filiis .. de Amiliano Ruthenensis ac .. de Montepensato Caturcensis ecclesiarum archidiaconis.* Quocirca discretioni vestre — Datum ut supra. »

4977 Avignon, 22 septembre 1332.

Fortanerio de Gordonio facultatem percipiendi fructus in absentia concedit. (Reg. 117, fol. 92 v°, p. c. 466).

« Item alie due in e. m. (1) pro dilecto filio Fortanerio de Gordonio canonico Ruthenensi. Datum Avinione, X kalendas octobris, anno decimo septimo ».

4978 26 septembre 1332.

Regi Francie ut super ordinatione passagii mature et ordinate provideat. (Reg. 117, fol. 102 v°, c. 499 ; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 605, n. 3292).

« *Philippo, regi Francie illustri.* Sicut de regali memoria non credimus excidisse, dudum per regales nuntios super passagio transmarino nobis pro parte regia certe fuerunt supplicationes oblate, super quibus, cum fratribus nostris deliberatione prehabita diligenti, eisdem respondimus prout oportunum vidimus, ac per eosdem nuntios responsiones ipsas excellentie regie curavimus destinare. Qui, adjuncto ipsis dilecto filio magistro Guidone Baudeti, clerico regio, hiis diebus preteritis ad nostram presentiam redeuntes, exhibita sola littera quadam clausa per quam circumspectio regia ut eisdem nuntiis super hiis que pro parte nobis regia super eodem negotio exponerent, fidem daremus indubiam postulabat, petitiones quasi eedem cum primis, quibusdam declarationibus et quibusdam adjunctis circa illas supplicationibus, fuerunt nobis per dictos nuncios presentate ; super quibus cum fratribus nostris deliberare cepimus sedule et super ipsorum responsione vigilem dili-

(1) Cf. n. 4963.

gentiam adhibere. Sane propter angustiam temporis ac defectum litterarum regiarum oportunarum (1) in tanto negotio sic plene respondere super supplicationibus ipsis nequivimus, nec indicere passagium generale, propter quod dictis nunciis expediens visum fuit ut duo ex ipsis nunciis, scilicet venerabilis frater noster Johannes episcopus Morinensis et prefatus magister Guido clericus regius ad presentiam regiam proficisci deberent, qui hec omnia eidem curarent exponere ut sic posset super hoc salubriter providere. Et quia, dilectissime fili, ex hiis que inordinate inchoantur difficile est quod ordinate aliquid subsequatur, placeat circumspectioni regie in tanto negocio ordinate procedere ac oportunas litteras destinare, fundamento siquidem solido posito super quo edificari (2) solide poterit, ruine quantum noscere sinet humana fragilitas timore sublato. Si autem infirmum aut debile fuerit fundamentum, potest merito super edificio formidari. Constat autem quod presens negotium non est tale quod ad ipsum expediendum credencia cujuscumque nuncii sufficiens debeat reputari. Datum VI kalendas octobris, anno decimo septimo. »

4979 26 septembre 1332.

Regi Franciae ut scribat voluntatem suam de dispensatione facienda super matrimonio inter regem Boemiae et ducem Austriae prolocuto. (Reg. 117, fol. 103, c. 500).

« *Eidem regi.* Sicut multorum fidedignorum littere ac plurium relatio ad nostram noticiam deduxerunt, inter carissimum in Christo filium nostrum J., regem Boemie illustrem, ac primogenitum (3) Frederici quondam ducis Austrie prolocutum inter nuncios est matrimonium et firmatum, quod tamen sine dispensatione Sedis nequit Apostolice licite consumari. Et licet probabiliter supponamus quod illud nec aliud sine regali scientia et beneplacito facere attemptaret, hec tamen ad noticiam volumus deducere regiam ut super hoc nobis velit suum beneplacitum intimare. Actum est tamen inter ipsos, sicut nonnulle littere continebant, quod sive concessa sive negata predicta dispensatio fuerit, pax reformata et liga facta inter prefatum regem ex una parte et regem Ungarie ducesque Austrie ex altera inviolata debeat remanere. Datum ut supra [VI kalendas octobris, anno decimo septimo]. »

(1) Reg. : *opertanarum.*
(2) Reg. : *supeditari.*
(3) *sic.* Corr. : *primogenitam.*

4980 26 septembre 1332.

Regi Franciae de provisione ecclesiae Parisiensis. (Reg. 117, fol. 103, c. 501).

« *Eidem regi.* Litteras super provisione Parisiensis ecclesie recepimus regias quarum utique lectio cor nostrum fratrumque nostrorum quibus directe fuerunt similes ingenti non immerito admiratione replevit. Nunquid vero admiratione dignum quod cor regis catholici Deoque devoti turbatum fuerit de provisione Parisiensis ecclesie de illo facta cui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro eminenti scientia, pro actibus strenuis etiam celsioris loci premium debebatur ? Quique in presentiarum ejusdem regis insistebat obsequiis suisque predecessoribus obsequiosus fuerit triginta annis et amplius fideliter et prudenter, ac qui in diversis officiis ecclesie Parisiensis serviverat sedule et multis annis ipsam quasi rexerat nonnullos ejusdem ecclesie dirigendo presules, immo pocius quasi totum pondus regiminis exceptis hiis que consecrationis exposcunt ministeria sustinendo. Profecto, fili carissime, talis provisio non turbationis materiam sed exultationis pocius tue prudentie debuit ministrare, nec hanc turbationem credimus a corde processisse regio, sed ipsam in corde inmissam fuisse pocius per malos angelos qui non querunt que Dei sunt sed que sua. Hortamur itaque providentiam regiam et rogamus ut premissa recogitans diligenter, de provisione predicta, utique Deo grata, accepta capitulo et universitati Parisiensi plurimum, sicut per capituli litteras et instrumentum publicum nobis constat, expedienti ecclesie ad modum letetur cor regium ipsumque electum et ecclesiam habeat propensius commendatos. Hoc enim sponso acceptum erit (1) universalis Ecclesie silicet (*sic*) Christo univer-

(1) Reg. : *erit in universalis,*

sorum Domino, ut tenemus indubie, cujus contrarium esset sibi displicibile ac exosum. Gratia Domini Nostri Jhesu Christi cor regium in hiis et aliis dirigat et protegat ab adversis. Datum ut supra. »

4981 26 septembre 1332.

Reginae Franciae ut electum Parisiensem, Guillelmum scilicet, commendatum habeat. (Reg. 117, fol. 103 v°, c. 502).

« *Johanne, regine Francie.* Provisionem factam de — Datum ut supra [VI kalendas octobris, anno decimo septimo]. »

4982 S. d. [26 septembre 1332) (1).

Comiti Alenconii, ut cum rege Franciae, fratre suo, se reconciliet. (Reg. 117, fol. 103 v°, c. 503).

« *Karolo, comiti Alenconii.* Fili, desideranter appetimus ut ea que te deceat tibique expediunt facere debeas et a contrariis abstinere. Quod autem ut filio nostro in Christo carissimo Philippo regi Francie illustri germano tuo ac domino exhibere honorem et reverenciam debeas et citra Dei offensam que sibi sunt placita facere, nullus debet sapiens in dubium revocare. Cum igitur instet dies in [quo] dilectus filius Johannes, dux Normannie, dicti regis unigenitus neposque tuus, debet recipere cingulum militare, ad quem multi principes de remotis etiam debent partibus convenire, teque pre cunctis decet aliis dicte militie interesse, magnificenciam tuam rogamus attente tibi nichilominus sano consilio suadentes quatinus omnino dicto festo debeas interesse, teque disponere ad ea faciendum per que regis predicti gratiam uberius assequaris et benivolenciam, [ut] reddaris memor cujusdam sapientis consilio sic dicentis : « Quicquid agas, prudenter agas et respice finem ». Si enim finem diligenter attenderis, reperies ejus graciam tibi oportunam multipliciter ejusque offensam multis dispendiis esse plenam. Alioquin si dicto festo cessante legitimo impedimento non interfueris, scimus quod multis obloquendi ministrabis materiam, vereamurque quod predictos regem et ejus unigenitum contra te periculose nimium irritabis. Considera, fili, quesumus, diligenter quod sine ejus gracia non potes utiliter ad tuitionem regni Sicilie, ad quod es sicut per tuos intelleximus nuntios invitatus, ad tuum onorem regnique commodum proficisci, quodque alia negocia assumere grandia et prosequi non valebis : uno enim verbo iter tuum antequam inchoetur impedire poteris et ceptum etiam revocare. Nos autem, fili, intendimus [regi]scribere ut te nedum ut fratrem sed etiam ut filium dirigere debeat et tractare. Datum. »

(1) Nous avons donné à cet acte la date de l'acte précédent.

4983 26 septembre 1332.

Regi Franciae ut Carolum comitem Alenconii, fratrem suum, qui sine consensu regio e regno exire conceperat, diligat et bene tractet. (Reg. 115, fol. 103 v°, c. 504).

« *Regi Francie.* Quod sine scitu, consensu et beneplacito regio dilectus filius vir egregius Carolus comes Alenconii, germanus tuus, regnum exire conceperit cum admiratione et displicencia nimia littere regie ad nostram noticiam deduxerunt. Sane, fili carissime, cum unicuique cura habenda de proximo sit injuncta, ad excellentiam regiam cura dicti comitis noscitur multipliciter pertinere. Primo quidem quia nondum est proximus sed et frater germanus et unicus et te minor etate, nec solum frater sed et subditus, princeps magnus et unus de paribus dicti regni. Hec profecto, dilectissime fili, singula et multo forcius simul juncta ut curam de ipso habeas te astringant. Que utique si consideranter attenderis, procul dubio ipsum suo non sinens arbitrio currere sed ut recte currat et provide studebis sedulam diligenciam adhibere, quod ut dignetur promptius facere tot vinculis toto cordis affectu adhiciendas duximus preces nostras, quas exaudiendas credimus, quia multa forsan dispendia incurrisset gravia finaliter, ejus non ferens confusionem ac dispendia, illis (*sic*) etiam nonnulla jactura propria studeret regia providencia providere ; sic enim ipsum natura tibi junxit insolubiliter quod ejus honoris seu vituperii immunem esse ac absque eorum participio te non sinit. Datum ut supra ».

4984 27 septembre 1332.

Roberto, regi Siciliae, ut nuntios Raymundi abbatis monasterii Montismajoris benigne recipiens gravamina ab officialibus regiis Provinciae dicto monasterio illata revocari faciat. (Reg. 117, fol. 141 v°, c. 697).

« *Eidem regi* [*Sicilie*]. Cum dilectus filius Raymundus abbas monasterii Montismajoris, ordinis sancti Benedicti, Nemausensis diocesis, super revocatione nonnullorum gravaminum per gentes et officiales regios Provincie prefatis abbati et monasterio, sicut assertur, illatorum dilectos filios Ciprianum de Bastada camerarium et Ramundum de Cheadiraco priorem prioratus Sancti Salvatoris ejusdem monasterii monachos nuntios suos exhibitores presentium providerit ad regalem presenciam destinandos, serenitatem regiam attencius deprecamur quatinus nuntios ipsos benigne recipiens eisdemque audienciam oportunam concedens, sic eos favorabiliter et celeriter pro divina ac nostra et Apostolice Sedis reverencia velit super dictorum revocatione gravaminum que illata prefatis abbati et monasterio indebite fuerint, ut prefertur, aliisque per eos proponendis prout equitatis ratio suasserit (*sic*) expedire quod preter divine retributionis premium dignis in Domino laudibus attollatur. Datum V kalendas octobris, anno decimo septimo. »

4985 Avignon, 29 septembre 1332.

Johanni, episcopo Magalonensi, et Audebertae Thomae, mulieri Nemausensi, indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 89, p. c. 453).

«In e. m. (1) Johanni episcopo Magalonensi. Datum. In e. m. Audeberte Thome, mulieri Nemausensi, verbis competentibus mutatis. Datum Avinione, III kalendas octobris, anno decimo septimo ».

4986 1 octobre 1322.

Guillelmo episcopo Aptensi, inquisitori, quod Petro de Gigundassio, civi Carpentoratensi, de haeresi suspecto et postea absoluto, medietatem ejus bonorum dimittere possit. (Reg. 117, fol. 52, c. 298 ; — Vidal, *Bullaire de l'Inquisition...*, n. 122, p. 182).

(1) Cf. n. 4966.

« *Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Aptensi.* Patris misericordiarum vices gerens in terris Romanus pontifex ad collapsas afflictasque personas pietatis sue libentius intuitum dirigit eis prout placere credit Altissimo miserando. Sane lecta coram nobis tua petitio continebat quod Petrus de Gigundassio civis Carpentoratensis, qui coram te inquisitore heretice pravitatis in Provincia et comitatu Venayssini auctoritate apostolica deputato de crimine heresis per suam confessionem convictus, usque ad valorem decem milium florenorum auri vel circa in bonis tam mobilibus quam immobilibus no citur, sicut a fidedignis tibi datum est intelligi, obtinere, quorum quidem bonorum magnam partem acquisivisse dicitur per usurariam pravitatem. Cum autem ipse, qui de commissis penitens, pravitate heretica penitus abjurata, per te absolutus juxta Ecclesie formam ab excommunicationis sententia quam propter premissa incurrerat extitit et restitutus ejusdem Ecclesie unitati, tam pro restitutionibus de usuris hujusmodi faciendis quam suis alendis liberis multipliciter oneratus lamentabiliter, ut dicta subnectebat petitio, supplicavit ut nos, ad quos bona predicta ratione dicti criminis confiscata pertinent pleno jure, occulos misericordie convertentes ad ipsum de bonis eisdem quinque milia florenorum auri pro Camera nostra facere recipi et residuum bonorum predictorum sibi pro predictis faciendis restitutionibus et alimentandis liberis dare ac concedere de benignitate apostolica dignaremur : nos, premissis pietate paterna pensatis, supplicationi hujusmodi obtentu divine miserationis benignius inclinati, fraternitati tue de qua fiduciam in Domino gerimus specialem faciendi per dilectum filium thesaurarium comitatus nostri Venaissini, infra quem civitas Carpentoratensis consistere noscitur, quinque milia florenorum auri de bonis predictis nomine nostro et dicte Camere recipi solvendorum, prout eidem thesaurario per alias nostras litteras mandamus, residuumque dictorum bonorum prefato Petro tam pro dictis faciendis restitutionibus quam alimentandis suis liberis cum eidem thesaurario tantum super dictis quinque milibus florenorum fuerit [satisfactum] vice et auctoritate nostra donandi et concedendi de gratia speciali plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione, kalendis octobris, anno decimo septimo. »

4987 1 octobre 1332.

Guillelmo de Granholis de eodem, ut dictam medietatem eidem Petro dimittat, aliam vero nomine Camerae recipiat. (Reg. 117, fol. 52 v°, c. 299 ; — Vidal, *op. cit.*, n. 123, p. 183).

« *Guillelmo de Granholis, canonico Bajocensi, comitatus Venayssini nostro et Ecclesie Romane thesaurario.* Venerabilis fratris nostri Guillelmi episcopi Aptensis inquisitoris heretice pravitatis in Provincia et comitatu Venaissini auctoritate apostolica deputati lecta coram nobis petitio continebat etc. usque in finem, verbis competentibus mutatis. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus dictos quinque milia florenos (*sic*) auri modo qui sequitur solvendorum, statim medietatem videlicet et aliam medietatem hinc ad unum annum, datis tibi sufficientibus et idoneis super hoc fidejussoribus, nostro et Camere predicte nomine recipere, ac solventes tibi et assignantes dicta quinque milia florenorum auri absolvere de hiis que inde tibi soluta et assignata fuerint plenius studeas et quitare, in bonis predictis residuis, postquam de dictis quinque milibus florenorum auri tibi nomine predicto satisfactum ut premittitur fuerit, dictum Petrum vel suos premissorum occasione nullatenus molestando. Datum ut supra. »

4988 5 octobre 1332.

Raymundo de Casetis, Pontio Molinerii et Ademaro Rogerii ut capitulo ecclesiae de Vicano, Caturcensis diocesis, inhibeant ne Johannem Barbaili aut Petrum Grandis ad canonicatum dictae ecclesiae de quo litigant, admittant, utque eisdem terminum ad comparendum praefigant. (Reg. 117, fol 74, c. 401).

« *Raymundo de Casetis et Pontio Molinerii, ac Ademaro Rogerii, canonicis Caturcensibus.* Cum ratione canonicatus et prebende quos quondam Guillelmus David in ecclesia de Vicano, Caturcensis discesis, dum viveret obtinebat, inter dilectos filios Johannem Barbaili, presbiterum, et Petrum Grandis clericum dicte diocesis, quorum quilibet ad dictos canonicatum et prebendam tamquam sibi auctoritate litterarum nostrarum eis dudum sub certis formis concessarum petit cum instantia per dilectos filios capitulum ecclesie memorate, diversis hinc inde per .. executores eis per nostras deputatos litteras factis processibus, se admitti, sicut accepimus, in eis partibus diceptetur, nos volentes quod ille qui jus habet in canonicatu et prebenda predictis illud assequatur, litigiosis amputatis amfractibus, et propter hoc, aliisque certis causis rationabilibus ad hoc nos inducentibus, nobis causas ex premissis emergentes quomodolibet specialiter retinentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eisdem capitulo inhibeatis expresse ne alterum predictorum Johannis et Petri in alterius prejudicium admittant ad canonicatum et prebendam predictos, et innovata si qua per eos indebite fuerint super hiis revocare quantum in eis extiterit ad statum debitum non omittant. Nos enim exnunc irritum decernimus et inane quicquid contra inhibitionem hujusmodi contigerit atte[m]ptari. Partibus vero predictis vel earum procuratoribus aliquem certum conpetentem peremptorium terminum, in quo cum omnibus juribus, actis, litteris et instrumentis quibus uti voluerint in hac parte apostolico conspectui se presentent ordinationem nostram audituri super hiis, prefigatis, nos super dicti prefixione termini et aliis que super predictis quomodolibet egeritis reddituri per instrumentum publicum, quod inde fieri volumus presentium seriem continentes (*sic*), nichilominus certiores. Datum III nonas octobris, anno decimo septimo. »

4989 6 octobre 1332.

Dominico episcopo Appamiarum ut contra haereticos in sua diocesi pullulantes procedat. (Reg. 117, fol. 74v°, c. 402 ; — Vidal, *op. cit.*, n. 124, p. 184).

« *Dominico, episcopo Appamiarum.* Ad nostri apostolatus auditum displicibili admodum insinuatione pervenit quod pestis heresis in tua diocesi crebrius solito, cujus occasio esse pro magna parte prelati negligencia dicitur, invalescit. Cum autem ad pestem hujusmodi de tuis civitate et diocesi extirpandam adeo ex debito tui pastoralis officii sis astrictus quod, si notabiliter circa hec te negligentem redderes, ab eodem esses officio repellendus, fraternitatem tuam attencius exhortamur quatinus

premissa necnon laudabilem diligenciam quam tui predecessores circa extirpationem adhibuerunt hujusmodi consideranter attendens, te a pigricie sompno nocivo plurimum excitans adversus hereticos, credentes, fautores et receptatores eorum solerti adhibita diligencia juxta sanxiones canonicas et privilegia officio inquisitionis heretice pravitatis concessa procedere, sermonesque innovare ac facere sicut alii pastores vigiles non postponas, ita quod hac extirpata peste mortifera fides ibidem catholica fulgeat curaque tua circa custodiam commissi tibi gregis dominici appareat, quavis excussa negligencia, merito fructuosa; ad creandos enim plures prelatos in illis partibus principaliter hoc nos movit ut per eorum vigilationem credulam (*sic*) hec pestis Deo odibilis nimium et infectiva catholici populi de partium ipsarum finibus fugaretur. Datum Avinione, II nonas octobris, anno decimo septimo.»

4990 Avignon, 6 octobre 1332.

Regem Franciae hortatur ut comiti Fuxi licentiam complendi ea que continentur in pariagio facto inter episcopos Appamienses et Fuxi comites impertiat. (Reg. 117, fol. 104, c. 506).

« *Regi Francie.* Insinuatione venerabilis fratris nostri Dominici episcopi et dilectorum filiorum capituli Appamiarum nuper accepimus quod dudum inter bone memorie Bernardum, episcopum Appamiensem, predicti Dominici predecessorem, nomine Appamiensis ecclesie, ex parte una, et quondam Rogerium Bernardi, comitem Fuxi, pro se suisque successoribus et heredibus ex altera, super castro et civitate Appamiensibus certum pariagium, deliberatione matura prehabita previa, factum sub pactis et conditionibus que sequuntur extitit et initum, videlicet quod dictus comes ejusque posteri comites Fuxi quilibet suo tempore illa que tenent et habent in civitate et castro predictis tenerent ab ipso episcopo qui esset pro tempore et ecclesia Appamiensibus tanquam vassalli eorum, et recognoscerent se tenere sub homagio et fidelitatis juramento prestandis aliisque annuis exhibendis serviciis episcopo et ecclesie supradictis; et nichilominus annis singulis in festo beati Antonini martiris, episcopo et capitulo predictis vel eorum gentibus tenendum per totam illam diem libere traderent dictum castrum, corporali per prefatum comitem super observandis et complendis per ipsum suosque successores et heredes supradictis omnibus prestito nichilominus juramento; quodque, licet premissa, que per Sedem Apostolicam tunc ex certa scientia confirmata fuerint, ab eodem comite quandiu vixerit suisque successoribus et heredibus frequenter plene observata inviolabiliter preterquam a paucis citra temporibus extiterint et completa, dudum tamen, cum dilectus filius nobilis vir Gasto, comes Fuxi, castrum et civitatem hujusmodi dilecte in Christo filie nobili mulieri Johanne de Atrabato, comitisse Fuxi, matri sue, ad vitam dumtaxat ipsius pro dotalicio tradidisset, prefata comitissa, ex eo quia dictus Dominicus episcopus eam ad homagium castri et civitatis predictorum tanquam proprietariam, cum esset tantum usufructuaria, recusavit admittere, provocata homagium eidem episcopo ut usufructuaria contradicens prestare, castrum et civitatem predicta, eodem Gastone comite ignorante, recognovisse et avoasse a te, fili carissime, tibique pro illis homagium dicitur, in grandem dictorum episcopi et ecclesie prejudicium, prestitisse, tunc a regali curia inhibitione nichilominus emanata, ne comes et comitissa ipsa recognitionem aliquam pro premissis predicto episcopo facerent nec episcopus illam reciperet ab eisdem. Cum autem comes prefatus ad manum suam predictis castro et civitate reductis ea que per matrem suam circa hec attemptata, ut premittitur, extiterunt, rata non habens, et in parlamento regio publico Parisius recognoscens se teneri ad omnia que, ut narratur superius, in pariagio continentur predicto ut, non obstantibus recognitione et homagio factis per dictam matrem suam et inhibitione hujusmodi subsecuta, faciendi et complendi ea que in eodem continentur pariagio, sicut tenetur ex debito, instanter ut asseritur pecierit sibi licentiam impertiri, regalem excellentiam attentius deprecamur quatinus premissorum processum necnon quantum displiceret Altissimo si propter talia tantis subiceretur Ecclesia periculis et jacturis deducens providencia regia in pie considerationis examen, inhibitione relaxata predicta, velit supradicto comiti concedere licenciam antedictam, habiturus, fili dilectissime, sic prefatos episcopum et ecclesiam in hiis et aliis suis juribus et libertatibus pro divina et Apostolice Sedis reverencia favore regio com-

mendatos quod, preter laudis humane preconium, apud eternum et justum judicem assequi retributionis perennis premium propter hoc regia serenitas mereatur. Datum Avinione, II nonas octobris, anno decimo septimo. »

4991 S. d. [6 octobre 1332] (1).

Comiti Alenconii Guillelmum de Mier, priorem prioratus de Volta, commendat. (Reg. 117, fol. 104, c. 507).

« *Comiti Alenconii.* Cum dilecto filio Guillelmo de Mier priori prioratus de Volta, Cluniacensis ordinis, diocesis Sancti Flori, de eodem prioratu apostolica fuit auctoritate provisum, nobilitatem tuam attencius deprecamur quatinus eosdem priorem et prioratum, presertim super revocatione eorum que de bonis et juribus prioratus predicti alienata fuisse dicuntur illicite aliisque suis negociis, habere velis pro divina ac Apostolice Sedis reverencia, ut proinde gracie divine te aptiorem constituas, propensius commendatos. Datum.

In e.m. Poncio de Polimnhaco, decano ecclesie Bruatensis Sancti Flori diocesis, capellano nostro, verbis competentibus mutatis. »

4992 7 octobre 1332.

Reservationem fructuum unius anni omnium beneficiorum ecclesiasticorum in diocesi Metensi vacantium usque ad unum annum prorogans, universo clero ejusdem diocesis mandat ut dictos fructus a collectoribus libere permittant exigi. (Reg. 117, fol. 118, c. 605 ; — Sauerland, *Quellen zur lothringischen...*, I, n. 679, p. 307).

« *Venerabili fratri.. episcopo Metensi et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatis et rectoribus, capitulis quoque, collegiis et conventibus Cisterciensis, Cluniacensis, Premostratensis, Grandimontensis, Cartusiensis, Vallisumbrose, Camaldulensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum ceterisque personis ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus, exemptis et non exemptis, necnon Sancti Johannis Jerosolimitani, beate Marie Theotonicorum et Calatravensis ac Humiliatorum magistris, prioribus et preceptoribus eorumque locatenentibus per civitatem et diocesim Metenses constitutis.* Considerantes dudum multiplicium necessitates onerum quibus Ecclesia Romana tunc gravabatur, sicut adhuc dinoscitur pregravari, nos pro hujusmodi utilius supportandis et relevandis oneribus fructus, redditus et proventus unius anni omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura vel sine cura, etiam dignitatum, personatuum et officiorum monasteriorum, prioratuum et aliorum locorum ecclesiasticorum quorumlibet tam secularium quam regularium, exemptorum et non exemptorum, que in tuis, frater episcope, civitate et diocesi Metensi tunc vacabant et que usque ad unum annum continuum a data litterarum nostrarum super hoc confectarum numerandum qualitercumque et ubicumque, etiam si apud Sedem Apostolicam ea vacare contingeret, ecclesia tamen cathedrali ac abbaciis regularibus que conventuales existunt et beneficiis ex causa permutationis tunc vacantibus vel infra dictum annum vacaturis expressum exceptis, reservandos auctoritate apostolica sub certis modis, formis et condicionibus duximus et nostre Camere pro premissis utilius relevandis necessitatibus applicandos, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis ecclesiarum, monasteriorum et locorum in quibus beneficia, dignitates, personatus et officia consistunt hujusmodi juramento confirmationis dicte Sedis vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si fructus, redditus et proventus primi anni ex privilegio dicte Sedis vel aliter de jure seu quacumque consuetudine aut statuto alicui vel aliquibus deberentur, sive si ad fabricam quarumcumque ecclesiarum, monasteriorum seu locorum per quoscumque concessi fuerint vel etiam deputati aut essent in usus alios convertendi. Postmodum vero reservationem et applicationem hujusmodi singulis annis usque ad diem date presentium sub eisdem modis, formis et conditionibus extendendas duximus et etiam prorogandas, sicut in diversis nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque temporis excrescente malicia, nondum necessitates hujusmodi sint omnino subducte, nos easdem reservationem et applicationem fructuum, reddituum et

(1) L'acte n'est pas daté ; on lui a attribué la date de l'acte le précédant dans le registre (n. 4990). L'acte suivant est du 8 novembre 1332 (c. 508, n. 5007).

proventuum predictorum sub modis, formis et conditionibus quibus alias eas reservavimus et applicavimus, ut predicitur, usque ad unum annum integrum ab eadem data presentium inantea computandum auctoritate apostolica tenore presentium extendimus et etiam prorogamus, non obstante omnibus supradictis. Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus et in Domino attencius exhortamur vobis que nichilominus per apostolica scripta mandamus quatinus, necessitates hujusmodi devota consideratione pensantes, dictos fructus, redditus et proventus exigi, colligi et levari per collectores et subcollectores super hoc deputandos libere permittatis, ac eisdem collectoribus et subcollectoribus taliter super hiis assistatis quod exinde apud nos et dictam Sedem commendari merito debeatis. Datum Avinione, nonis octobris, anno decimo septimo. »

4993 Avignon, 7 octobre 1332.

Petro Guigonis de Castronovo et Raymundo de Valleaurea, ut praedictos fructus colligant. (Reg. 117, fol. 118 v°, c. 606 ; — Sauerland, *op. cit.*, I, n. 680, p. 307).

« *Petro Guigonis de Castronovo archidiacono de Vico, Metensis, et Raymundo de Valleaurea canonico Lingonensis ecclesiarum, Apostolice Sedis nunciis.* Considerantes dudum etc... Datum ut supra.

Item similes due littere pro fructibus annalibus diocesis Tullensis.

... Item alie due similes pro fructibus annalibus diocesis Virdunensis.

Item alie due similes pro fructibus annalibus diocesis Bisuntine.

... Item alie due similes pro fructibus annalibus diocesis Bellicensis. Datum in omnibus ut supra. »

4994 11 octobre 1332.

Comiti Alenconii congratulatur quod solemnitati militari Johannis de Francia nepotis sui interesset nisi indispositio corporis obstitisset, eumque ad obedientiam fratri suo regi debitam hortatur. (Reg. 117, fol. 104, c. 505).

« *Eidem comiti* [*Alenconii, Carolo*]. Innotuere nobis, fili, magnificentie tue littere novissime nobis misse voluntatis tue motus rationi subici ipsiusque judicio regulari. Hinc est quod percepto quod rationis judicio tua intererat pre cunctis principibus aliis solennitati militari dilecti filii magnifici viri Johannis de Francia, ducis Normannie, nepotis tui, fiende tunc in proximo interesse, hoc si indispositio non obstitisset corporis cum desiderio implevisses, quod utique ad non leve cessit gaudium cordi nostro. Speramus equidem quod quamdiu motus ipsi voluntatis rationis regulabantur judicio, in tuis humanis actibus error aberit et rectitudo vigebit. Et si, fili, inductiones nostre ad hoc quod dicto festo omnino interesse deberes vise tibi fuerint juste, rationabiles et fideles, sic et ille quas induximus in eisdem litteris, ut carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francie illustri, germano tuo obedire ac obsequi citra offensam Dei (1) deberes, justas ac judicio rationis consentaneas reperires tibique multipliciter oportunas, quod utique tibi perlectis et intellectis litteris carissimi in Christo filii nostri Roberti, regis Cicilie illustris, avunculi tui, tibi missis novissime evidencius apparebit. Hortamur itaque tuam, fili, prudenciam et rogamus attente ut tam super obediencia et obsequiositate predicta necnon et in cunctis actibus tuis alicujus ponderis hec, scilicet quod ratio actus ipsos dirigat, studeas tenaciter observare. Ex hoc enim speramus indubie quod actus ipsi successibus debeant prosperis habundare. Gratia Domini sit tecum que te dirigat et protegat ab adversis, amen. Datum V idus octobris, anno decimo septimo. »

4995 15 octobre 1332.

Raymundo Augerii testandi facultatem et indulgentiam in forma concedit. (Reg. 117, fol. 36 v°, p. c. 210).

« Item in e. m. (2) pro Ramundo Augerii, canonico Agathensi.

Item pro eodem indulgentia in forma. Datum in istis idibus octobris, anno decimo septimo. »

(1) Reg. : *Dei* bis.

(2) c. 210, : « *pro Bauduino Campana, canonico Florentino* ».

4996 16 octobre 1332.

Universis personis ecclesiasticis ut Guillelmo Folquerii praeposito ecclesiae Grassensis, capellano apostolico, ad Apostolicam Sedem accedente de securo conductu usque ad unum mensem provideant. (Reg. 117, fol. 70 v°, c. 378).

« *Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris, rectoribus et aliis ecclesiarum prelatis ipsorumque vicesgerentibus, capitulis quoque, conventibus ceterisque personis ecclesiasticis regularibus et secularibus, exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Premostratensis, Camaldulensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum ac domorum Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, sancte Marie Theutonicorum, Calatravensis et Hu[m]iliatorum magistris, prioribus et preceptoribus, necnon nobilibus viris ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, senescallis, justiciariis, potestatibus, capitaneis, rectoribus, bajulis ceterisque dominis temporalibus, universitatibus quoque et comunitatibus civitatum, terrarum, castrorum, villarum et aliorum quorumcumque locorum et aliis universis et singulis ad quos presentes littere pervenerint.* Cum dilectus filius Guillelmus Folquerii, prepositus ecclesie Grassensis, capellanus noster, cum quibusdam personis quas secum intendit adducere ad nostram presenciam sit venturus, universitatem vestram rogamus, monemus et in Domino attencius exhortamur quatinus eundem prepositum, cum per terras, districtus et loca vestra veniendo cum eisdem personis ad eandem presenciam transiverit, benigne recomendatum habentes nulla eidem aut illis qui cum illo erunt inferatis injuriam vel offensam, nec ab aliis quantum in vobis fuerit permittatis inferri, sed ei pocius de securo conductu, si a vobis illum pecierit, sic libere ac prompte pro nostra et Apostolice Sedis reverencia providere curetis quod ipse grata de vobis referre valeat nosque devotionem vestram debeamus in Domino commendare, presentibus post unum mensem tantummodo valituris. Datum XVII kalendas novembris, anno decimo septimo. »

4997 16 octobre 1332.

Guillelmo Folquerii ut quosdam delinquentes quos cepit in habitu laicali ad Sedem Apostolicam adduci faciat. (Reg. 117, fol. 59, c. 325).

« *Guillelmo Folquerii, preposito ecclesie Grassensis.* Operosam diligenciam admodum nobis gratam quam circa captionem illorum perfidorum hominum per te, sicut nobis patefecit tuarum series litterarum, adhibitam multipliciter in Domino commendantes, volumus quod circa illorum curam et securam adductionem ad Sedem Apostolicam tua personalis diligentia, super qua tibi litteras de securo conductu mittimus, non tepescat ; et videtur nobis quod securius et secrecius poterunt in habitu laicali adduci. Tu vero quod expediencius super modo adductionis hujusmodi cognoveris, prudenter et fideliter exequi non postponas. Datum XVII kalendas novembris, anno decimo septimo. »

4998 Avignon, 18 octobre 1332.

Roberto Gaymardi indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 89, p. c. 453).

« In e. m. (1) Roberto Gaymardi, cantori ecclesie Venetensis (2). Datum Avinione, XV kalendas novembris, anno decimo septimo.

In e. m. Catherine Gaudine, relicte quondam Guillelmi Gaymardi, Lucionensis diocesis, verbis competentibus mutatis, Datum ut supra in proxima. »

4999 26 octobre 1332.

Johanni de Mureto indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 76, c. 409).

« *Nobili viro Johanni, domino de Mureto, Suessionensis diocesis.* Sincere devotionis affectus — Datum VII kalendas novembris, anno decimo septimo.

In. e. m. nobili mulieri Marie de Lauro, domine

(1) Cf. n. 4966.
(2) Reg. : *ecclesie Vasatensis* (exponctué) *Venetensis.*

de Mureto, Suessionensis diocesis, verbis competentibus mutatis. Datum ut supra.

In e. m. Bernardo Sapporis, juris civilis professori, et Ermessende, ejus uxori, de Montepessulano, Magalonensis diocesis, verbis competentibus mutatis. Datum ut supra.»

5000 26 octobre 1332.

Guillelmo de Sancta Maura, regis Franciae cancellario, de ordinatione quarundam litterarum. (Reg. 117, fol. 110, c. 545).

« *Guillelmo de Sancta Maura, decano ecclesie Turonensis, regis Francie cancellario.* Tue discretionis litteras, per quas te non interfuisse ordinationi quarumdam litterarum nobis missarum noviter excusasti, benigne receptis et contentis in eis diligenter intellectis, scire te volumus quod nec nos diximus nec ab aliis audivimus te ordinationi interfuisse litterarum ipsarum, super quo te habemus merito excusatum. Datum VII kalendas novembris, anno decimo septimo.»

5001 Avignon, 29 octobre 1332.

Guillelmo, electo Parisiensi, ut hospicium canonicale quod ab ecclesia Parisiensi tenebat usque ad instans Resurrectionis Dominicae festum retinere possit. (Reg. 117, fol. 76, c. 408).

« *Guillelmo, electo Parisiensi.* Exigit tue devotionis affectus, quo nos et Romanam Ecclesiam revereris, ut in hiis nos reperias generosos que ad commoditatis tue cedere valeant incrementum. Tuis itaque supplicationibus inclinati, tibi, cui nuper tempus recipiendi munus consecrationis a canonibus diffinitum infra quod tunc eras usque ad instans proximum festum Resurectionis Dominice prorogavimus, et quod interim beneficia ecclesiastica, etiam si dignitates personatus vel officia existerent et curam animarum haberent, quotcumque et qualiacumque forent, que tempore promotionis per nos facte de persona tua ad Parisiensem ecclesiam tunc pastore carentem canonice obtinebas sicut adhuc obtines, non obstante quacumque constitutione contraria licite retinere valeres, per alias nostras certi tenoris litteras auctoritate apostolica duximus indulgendum; ut hospicium canonicale, quod ab eadem ecclesia cujus tunc existebas sicut adhuc existis canonicus obtinebas prout etiam nunc obtines, quacumque constitutione ac statutis et consuetudinibus contrariis ipsius ecclesie nequaquam obstantibus, usque ad dictum Resurectionis Dominice festum licite retinere valeas eadem auctoritate concedimus de gracia speciali. Datum Avinione, IIII kalendas novembris, anno decimo septimo.»

5002 30 octobre 1332.

Ludovico, duci Borbonesii, de venatione transmissa regratiatur. (Reg. 117, fol. 107, c. 520).

« *Ludovico, duci Borbonesii.* De venatione a — Datum III kalendas novembris, anno decimo septimo.»

5003 31 octobre 1332.

Episcopo Morinensi, de ejus litteris et adventu. (Reg. 117, fol. 107, c. 522; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 624, n. 3305).

« *Johanni, episcopo Morinensi.* Fraternitatis tue litteras gratanter nos noveris recepisse, et quia tuum adventum prestolamur propinquum, alia tibi ad presens non rescribimus, sed ea dum, Deo duce, veneris, explicabimus viva voce. Datum II kalendas novembris, anno decimo septimo.»

5004 3 novembre 1332.

Petro, archiepiscopo Rothomagensi, ut Arnaldo de Claromonte, ordinis Minorum, in conventu fratrum ejusdem ordinis Aurelianensi facultatis theologicae lectori, licentiam legendi libros Sententiarums Parisius in proximis futuris vacationibus concedat. (Reg. 117, fol. 75 v°, c. 406; — Denifle et Chatelain, *Chartularium...*, t. II, n. 947, p. 401).

« *Petro, archiepiscopo Rothomagensi.* Cum, sicut accepimus, dilectus filius Arnaldus de Claromonte, ordinis fratrum Minorum, facultatis theologice in conventu fratrum ejusdem ordinis Aurelianensi lector, qui diu in eadem facultate studuit eamque in Burdegalensi, Tholosano et Aurelianensi dictorum fratrum conventibus legit et docuit, pro majori sui exercicio studii et ut ad ipsius facultatis noticiam attingere, divina sibi assistente gracia, valeat pleniorem, libros Sentenciarum in proximis futuris vacationibus studii Parisiensis ibidem legere desideret, sicut nonnulli aliorum ordinum fratres in preteritis vacationibus studii memorati legisse dicuntur, fuit nobis humiliter supplicatum quod, quia obsistente quodam statuto edito per magistros facultatis predicte Parisius commorantes et juramento vallato, quo prohibetur expresse ut aliquis dictas Sentencias in ejusdem studii vacationibus legere de cetero non presumat, suum nequit in hac parte desiderium absque Sedis Apostolice speciali licencia adimplere, providere sibi super hoc, presertim cum nullus frater ejusdem ordinis ad legendum in predictis vacationibus Sententias fuerit ordinatus, paterne solicitudinis studio dignaremur. Nos igitur de te, qui dudum in eodem studio magisterii honorem in facultate recepisti predicta plenam in Domino super hiis fiduciam obtinentes, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus, si eundem Arnaldum ad lecturam dictarum Sentenciarum idoneum repereris et aliud rationabile non obsistat, eidem legendi dictas Sentencias in eisdem studii predicti vacationibus, predicto et aliis statutis factis per magistros facultatis jamdicte seu consuetudinibus contrariis studii et ordinis predictorum juramento vel alia quacunque firmitate valatis nequaquam obstantibus, licenciam auctoritate nostra concedas, ipsum ad hoc faciendo per illos quorum interest recipi et admitti. Datum III nonas novembris, anno decimo septimo. »

5005 4 novembre 1332.

Parisiensi et Cameracensi officialibus, ut Arnaldo Leguti, canonico Cameracensi, terminum veniendi ad Apostolicam Sedem injungant. (Reg. 117, fol. 76, c. 407 ; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 625, n. 3310).

« .. *Parisiensi et .. Cameracensi officialibus.* Cum pro certis causis Ecclesiam Romanam tangentibus personali dilecti filii Arnaldi Leguti, canonici Cameracensis, presencia egeamus, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel per alium seu alios, eundem Arnaldum citare peremptorie ac eidem ex parte nostra sub pena excommunicationis, quam ipsum nisi mandato hujusmodi, cessante alio legitimo impedimento, cum effectu paruerit, incurrere volumus ipso facto, districtius injungere procuretis ut infra certum peremptorium terminum conpetentem, quem eidem duxeritis super hoc prefigendum, coram nobis personaliter se presentet, facturus et completurus que sibi duxerimus injungenda. Diem autem prefixionis hujusmodi et quicquid in hac parte feceritis, nobis per instrumentum publicum harum seriem continens intimare fideliter studeatis. Datum II nonas novembris, anno decimo septimo. »

5006 8 novembre 1332.

Regi Franciae, ut gravamina a bailivo regio Matisconensi ecclesiae Viennensi illata cessare faciat, et eidem ecclesiae de dampnis satisfactionem impendi. (Reg. 117, fol. 104 v°, c. 508).

« .. *regi Francie.* Tenet, fili carissime, nostra firma credulitas quod tu, velut benedictionis et gratie filius progenitorum vestigia clara sequens, tuos officiales et subditos ab inferendis ecclesiis ac personis ecclesiasticis in personis vel rebus injuriis seu molestiis desideras abstinere, ac si quando per ipsos irrogari premissa contingeret sic illa prompte corrigere ac reformare curares debite quod tam ipsi quam alii abstinere a similibus debeant, ipsisque dampna passis et injurias plenarie satisfiat. Quamobrem eo fiducialius ad hec celsitudinem regiam precibus excitamus quo spes nobis uberior suggerit quod eas circumspectio regia et libenter suscipiet ac prompto animo adimplebit. Sane quia multorum relatio ad nostrum perduxit auditum quod .. bailivus Matisconensis regius vexillis erectis regiis cum equitum et peditum multitudine armatorum terram que est citra fluvium Rodani ecclesie Viennensis invadens hostiliter, castrum Sancti Clari ad dictam ecclesiam

pertinens sic obsedet (*sic*) valide et invadit quod castrum ipsum cepit et per ruinam notabilem deformavit, bonis mobilibus ac se moventibus tam ecclesie quam hominum dicti castri in predam (1) datis ac in bonis inmobilibus tam in castro quam in ejusdem territorio dampnis inflictis variis et injuriis irrogatis; nec hiis contentus, multa gravia in Dei ac sanctorum contemptum et injuriam temere committere non expavit, canonicis ut asseritur Viennensibus et ecclesie nichilominus comminando quod infra certum tempus terram ipsorum cum exercitu invaderet valido eisdem pejora prioribus inferendo. Cum igitur celsitudinem non deceat regiam prefatam ecclesiam sinere taliter per officiales et subditos regios molestari, nec tam graves excessus, si premissis assistat veritas, conniventibus occulis pertransire, excellentiam regiam rogamus et hortamur attente quatinus pro divina reverencia tueque salutis et honoris augmento predictum bailivum regiosque subditos ab hujusmodi ecclesie gravaminibus inferendis quam efficaciter compescere non ommittat, predicteque ecclesie ac hominibus dicti castri de tantis dampnis et injuriis curet plenam satisfactionem impendi. Nos enim si pro parte canonicorum vel aliorum ad dictam ecclesiam pertinentium in offensam juris vel honoris regii, quos illibatos servari cupimus, aliquid fuerit attemptatum, sic illud prompte corrigere talemque emendam curabimus celsitudini regie fieri quod poterit merito contentari. Datum VI idus novembris, anno decimo septimo. »

5007 Avignon, 9 novembre 1332.

Guidoni, episcopo Elnensi, quod officium suum contra suspectos de haeresi extra diocesim suam exercere possit. (Reg. 117, fol. 100 v°, c. 490; — Vidal, *op. cit.*, n° 125 *bis*, p. 186).

« *Venerabili fratri Guidoni, episcopo Elnensi.* Catholice fidei negotio, ut extirpata heresis peste de medio fidelium clarius ubique fides ipsa prefulgeat, favorem quem secundum Deum possumus impendere cupientes, fraternitati tue, de qua fiduciam gerimus in Domino specialem, ut contra quoscumque viros et mulieres tuarum civitatis et diocesis suspectos vel diffamatos de heresi, cujuscumque status vel conditionis existant, etiam [si] episcopali dignitate prefulgeant, extra tuas predictas civitatem et diocesim procedere tuumque officium super hiis exercere plenarie quibuscumque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus valeas, licenciam et facultatem plenariam concedimus per presentes; per hoc autem dilecto filio .. inquisitori ejusdem pravitatis in illis partibus auctoritate apostolica deputato non intendimus in aliquo prejudicium generare. Datum Avinione V idus novembris, anno decimo septimo. »

(1) Reg. : *predictam.*

5008 11 novembre 1332.

Regem Majoricarum de zelo erga fidem catholicam et adversus illius emulos laudat. (Reg. 117, fol. 151 v°, c. 772; — Vidal, *op. cit.*, n° 124 *bis*, p. 185).

« *Jacobo, regi Majoricarum.* Quam laudabiliter zelo caritatis accensus ad tuendam veritatem catholice fidei ejusque prosequendum emulos, fili carissime, movearis, tam tue quam venerabilis fratris nostri Guidonis, episcopi Elnensis, nobis littere nuntiarunt; quod utique Deo ad gloriam adjungeres tibi meritam, angelis et bone voluntatis hominibus cedit ad gaudium et ceteris catholicis principibus ad exemplum. Hec, fili dilectissime, si in ipsis perstiteris, redent (*sic*) te Deo acceptabilem in presenti; per hec illam in futuro coronam recipies quam Dominus diligentibus se repromisit. Et quia nichil est quod lumine clariore prefulgeat quam recta fides in principe, que, cum veritatem respiciat luminis, et tenebras respuit et nescit deffectui subjacere, exellentiam regiam rogamus attente ut donum istud Illi a quo descendit omne datum obtimum (*sic*) et omne donum perfectum attribuens, de tam excellenti munere non omittas gratias jugiter exhibere. Nos autem divinam potentiam cernui exhoramus ut semina que in te jecit nutriat et usque ad producendum fructum obtatum (*sic*) quibuscumque sublatis perducat obstaculis, teque in hoc ardore fidei, in hac devotione mentis, in hoc religionis studio sine deffectu in tempora longiora conservet. Datum III idus novembris, anno decimo septimo. »

5009 Avignon, 13 novembre 1332.

Archiepiscopo Bisuntino ac Aeduensi Cabilonensique episcopis ut Walterinum de Fago, Symonen dictum Cugnate de Liberduno, Miletum de Naynes et Petrinum dictum Lederopey, laicos Tullensis diocesis, ad restituenda bona Petro Guidonis de Castrovico, archidiacono de Vico, in partibus Burgundiae et Lotharingiae nuntio apostolico, ablata inducant. (Reg. 117, fol. 84 v°, c. 433 ; — Sauerland, *Quellen zur lothringischen...*, I, n. 682, p. 307).

« .. *archiepiscopo Bisuntino et .. Eduensi ac .. Cabilonensi episcopis.* Produxit nuper infeste relationis assercio ad nostri apostolatus auditum quod, cum dudum dilectus filius Petrus Guidonis de Castronovo, archidiaconus de Vico in ecclesia Metensi, in partibus Burgundie et Lotoringie Apostolice Sedis nuntius, de civitate Metensi discedens ad civitatem Lingonensem pro negociis per nos et Cameram nostram sibi commissis promovendis et exequendis utilius dirigeret gressus suos, quidam filii Belial, videlicet Walterinus de Fago, Symon dictus Cugnate de Liberduno, Miletus de Naynes et Petrinus dictus Lederopey, laici Tullensis diocesis, cum nonnullis suis in hac parte complicibus Deum ac nos et Romanam Ecclesiam offendere proximumque ledere in suarum animarum salutis dispendium non verentes, familiares ejusdem nuncii, qui equos et saumerios suos cum libris, pecunia, vestibus et rebus aliis ducebant, hostiliter in itinere prope civitatem Tullensem per quam suum prosequentes iter rectum transiverant aggressi fuerunt more predonico, ipsosque familiares cum balistis et aliis armorum generibus fortiter impugnarunt, ac tandem non sine multis violenciis, injuriis et offensis per eosdem filios Belial familiaribus irrogatis predictis equos, saumerium, pecuniam, libros, vestes et nonnullas res alias ejusdem nuncii quas secum habebant familiares predicti violenter ceperunt, arrestarunt et secum nequiter asportarunt. Cum autem premissa, si vera sunt, nequeamus conniventibus occulis absque correctione debita pertransire, fraternitati vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, si predicta sint in partibus illis notoria vel de ipsis vobis per informationem exinde simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura judicii a vobis seu vestrum aliquo faciendam constiterit, prefatos Walterinum, Simonem, Miletum et Petrinum eorumque in hac parte complices peremptorie moneatis nominatim et generaliter, prout expedire videritis, ut infra certum aliquem terminum competentem per vos prefigendum eisdem, sub excommunicationis in personas singulares ac interdicti in terras et loca ipsorum aliisque penis et sentenciis de quibus vobis videbitur per vos promulgandis in eos nisi monicioni hujusmodi paruerint cum effectu, ablata, arrestata et asportata hujusmodi predicto nuncio integraliter restituere ac pro predictis nobis et ecclesie memorate dictoque nuncio et familiaribus debitam satisfactionem impendere non obmittant, processus vestros contra ipsos et eorum [complices], nisi mandato et monitioni hujusmodi effectualiter paruerint, prout rebellionis et contumacie ipsorum protervitas exegerit quando et quociens vobis videbitur nichilominus agravantes. Datum Avinione, idibus novembris, anno decimo septimo. »

5010 13 novembre 1332.

Regi Franciae ut bene tractet comitem Alenconii, fratrem suum. (Reg. 117, fol. 105, c. 509).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Sicut Scriptura Sacra reprobat seminare discordias inter fratres, sic ex adverso approbat eorum procurare concordiam et firmare. Sane, fili carissime, quia hiis diebus preteritis ad nostrum non absque grandi displicencia pervenit auditum quod dilectus filius inclitus princeps Carolus comes Alenconii, germanus tuus unicus, solemnitate militie dilecti filii incliti principis Johannis de Francia, ducis Normannie, nati tui, minime expectata, regnum Francie exire debebat, eidem scribendum duximus, ipsum exhortando ac attente rogando eidemque nichilominus consulendo ut omnino interesse deberet solemnitati predicte. Qui nostris litteris respondendo, multum laudavit contenta in dictis litteris, gratiarum actiones pro ipsis nobis humiliter referendo, firmiter asserendo quod in dicta milicia omnino curasset personaliter interesse nisi corporalis infirmitas, que ipsum tempore quo nostras recepit litteras satis graviter affligebat et ante per plures dies afflixerat et per plures afflixit postea, obstitisset. Cum autem convaluisset, ad nostram se presentiam contulit pro facienda recognitione nobis et Romane Ecclesie de castro Mercolii juxta morem a suis predecesso-

ribus observatum. Qua facta in presencia dilectorum filiorum Petri, tituli Sancti Martini in Montibus, Petri Sancti Stephani in Celio monte, Talarandi Sancti Petri ad Vincula ac Petri Sancti Clementis presbyterorum cardinalium, eidem in eorundem cardinalium presentia exposuimus quatinus ad exhibendum tibi, fili, honorem et reverenciam regieque obedire magnificencie ac adherere consiliis esset astrictus, quantaque ex hiis servatis commoda quantaque ex contrario incommoda poterant provenire, eidem suadendo ac ipsum attente rogando ut hec studeret sedule adimplere. Qui prompte respondit quod predicta recognoscebat veritate fulciri eaque intendebat et volebat prompto animo adimplere. Ad que executioni quantum in se est demandanda(1), die septima presentis mensis novembris ad redeundum in Franciam arripuit iter suum. Sane, fili carissime, quia multipliciter, sicut non est diu, excellencie regie scripsimus, cura tibi incombit comitis supradicti, magnitudinem regiam ortamur in Domino et rogamus attente quatinus prefatum comitem tractet benivole ipsumque ad se trahens ejus domum et statum ordinet prout expedire viderit et disponat. Hec utique grata erunt Altissimo, excellentie tue conveniencia et utrique plurimum oportuna. Gratia Domini Nostri Jhesu Christi te, fili carissime, in hiis et aliis agendis dirigat et protegat ab adversis. Amen. Datum idibus novembris, anno decimo septimo.»

5011 13 novembre 1332.

Reginae Franciae super eodem scribit eamque hortatur ut ad unionem regis et comitis praedictorum solidandam, partes suas interponat. (Reg. 117, fol. 105 v°, c. 510).

« *Regine Francie.* Ad excellencie reginalis — Datum ut supra.»

5012 13 novembre 1332.

Guidonem, episcopum Elnensem, de devotione commendat eumque hortatur ut contra haereticos suae diocesis procedat et regem Majoricarum ad acquiescendum exhortationibus apostolicis inducat. (Reg. 117, fol. 151 v°, c. 771) — Vidal, *op. cit.*, n. 125, p. 186).

« *Guidoni, episcopo Elnensi.* Receptis benigne fraternitatis tue litteris et que continebantur in eis plenius intellectis, devotionem tuam et providenciam super hiis plurimum in Domino commendantes, ecce quod carissimo in Christo filio nostro Jacobo, regi Majoricarum illustri, per nostras clausas scribimus litteras quorum tenorem continet cedula presentibus interclusa. Per alias etiam patentes litteras tue predicte fraternitati certa committimus super extirpanda in eis partibus heretica pravitate, tuam eamdem providenciam attencius exhortantes quatinus tam circa instruendum et inducendum regem eundem ut nostris acquiescat salubribus exhortationibus quam circa executionem providam commissionis predicte, sic tue solicitudinis studium interponas quod divinam et nostram ex hoc benedictionis gratiam uberius merearis. Datum idibus novembris, anno decimo septimo.» (1).

5013 20 novembre 1332.

Stephano, archiepiscopo Turonensi indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 76 v°, c. 411).

« *Stephano, archiepiscopo Turonensi.* Pervenit ex tue — Datum Avinione, XII kalendas decembris, anno decimo septimo.

In e. m. Fulconi, episcopo Andegavensi. Datum ut supra.

Item in e. m. Johanni, abbati monasterii Vindocinensis, ordinis sancti Benedicti, Carnotensis diocesis. Datum ut supra.

Item in e. m. Symoni, abbati monasterii Majorismonasterii Turonensis, ordinis sancti Benedicti. Datum ut supra.

Item in e. m. nobili viro Reginaldo de Precigneyo, domino de Brueyldore, et nobili mulieri Matildi, ejus uxori, Turonensis diocesis. Datum ut supra.

Item in e. m. nobili mulieri, Dulcie de Verreriis, domine de Rocharigaudi, Pictavensis diocesis,

(1) Reg. : *demandandi.*

(1) Reg. : *Sequitur cedula* (c. 772). *Datum III idus novembris, anno decimo septimo* (ci-dessus, n. 5008).

verbis competentibus mutatis. Datum ut supra.

Item in e. m. nobili viro Johanni Odardi, domino de Chemeuz, Andegavensis diocesis. Datum ut supra.

Item in e. m. Thome, abbati monasterii Beate Marie de Josaphat, Carnotensis diocesis. Datum ut supra.

Item in e. m. Petro Chauveau, civi Carnotensi. Datum ut supra.

Item in e. m. nobili mulieri Petronille, comitisse Drocensi, verbis competentibus mutatis. Datum ut supra.

Item in e. m. nobili viro Johanni de Levis, domino civitatis Mirapiscensis et nobili mulieri Matildi, ejus uxori. Datum ut supra.

Item in e. m. Arnaldo de Claromonte, ordinis fratrum Minorum. Datum ut supra.

Item in e. m. nobili viro Johanni de Chaule, militi, et nobili mulieri Johanne ejus uxori, Noviomensibus, verbis competentibus mutatis. Datum ut supra.

Item in e. m. nobili viro J. de Insula, domino de Sancto Marco, et nobili mulieri Isabelli, ejus uxori, Turonensis diocesis. Datum ut supra.

Item in e. m. nobili mulieri Aelidi de Rayneval, domine de Roya, Ambianensis diocesis, verbis competentibus mutatis. Datum ut supra.

Item in e. m. nobili mulieri Margarite de Bellomonte, domine de Monatieroul, Cenomanensis diocesis. Datum ut supra.

Item in e. m. nobili viro Galhardo de Lardo, magistro hostiario nostro, et nobili mulieri Dulcie, ejus uxori, Caturcensis diocesis.

Item in e. m. nobili mulieri Jacobe, nate nobilis viri Galhardi de Lardo, magistri hostiarii nostri.

Item in e. m. nobili viro Bertrando, nato nobilis viri Galhardi de Lardo, magistri hostiarii nostri, Caturcensis diocesis. »

5014 24 novembre 1332.

Regi Franciae negotia quae Bernardus Jordani, dominus de Insula, in regali curia expedire habet commendat. (Reg. 117, fol. 106 v°, c. 516).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Cum dilectus filius — Datum VIII kalendas decembris, anno decimo septimo,

In e. m. Johanne, regine Francie.

In e. m. cancellario regis Francie, mutatis mutandis. »

5015 26 novembre 1332.

Johanni episcopo Ambianensi, de duobus millibus florenis auri sibi missis regratiatur. (Reg. 117, fol. 107, c. 523).

« *Johanni, episcopo Ambianensi.* De duobus milibus florenorum auri quos pro nostris et Ecclesie Romane necessitatibus utilius relevandis nobis per dilectum filium magistrum Petrum de Foresta canonicum ecclesie Beati Martini Turonensis, familiarem tuum, fecit tua fraternitas liberaliter presentari, eidem fraternitati tue gratiarum referimus uberes actiones, prompti quantum cum Deo poterimus ad ea que tuum et ecclesie tue respiciant comodum et honorem. Datum VI kalendas decembris, anno decimo septimo. »

5016 29 novembre 1332.

Bertrando de Narcesio indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 54 v°, p. c. 307).

« In e. m. (1) Bertrando de Narcesio, priori prioratus Celsiniarum, Cluniacensis ordinis, Claromontensis diocesis. Pure devotionis affectus — Datum III kalendas decembris, anno decimo septimo. »

5017 Avignon, 29 novembre 1332.

Eidem testandi facultatem concedit. (Reg. 117, fol. 77, c. 412).

« *Bertrando de Narcesio, priori prioratus conventualis de Celsiniis, Cluniacensis ordinis, Claromontensis diocesis.* Quia presentis vite — Datum Avinione, III kalendas decembris, anno decimo septimo. »

(1) *Pro Uldrino de Aventica, canonico Lausanensi* (c. 307).

5018 30 novembre 1332.

Regi Franciae super tractatu cum rege Bohemiae. (Reg. 117, fol. 106, c. 512).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Ut de hiis que inter nos et carissimum in Christo filium nostrum Johannem, regem Bohemie illustrem, acta sunt, pro quo scripsit serenitas regia et destinavit nuntium, noticiam magnificentia regia habeat pleniorem, pandet celsitudini regie cedula presentibus interclusa quam paucis manifestare placeat eisque imponere sub juramento prestito ut in ea contenta nulli comunicare debeant, sed ipsa secrete tenere. Gratia Domini Nostri Jesu Christi cor regium in agendis dirigat et protegat ab adversis, amen. Datum II kalendas decembris, anno decimo septimo. »

5019 30 novembre 1332.

Petro Guigonis de Castronovo, archidiacono de Vico, Metensis ecclesiae, quod fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad triennium percipere possit, quotidianis distributionibus exceptis. (Reg. 117, fol. 118 v°, c. 607 ; — Sauerland, *Quellen zur lothringischen...*, t. I, n. 684, p. 309).

« *Eidem Petro Guigonis.* Personam tuam ob — Nulli ergo etc. »

5020 30 novembre 1332.

Judicibus ut eidem Petro dictos fructus assignare faciant. (Reg. 117, fol. 119, c. 608).

« *Judicibus.* Quocirca discretioni vestre — Contradictores etc... » (1)

5021 30 novembre 1332.

Raymundo de Valleaurea, canonico Lingonensi, quod fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad triennium percipere possit, quotidianis distributionibus exceptis. (Reg. 117, fol. 118 v°, p. c. 608).

« Item in e. m. (1) pro Raymundo de Valleaurea canonico Lingonensi.

Item in e. m. pro magistro P. de Castaneto, archidiacono Belvacensi, capellano apostolico.

Item in e. m. pro magistro Philippo de Cambarlhaco, canonico basilice Principis Apostolorum de Urbe, capellano nostro. Datum in omnibus II kalendas decembris, anno decimo septimo. »

5022 Avignon, 1er décembre 1332.

Mariae de Servato indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 101, c. 491).

« *Marie de Servato* (2), *Agennensis diocesis.* Sincere devotionis affectus — Datum Avinione, kalendis decembris, anno decimo septimo.

In e. m. Raymundo de Servato, Agennensis diocesis. Datum ut supra.

Item in e. m. Bernardo de Servato, Agennensis diocesis. Datum ut supra. »

5023 Avignon, 1er décembre 1332.

Reginaldo de Ponte ejusque uxori indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 89, c. 454).

« *Nobili viro Reginaldo de Ponte, vicecomiti Carladesii, et nobili mulieri ejus uxori.* Sinceritas pure devotionis — Datum Avinione, kalendis decembris, anno decimo septimo. »

5024 5 décembre 1332.

Ad petitionem Guillelmi de Blandiaco quoddam hospicium ejus situm in parrochia Sancti Sinforiani Avinionensis a taxationibus et assignationibus hospiciorum juxta morem Romanae curiae fieri consuetis eximit. (Reg. 117, fol. 52 v°, c. 301).

(1) La date est donnée par l'acte suivant n. 5021.

(1) Cf. n. 5019.
(2) Index : *Servaco.*

« *Nobili viro Guillelmo de Blandiaco, familiari nostro.* Tua nobis pridem oblata peticio continebat quod quoddam hospicium situm in parrochia Sancti Sinforiani Avinionensis, cum hospiciis dilectorum filiorum Berengarii Cavalerii militis et Guillelmi Granholi civium Avinionensium et cum carreria publica a diversis partibus confruntatum per te emptionis titulo noviter fuerit pro tuis necessitatibus acquisitum ; et pro eo quod quidam familiaris bone memorie Symonis, tituli Sancte Prisce presbiteri cardinalis, dudum ipsum inhabitasse dinoscitur, quamvis ex tunc longo tempore per familiares nostros seu eorum nomine inhabitatum fore dicatur absque contradictione quacumque, times tibi imposterum questionem fieri vel molestiam irrogari ; quare nobis humiliter supplicasti ut providere super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, hospicium predictum a taxationibus et assignationibus hospiciorum juxta morem Romane curie fieri consuetis, presertim cum ipsius emptione magnam partem facultatum tuarum te asseras expendisse, auctoritate apostolica eximimus, de gratia speciali districtius inhibentes assignatoribus hospiciorum qui prefata Curia Avinione residenti fuerint ne idem hospicium fratribus nostris Sancte Romane Ecclesie cardinalibus aut quibusvis personis aliis assignare aut taxare valeant, premissis et quacumque consuetudine contraria non obstantibus absque tuo beneplacito seu licentia speciali. Nulli ergo etc... Datum Avinione, nonis decembris, anno decimo septimo. »

5025 5 décembre 1332.

Bernardo de Piano indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 76 v°, p. c. 409).

« In e. m. (1) magistro Bernardo de Piano, sacriste ecclesie Magalonensis, cappellano nostro. Datum nonis decembris, anno decimo septimo. »

5026 Avignon, 8 décembre 1332.

Johanni, episcopo Lingonensi, quod antequam illucescat dies celebrare possit. (Reg. 117, fol. 89 v°, c. 458 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 59116).

(1) Cf. n. 4999.

« *Johanni, episcopo Lingonensi.* Sincere devotionis affectus — Datum Avinione, VI idus decembris, anno decimo septimo. »

5027 12 décembre 1332.

Guillelmo de Orto ut Petro abbati monasterii Menatensis, Claromontensis diocesis, ejusdem monasterii administrationem restituat eumque absolvat. (Reg. 117, fol. 75, c. 405).

« *Magistro Guillelmo de Orto, abbati ecclesie Claromontensis, Apostolice Sedis nuncio.* Fidedigne relationis assercione olim perducto ad nostri apostolatus auditum quod, quia Petrus abbas monasterii Menatensis, ordinis sancti Benedicti, Claromontensis diocesis, dudum monitus et requisitus per dilectum filium magistrum Johannem Bertrandi canonicum Bituricensem, fructuum beneficiorum ecclesiasticorum apud Sedem Apostolicam vacantium per nos usque ad certum tempus sub certis modis et formis reservatorum et applicatorum nostre Camere pro ipsius necessitatibus utilius supportandis collectorem in civitate et diocesi Bituricensi auctoritate apostolica deputatum, ut de certis pecuniarum summis, quos (*sic*) idem abbas de fructibus prioratus de Bellanavia, ordinis predicti dicte Bituricensis diocesis, ad Cameram supradictam pro certo tempore quo dictus prioratus apud eandem Sedem vacaverat pertinentibus habuerat et perceperat, dicto collectori nomine dicte Camere integraliter satisfacere procuraret, id efficere contumaciter recusavit, per collectorem eundem fuerat excommunicationis sententia canonice innodatus ; quodque licet postmodum collector ipse auctoritate litterarum nostrarum sibi super hoc directarum prefatum abbatem, qui per triennium et ultra dictam excommunicationis sentenciam animo sustinuerat indurato, requisivisset ut infra certum competentem terminum sibi prefixum super hoc de predictis satisfacere dicte Camere procuraret et rediret ad Ecclesie unitatem, iterum monuisset et requisivisset instanter, eumque prout ex tenore dictarum litterarum poterat citasset peremptorie quod infra certum alium terminum competentem sibi prefixum se nostro conspectui personaliter presentaret, super premissis responsurus, facturus et recepturus quod

justicia suaderet, idem tamen abbas tanquam sue salutis inmemor super predictis omnibus se inobedientem reddiderat et rebellem ; nos nolentes sicut nec debebamus tot excessus, contumacias et inobediencias absque correctione debita occulis conniventibus preterire, memoratum abbatem ab administratione spiritualium et temporalium dicti monasterii per alias nostras litteras suspendisse tibique dedisse meminimus in mandatis ut per te vel alium seu alios suspensionem publicare predictam ac ipsam administrationem gerere quousque ordinaremus super hoc procurares, faceresque de bonis ejusdem abbatis de hiis in quibus ipse pro premissis prelibate tenebatur Camere debitam et integram satisfactionem impendi, eumque citares peremptorie ut infra certum terminum peremptorium competentem coram nobis personaliter compareret super predictis inobedienciis, excessibus et contumaciis responsurus, facturus et recepturus quod justicia suaderet, eidem sub excommunicationis et privationis penis quas ipsum si contrarium faceret incurrere voluimus ipso facto, districtius nichilominus injungendo quod in termino per te sibi prefigendo coram nobis personaliter compareret, seque de administratione predicta nullatenus se intromittere per se vel alium seu alios directe vel indirecte presumeret quousque per nos restitueretur ad illam, sicut in litteris nostris inde confectis tibique directis plenius continetur. Cum autem prelibatus abbas ad cor reddiens infra prefixum sibi per te ad comparendum coram nobis terminum ad Sedem Apostolicam venerit, seque duxerit presentandum et subsequenter de hiis in quibus tenebatur pro dictis fructibus ipsi Camere satisfecerit competenter, super predictis inobedenciis, excessibus et contumaciis non judicium sed nostram et ejusdem Sedis misericordiam humiliter implorando, nos Illius inherendo vestigiis cui proprium est misereri semper et parcere, volentes erga abbatem predictum rigore justicie oleo temperato misericordie agere super hiis ut delictum superexaltet in hac parte misericordia, graciose sepefato abbati licenciam concessimus de Romana curia recedendi et ad predictum suum monasterium redeundi. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus ab eodem abbate solenni obligacione recepta quod ipse de expensis factis per dictam Cameram vel ipsius nomine premissorum occasione satisfaciet juxta ipsius nostre ordinationem Camere competenter, et nichilominus sub pena excommunicacionis quam ex ipso incurrat si que promittet super predictis non compleverit vel contrarium attemptaverit quoquomodo, quod deinceps nullo umquam tempore mandatis apostolicis vel Camere papali aut nunciis nostris et predicte Sedis erit inobediens quomodolibet vel rebellis, nec ipsius jura Camere usurpabit vel occupabit scienter illicite, sed pocius ad illa habenda, recuperanda et obtinenda ipsi Camere ac illi vel illis qui pro ea fuerint super hoc deputati assistet auxiliis, consiliis et favoribus sicut requisitus fuerit oportunis, confectoque inde publico instrumento seriem continente presentium nobis fideliter destinando, ipsum a penis et sentenciis latis in eum per dictum nuntium juxta Ecclesie formas absolvas, eidemque restituas cum fructibus tempore dicte suspensionis perceptis administrationemque dictam, dispensando secum nichilominus super irregularitate si quam contraxit celebrando divina ligatus dictis sentenciis, non tamen in contemptu clavium, vel immiscendo se illis. Datum II idus decembris, anno decimo septimo. »

5028 13 décembre 1332.

Raymundo de Chamaraco, ut de proventibus Camerae conventui monasterii Caturcensis, Cartusiensis ordinis, usque ad summam trecentarum quadraginta librarum turonensium parvorum pro unius anni necessariis assignet. (Reg. 117, fol. 76 v°, c. 410).

« *Magistro Raymundo de Chamaraco, canonico Massiliensi, Apostolice Sedis nuntio.* Ut dilecti prior et conventus monasterii Caturcensis, Cartusiensis ordinis, melius et quietius possint ibidem famulari Domino, eis volentes de necessariis pro se suisque familiaribus pro uno anno providere decenter, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus de proventibus Cameram nostram contingentibus per te nostrarum vel ejusdem Camere litterarum auctoritate collectis vel etiam colligendis, eisdem priori et conventui tam in blado quam in vino et pecunia usque ad summam trecentarum quadraginta librarum turonensium parvorum pro dictis unius anni necessariis studeas assignare, prefatam Cameram de quibus proventibus et quantum in blado, vino et pecunia

particulariter et distincte priori et conventui prelibatis assignaveris redditurus per instrumenta publica que inde fieri volumus nichilominus certiorem. Datum idibus decembris, anno decimo septimo.»

5029 15 décembre 1332.

Johanni, episcopo Matisconensi, de luciis missis regratiatur. (Reg. 117, fol. 107, c. 524).

« *Johanni, episcopo Matisconensi.* De luciis a — Datum XVIII kalendas januarii, anno decimo septimo.»

5030 Avignon, 18 décembre 1332.

Geraldo, filio Aymerici de Martello, canonico Lemovicensi, licentiam percipiendi fructus beneficiorum suorum in absentia concedit. (Reg. 117, fol. 78 v°, c. 415).

« *Geraldo nato dilecti filii nobilis viri Aymerici de Martello, militis, canonico Lemovicensi.* Nobilitatem generis, vite — Datum Avinione, XV kalendas januarii, anno decimo septimo.

Judicibus : .. priori monasterii Beate Marie Carpentoratensis per priorem soliti gubernari, et .. archidiacono de Ultra Dordoniam, Petragoricensis, ac Guidoni de Mauriolis canonico Lemovicensis ecclesiarum. Quocirca discretioni vestre — Datum ut supra.

Item in e. m. pro Guidone nato dilecti filii nobilis viri Aymerici de Martello, militis, canonico ecclesie Sancti Illarii Pictavensis.

In e. m. pro Raymundo Fornerii canonico Lemovicensi. Datum ut supra.»

5031 18 décembre 1332.

Regi Franciae de intenso desiderio quod ad pacem Ecclesiae gerit regratiatur. (Reg. 117, fol. 106, c. 513 et 514 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 544, n. 1592).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Intensum desiderium quod ad quietem et pacem Ecclesie Sancte Dei, fili carissime, in pectore geris regio quoque (1) impulsus illi ejusdem Ecclesie hosti ac emulo litteras studuisti dirigere regias ut ipsum a suis reprobosis retraheres actibus et ad Ecclesie reduceres unitatem, quidque (2) ejus proposuerunt nuncii ac quid eis regia circunspectio responderit, regalis excellencie littere ad nostram noticiam deduxerunt ; pro quibus omnibus, adeo factis utique provide quod non occurrit nobis quod aliquid agendum pro parte regia pretermissum fuerit vel aliter faciendum, benivolencie regie gratiarum referimus uberes actiones, divinam clemenciam suppliciter implorantes ut in isto proposito erga Ecclesiam cor nutrire dignetur regium ipsumque sic circa terreni regni dirigere regimen quod celestis regni coronam immarcessibilem assequi, cum tempus advenerit, mereatur. Nuncii autem illius nondum ad nos venerunt sed cum venerint ipsosque audiverimus, regie celsitudini curabimus que nuncianda circa illa occurrerint plenius intimare. Datum XV kalendas januarii, anno decimo septimo.»

5032 19 décembre 1332.

Reginae Franciae de quibusdam pro magistro Remigio de Sancta Margareta ac magistro Guidone Baudeti petitis respondet. (Reg. 117, fol. 106 v°, c. 519).

« *Eidem regine* [*Francie*]. De solicitudine benivola qua de statu nostro cerciorari voluit reginalis serenitas, sicut ex ejus litteris nobis presentatis noviter et per nos leta manu receptis collegimus evidenter, eidem gratiarum referentes uberes actiones, scitura, filia carissima, quod, licet ex incumbentibus undique negociis curis agitemur innumeris et continuis laboribus fatigemur, Illo tamen faciente qui potest, corporali sospitate gaudemus ; discrasiam autem illam qua pridem afflicti sumus ex reumate, quia satis cito ab ea extitimus absque magno gravamine per divinam clemenciam liberati, reginali ommisimus celsitudini nunciare. Ceterum, quia, sicut veridice percepimus, non solum ad nos et Ecclesiam Sanctam Dei sinceram devotionem habere, tamquam benedictionis et gratie filia, nosceris, nostros nichi-

(1) Reg. : *quodque.*
(2) Reg. : *quicquid.*

lominus benivolos favoribus prosequendo, quin immo carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francie illustrem, virum tuum, ad eandem inducere reginalis benignitas non ommittit, eidem de hiis gratiarum actiones uberes cumulamus. Sane, cum antequam littere per quas de archidiaconatu Parisiensi dilecto filio magistro Remigio de Sancta Margareta reginalis celsitudo provideri petebat, nobis presentate fuissent, duxissemus aliter ordinandum super hoc, presertim quia ille archidiaconatus qui solennis existit in illa ecclesia dignitas et jurisdictionem latam habet et residenciam exigit, persona egere noscatur litterata, habeat nos super hiis tua providencia excusatos. Eundem autem Remigium, necnon et dilectum filium magistrum Guidonem Baudeti nobis ex parte reginalis magnificentie commendatum habere intendimus in beneficiis utrique ipsorum oportunis, tam eorum exigentibus meritis quam consideratione regia, cum facultas se nobis obtulerit, favorabiliter commendatos. Porro, quia de tuo, filia dilectissima, et regis ejusdem statu, utinam semper prospero et felici, habere certitudinem nos delectat, quesumus nos curet reginalis providencia efficere sepius, cum oportunum extiterit, certiores. Datum XIIII kalendas januarii, anno decimo septimo.»

5033 Avignon, 20 décembre 1332.

Ramundo Johannis, quod fructus beneficiorum suorum in absentia et quotidianas distributiones integras praebendarum suarum Petragoricensis et Lemovicensis ecclesiarum in novem anni festivitatibus annuatim recipere possit. (Reg. 117, fol. 93 v°, c. 472).

«*Dilecto filio Ramundo Johannis, alias Lascoutz, archidiacono de Ultra Dordoniam in ecclesia Petragoricensi, familiari nostro.* Grata tue familiaritatis — Datum Avinione, XIII kalendas januarii, anno decimo septimo.

Judicibus : .. *episcopo Rivensi et dilectis filiis abbati monasterii Belliloci, Lemovicensis diocesis, ac archidiacono Montismirabilis in ecclesia Albiensi.* Quocirca discretioni vestre — Datum ut supra in proxima nota.»

5034 20 décembre 1332.

Ludovico, duci Borbonesii, de venatione missa regratiatur. (Reg. 117, fol. 107, c. 521).

«*Eidem* [*Ludovico, duci Borbonesii*]. De missa nobis — Datum XIII kalendas januarii, anno decimo septimo.»

5035 21 décembre 1332.

Philippo de Sangineto, comitatuum Provinciae et Forcalquerii senescallo, ut Franciscum de Grespis et Hugonem de Sancto Amantio, ratione castri de Confossis, Arelatensis diocesis, invicem dissidentes, a conflictatione detrahat. (Reg. 117, fol. 59 v°, c. 328).

«*Eidem senescallo.* Perducto noviter ad nostri apostolatus auditum quod, pretextu cujusdam dissensionis pro castro de Confossis Arelatensis diocesis inter dilectos filios nobiles viros Franciscum de Grespis ex parte una et Hugonem de Sancto Amancio ex altera suscitate, prefatus Hugo et dilectus filius nobilis vir Guillelmus Ferrandi pro parte dicti Francisci, humani generis hoste procurante, commoti, congregata hincinde hominum armatorum multitudine diem decimam post instans festum Nativitatis Dominice ad confligendum seu duellandum apud Aurasicum hostiliter prefixerunt, nos attendentes quod ex hiis pernitiosa et periculosa scandala honori obviancia regio possent sequi, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attencius quatinus, ne attemptentur quomodolibet talia, de celeri et oportuno remedio prout ad tuum spectat officium sic solerter providere procures quod tua exinde prudencia debeat merito commendari. Datum XII kalendas januarii, anno decimo septimo.»

5036 21 décembre 1332.

Raymundo Johannis quod fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad triennium percipere possit, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (Reg. 117, fol. 79, c. 416).

« *Raymundo Johannis, alias Lascoutz, archidiacono de Ultra Dordoniam in ecclesia Petragoricensi, familiari nostro.* Grata familiaritatis obsequia — Datum Avinione, XII kalendas januarii, anno decimo septimo.

Judicibus :., *episcopo Rivensi et.. abbati monasterii Magniloci, Lemovicensis diocesis, et.. archidiacono Figiacensi in ecclesia Caturcensi.* Mandamus vobis quatinus — Datum ut in proxima. »

5037 S. d. [21 décembre 1332] (1).

Petro de Artisio canonico Pictavensi quod fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad triennium percipere possit, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (Reg. 117, fol. 79, c. 417).

« In e. m. Petro de Artisio canonico Pictavensi. Grata fidelitatis obsequia etc. ut supra usque in finem. Datum.

Judicibus: ..abbati monasterii Sancti Maxencii, Pictavensis diocesis,.. archidiacono Montismirabilis Albiensis, ac cantori Petragoricensis ecclesiarum. »

5038 27 décembre 1332.

Regi Franciae ut super quaestione villae Montispessulani et baroniae Omelacii alteram dilationem certi temporis Jacobo regi Majoricarum concedat. (Reg. 117, fol. 106, c. 515).

« « *Eidem regi* [*Francie*]. Cum, sicut intelleximus, benivolencia regia carissimo in Christo filio nostro Jacobo, regi Majoricarum illustri, super questione, que ratione ville Montispessulani et baronie Omelacii eidem regi fieri dicitur, dilationem certi temporis duxerit liberaliter concedendam, sitque rex ipse adeo tum propter guerram Januensem tum propter Sarracenorum duriorem solito molestiam occupatus quod cause questionis predicte intendere nequaquam huc usque potuit nec valet etiam in presenti, regalem excellenciam in Domino deprecamur quatinus eidem regi dilationem velit solitam favorabiliter impertiri. Per hoc enim juri non prejudiciabitur regio et providebitur dicto regi. Datum VI kalendas januarii, anno decimo septimo. »

(1) On a attribué à cet acte la date du précédent (c. 416, n. 5036).

5039 27 décembre 1332.

Guidoni, episcopo Elnensi, ut contra haereticos suae diocesis procedat. (Reg. 117, fol. 150 v°, c. 764; — Vidal, *op. cit.*, n. 127, p. 188).

« *Guidoni episcopo Elnensi.* Cum vulpeculas demoliri vineam Domini Sabaoth sicientes que se ad regnum Majoricarum interdum sicut accepimus conferunt, de illarum desideremus partium finibus extirpari, fraternitati tue, quam scimus ad ipsum affici de cujusque prudencia et fidelitate plenam in Domino fiduciam obtinemus, ut contra quascumque personas tuarum civitatis et diocesis et etiam undecumque originem traxerint suspectas vel diffamatas de heresi, cujuscumque status, ordinis, dignitatis vel conditionis existant, etiam si pontificali prefulgeant dignitate, possis extra tuas predictas civitatem et diocesim in quacumque parte regni predicti Majoricarum secundum sanxiones canonicas et privilegia officio inquisitionis heretice pravitatis concessa procedere tuumque plenarie officium, non obstantibus quibuscumque constitutionibus contrariis, exercere, licenciam et facultatem plenariam tenore presentium elargimur. Per hoc autem dilectis filiis inquisitoribus pravitatis ejusdem in illis partibus auctoritate apostolica deputatis vel diocesanis talium seu in quorum diocesibus premissa commissa fuerint nolumus nec intendimus in aliquo derogare. Datum VI kalendas januarii, anno decimo septimo. »

5040 28 décembre 1332.

Philippo de Sanguineto, comitatuum Provinciae et Forqualquerii senescallo, ut excessus a Petro de Lambisco, vicario regio Niciensi, in praejudicium Johannis, episcopi Niciensis, commissos corrigere faciat. (Reg. 117, fol. 59, c. 327).

« *Eidem senescallo.* Referente nobis venerabili fratre nostro Johanne episcopo Niciensi percepimus admiranter quod nobilis vir Petrus de Lambisco, vicarius regius Niciensis, pridem pro parte curie

dicti episcopi ut quemdam clericum captum in ejus curia restituere prelibate ipsius episcopi curie procuraret requisitus instanter, nedum id facere contumaciter renuit, quinimmo aggravando contra clericum durius manum suam, litteras requisitorias super restitutione dicti clerici pro parte supradicte Camere curie memorati episcopi presentatas irreverenter arripiens de manibus portitoris, easdem contemptibiliter et maliciose dilaniavit et fregit, ac tandem super excessu hujusmodi responsurus per eandem curiam episcopalem citatus in vocem appellationis ab hujusmodi citatione prorumpens et exardescens irrationabilibus (1) in furorem, clavarium prefati episcopi cepit absque alia causa rationabili et suo carceri mancipavit ; et subsequenter nichilominus tot et tantis maliciis et injuriis non contentus, vice-officialem ipsius episcopi sedentem in loco solito pro tribunali ad jura redenda per quendam suum judicem et deinde per se ipsum verbotenus dictum clavarium diffidavit. Cum autem honorem non deceat regium nec tibi, fili, expediat quomodolibert tolerare quod officiales regii, qui prelatos et ecclesias ac personas ecclesiasticas ab aliorum injuriis debent defendere et tueri, ad tales attemptent injurias prorumpere contra eos, ledendo libertatem ecclesiasticam ac personas ecclesiasticas, quarum ad eos non spectat cognitio, sic graviter offendendo, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attencius quatinus premissa insolita et alia inaudita sic ratione previa corrigere studeas et curie dicti episcopi exinde satisfieri condecenter, prefatum vicarium a talibus et similibus cohibendo, quod tua merito debeat prudencia [commendari] nec de alio providere in hac parte remedio sit necesse. Datum V kalendas januarii, anno decimo septimo. »

5041 28 décembre 1332.

Regi Majoricarum, de haeresi extirpenda in diocesi Elnensi et de dilatione a rege Franciae petita. (Reg. 117, fol. 152 v°, c. 776 ; — Vidal, *op. cit.*, n. 127 *ter*, p. 189).

« *Jacobo, regi Majoricarum.* Leta manu receptis magnificencie regie litteris nobis novissime presentatis, per quas devotionem sinceram quam ad nos et Romanam geris Ecclesiam delectabiliter recensendo, ad extirpandum errores et hereses de finibus regni tui te pure ac recte intentionis zelum habere cum prompta executione operis descripsisti, exinde sublimitati regie gratiarum referimus uberes actiones, eam rogantes et in Domino exhortantes attente quatinus in hujusmodi laudabili proposito stabiliter perseveret. Et ecce, fili carissime, quod commissionem venerabili fratri nostro Guidoni, episcopo Elnensi, juxta formam petitam mittimus, ac carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francie illustri, pro concedenda tibi dilatione affectuose scribimus ut petisti. Datum V kalendas januarii, anno decimo septimo. »

5042 28 décembre 1332.

Guidonem, episcopum Elnensem ad extirpandas haereses de sua diocesi hortatur. (Reg. 117, fol. 152 v°, c. 777 ; — Vidal, *op. cit.*, n. 127 *bis*, p. 188).

« *Eidem episcopo Elnensi.* Zelum purum quem ad dilatandum fidem catholicam ac errores et hereses extirpandos habere cum executione prompta dinosceris multipliciter in Domino commendantes, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attencius quatenus, habens pre occulis solum Deum quem (*sic*) incumbent tibi, super hiis ad Dei laudem et honorem Ecclesie sancte sue studiosis operibus exequi non postponas. Et ecce, frater, quod commissionem tibi mittimus de qua carissimus in Christo filius noster Jacobus, rex Majoricarum illustris, super extirpandis heresibus de partium illarum finibus nobis scripsit. Datum ut supra. [V kalendas januarii, anno decimo septimo]. »

5043 Avignon, 29 décembre 1332.

Raymundo de Chameraco, de relaxatione interdicti cui supposuerat provinciam Burdegalensem. (Reg. 117, fol. 101, c. 492).

« *Magistro Raymundo de Chameraco, canonico Massiliensi, Apostolice Sedis nuntio.* Intellecto quod ratione cujusdam summe pecunie quam ad manus quorumdam officialium carissimi in Christo filii nostri Edwardi, regis Anglie illustris, de bonis bone

(1) *sic.* Corr. *irrationalibiter* ?

memorie Garcie, episcopi Aquensis, dispositioni nostre certis causis rationabilibus reservatis, asseris pervenisse, adversus officiales eosdem justicia exigente, auctoritate commissionis per nos tibi super hoc facte proceden-, post certum a te prefixum terminum, nisi foret tibi satisfactum de dicta summa pecunie infra illum, in toto archiepiscopatu Burdegalensi, quem extunc supponebas interdicto ecclesiastico, cessare mandasti penitus a divinis, volumus et tue discretioni mandamus quatinus nec in casu presenti nec in aliis contingentibus civitatem, diocesim, terram vel locum aliquem interdicto ecclesiastico nobis subicias inconsultis, alias super commissis tibi negociis prout justum fuerit processurus. Interdictum vero predictum, quod nos tenore presentium relaxamus, denunciari quantotius facias relaxatum. Datum Avionione, IIII kalendas januarii, anno decimo septimo.»

5044 4 janvier 1333.

Bernardae de Genolano indulgentiam in articulo mortis concedit (Reg. 117, fol. 76 v°, p. c. 409).

« In eundem modum (1) Bernarde de Genolano, mulieri Nemausensis diocesis. Datum II nonas januarii, anno decimo septimo.»

5045 6 janvier 1333.

Margaretae de Montefalconis indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 76 v°, p. c. 409).

« In eundem modum (2) nobili mulieri Margarete de Montefalcone domine de Albomonte, Tullensis diocesis. Datum VIII idus januarii, anno decimo septimo.»

5046 Avignon, 7 janvier 1333.

Raymundo de Caraigue licentiam percipiendi fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad unum annum iterum prorogat. (Reg. 117, fol. 77 v°, c. 413; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 59264).

« *Raymundo de Caraigue, rectori parrochialis ecclesie de Bisano, Narbonensis diocesis, familiari nostro.* Meritis tue probitatis — Datum Avinione, VII idus januarii, anno decimo septimo.

Judicibus : .. *preposito Forojuliensi et.. archidiacono de Ultradorniam Petragoricensis ac.. sacriste Carpentoratensis ecclesiarum.* Quocirca discretioni vestre — Datum ut supra.»

5047 8 janvier 1333.

Ademaro de Pictavia, ut Guichardo de Pictavia partes Lombardiae adeundi licentiam deneget. (Reg. 117, fol. 59 v°, c. 330).

« *Nobili viro Ademaro de Pictavia* Cum ex certis causis probabilibus nobis expediens minime videatur ad presens quod dilectus filius nobilis vir Guichardus de Pictavia, nepos noster natusque tuus, ad partes se conferat Lombardie, nobilitatem tuam rogamus attentius quatinus ipsum a tali retrahas proposito et prohibere, si necesse fuerit, non postponas. Datum VI idus januarii, anno decimo septimo.

In e. m. Ludovico de Pictavia, mutato : ubi dicitur « natus » dicatur « germanus ».»

5048 Avignon, 8 janvier 1333.

Bertrando de Claromonte licenciam percipiendi fructus beneficiorum suorum in absentia concedit. (Reg. 117, fol. 78 v°, p. c. 415).

« Item in e. m. (1) pro Bertrando de Claromonte, canonico Petragoricensi, additum post verbum residens : vel apud Sedem Apostolicam moram trahens. Datum Avinione, VI idus januarii, anno decimo septimo.

Item in e. m. pro Bertrando de Engolisma, canonico Briocensi, addito (*sic*) et datum ut in proxima.»

(1) Cf. n. 4999.
(2) Cf. n. 4999.

(1) Cf. n. 5032.

5049 Avignon, 10 janvier 1333.

Regi Franciae quod non turbari debet de tractatu facto inter ipsum papam et regem Bohemiae. (Reg. 117, fol. 105 v°, c. 511).

« *Regi Francie.* Miranter audivimus fuisse turbatam excellenciam regiam quia in tractatu inter nos et carissimum in Christo filium nostrum Johannem, regem Boemie illustrem, habito non fuit regium beneplacitum reservatum. Profecto, fili carissime, si litterarum regiarum nobis pro dicto missarum negotio excellencia regia seriem retinuisset memoriter, non credimus quod turbationis adesset materia, sed graciarum pocius actionis, cum illud negotium per easdem litteras nobis velut commendaverit proprium, ipsumque Deo gratum reique expediens publice et ad honorem nostrum et Ecclesie asseruit pertinere. Nec contenta fuit celsitudo regia hec insinuare litteris, sed ad horum prosecutionem dilectum filium magistrum Petrum Gualvanhi, canonicum Parisiensem, nuntium destinavit proprium ipsumque regiis aliis nunciis commendavit. Preterea si advertat prudencia regia quam debilis sit tractatus predictus et tam ad complendum difficilis, utique nequaquam deberet turbari. Sed quicquid de hoc tractatu fuerit pro parte nostra regisque predicti, benivolencie offerimus regie quod si tibi, fili, placuerit, a tractatu predicto prorsus prompti sumus recedere sic quod pro infecto penitus habeatur. Non enim fuit nostra nec dicti regis intentio in dicto tractatu aliqua deducere que tue celsitudini non placerent. Tenemus enim indubie, ut evidenter in tractatu predicto percepimus nos et fratres nostri qui eidem tractatui aderant, quod rex ipse adeo ad tuam magnificenciam afficitur quod tuam sue in predictis utilitatem cum omni promptitudine anteferret. Datum Avinione, IIII idus januarii, anno decimo septimo ».

5050 10 janvier 1333.

Regem Franciae deprecatur quatinus regii officiales a processibus habitis contra Arnaldum de Tria, ut marescallum Romanae curiae, desistant. (Reg. 117, fol. 106, c. 517).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Pridem dilectus filius nobilis vir Arnaldus de Trianno, nepos noster, vicecomes Talardi, Romane curie marescallus, attendens quod ubicumque curia Romana existit, in curiales laicos et res ipsorum potest jurisdictionem omnimodam exercere, in bonis Petri de Podio, laici de Montepessulano, Magalonensis diocesis, familiaris dilecti filii nostri Imberti, tituli Duodecim Apostolorum presbiteri cardinalis, eandem curiam Romanam sequentis, arrestum posuit seu fecit, prout justicia tunc exposcere videbatur, apponi, non intendens propter hoc juri vel jurisdictioni regiis aut cujuscunque alterius prejudicium quomodolibet generari. Et licet idem marescallus ad dictum arrestum, ex justis et rationabilibus causis, prout ex jam habitis processibus liquere plenius dicitur, processisset, postmodum tamen, ob regie celsitudinis reverenciam et honorem tanquam ejus devotus zelat[or], fideliter et ferventer ad requisitionem quorundam justiciariorum regiorum a dictis rebus arrestatis relaxavit penitus manum suam, et per eum seu de mandato suo de rebus eisdem predicto Petro restitutio plenaria facta fuit. Cum itaque prefatus marescallus, tam zelo justicie quam bona fide, ex debito sui officii ad dictum arrestum et subsequenter ob reverenciam et honorem regium ad predictas relaxationem et restitutionem duxerit procedendum, nec intendat de regni terminis, quos obtat ampliari pro viribus, quomodolibet contendere, nec in hoc vel quolibet alio quod honorem posset concernere regium aliqualiter in judicio vel extra judicium obviare, qui etiam, si in qualibet parte regni tui ubi foret predicta curia in bonis mobilibus aliunde sequentis curiam ex causa sui officii posuisset arrestum, non credidisset, secundum morem observatum hactenus, regiam magnificenciam offendisse, immo pocius suum exequendo ut prefertur officium de beneplacito regio processisse, sublimitatem regiam deprecamur attente quatinus magistris tenentibus parlamentum et aliis officialibus regiis dare velit per patentes regias litteras magnitudo regia in mandatis ut ab omni processu contra dictum marescallum occasione premissorum coram eis hactenus habito prorsus abstineant et desistant, eum propterea nullatenus imposterum molestando. Datum IIII idibus januarii, anno decimo septimo. »

5051 10 janvier 1333.

Reginae Franciae ut eundem regem ad praefata inducat. (Reg. 117, fol. 106 v°, c. 518).

« *Johanne, regine Francie.* Pridem dilectus filius — Datum ut supra.
In e. m. cancellario regio. »

5052 Avignon, 11 janvier 1333.

Beneficia ecclesiastica Girardi de Syfreyo, rectoris parrochialis ecclesiae Sancti Marcellini, Lugdunensis diocesis, reservat. (Reg. 117, fol. 78, c. 414).

« *Ad futuram rei memoriam.* Intendentes de beneficiis — Datum Avinione, III idus januarii, anno decimo septimo. »

5053 Avignon, 15 janvier 1333.

Guidoni, episcopo Lexoviensi, quod sex clerici familiares ejus possint recipere fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad triennium, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (Reg. 117, fol. 91 v°, c. 465 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 59377).

« *Guidoni, episcopo Lexoviensi.* Sincere devotionis tue — Datum Avinione, XVIII kalendas februarii, anno decimo septimo.
Judicibus : abbati monasterii de Cormeliis, Lemovicensis diocesis, ac archidiacono de Gaceyo et cantori ecclesie Lexoviensis. Quocirca discretioni vestre — Datum ut supra. »

5054 16 janvier 1333.

Regi Franciae negotia quae Margarita de Alneto, uxor Bertrandi de Baucio, comitis Montiscaneosi pro bonis suis hereditariis in regno Franciae consistentibus eique ex successione quondam Roberti de Alneto, patris sui, spectantibus, in regali curia expedire habet, commendat. (Reg. 117, fol. 107, c. 525).

« *Regi Francie.* Cum dilecta in — Datum XVII kalendas februarii, anno decimo septimo. »

5055 16 janvier 1333.

Reginae Franciae eamdem Margaritam commendat. (Reg. 117, fol. 107 v°, c. 526).

« *Regine Francie.* Cum dilecta in — Datum ut supra.
In e. m. Carolo comiti Alenconii, verbis competentibus mutatis. »

5056 17 janvier 1333.

Archambaldo, comiti Petragoricensi, negotia quae Hugo de Cardalhaco, miles, pro Margarita et Magna, natis quondam Radulphi de Castronovo, neptibus suis, ratione baroniae Castrinovi, Sarlatensis diocesis, expedire habet, commendat. (Reg. 117, fol. 110, c. 546).

« *Archambaldo, comiti Petragoricensi.* Cum dilectus filius — Datum XVI kalendas februarii, anno decimo septimo. »

5057 Avignon, 17 janvier 1333.

Cancellario ecclesiae Parisiensis, ut Matheum de Omervilla, monachum Sancti Dionisii in Francia, ad magisterii theologicae facultatis honorem promoveat. (Reg. 117, fol. 85, c. 434 ; — Denifle et Chatelain, *Chartularium..*, t. II, n. 949, p. 402).

« .. *cancellario ecclesie Parisiensis.* Fidedignorum habet assercio quod dilectus filius Matheus de Omervilla, monachus monasterii Sancti Dionisii in Francia, ordinis sancti Benedicti, Parisiensis diocesis, in sacra theologie facultate bacalarius, adeo in facultate ipsa laudabiliter divina sibi gratia suffragante profecit quod ad recipiendum magisterii honorem in eadem facultate ydoneus reputatur. Nos igitur domum Domini viris insignitis virtutibus ac in opere potentibus et sermone, qui resistere valeant ascendentibus ex adverso, ad divini nominis laudem et gloriam ipsiusque decorem domus cupientes Domino dirigente fulciri, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus dictum Matheum, si eum ad hujusmodi magisterii honorem ydoneum fore repereris, ad ejusdem magisterii statum, non obstante quod aliqui bacal-

larii in facultate predicta in ordine recipiendi magisterium hujusmodi precedant eundem, studeas promovere. Nos enim bacallariis ipsis nullum per hoc volumus prejudicium generari, quin ipsi ad ejusdem magisterii honorem post promotionem hujusmodi ordine debito valeant promoveri. Datum Avinione, XVI kalendas februarii, anno decimo septimo.

In e. m. eidem cancellario pro dilecto filio Pastore de Serescuderio, ordinis fratrum Minorum. Datum ut supra. »

5058 Avignon, 28 janvier 1333.

Priori Portus Dei, ut parrochialem ecclesiam de Aveza, Claromontensis diocesis, per effusionem sanguinis violatam, reconciliet. (Reg. 117, fol. 85, c. 435).

« *Priori Portus Dei, Lemovicensis diocesis.* Cum, sicut accepimus, parrochialis ecclesia de Aveza, Claromontensis diocesis, que consecrata existit, per effusionem sanguinis violata noscatur, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus ad ecclesiam ipsam te personaliter conferens, aqua prius per aliquem catholicum antistitem ut moris est benedicta, eandem ecclesiam hac vice auctoritate nostra reconsiliare procures; per hoc autem constitutioni que id per episcopos tantum fieri precipit nullum volumus imposterum prejudicium generari. Datum Avinione, V kalendas februarii, anno decimo septimo. »

5059 Avignon, 28 janvier 1333.

Arnaldo, episcopo Claromontensi, quod ecclesias et cimiteria suae diocesis reconciliare possit. (Reg. 117, fol. 85 v°, c. 436).

« *Arnaldo, episcopo Claromontensi.* Tue devotionis precibus — Datum ut supra. »

5060 29 janvier 1333.

Regi Franciae, quod ipse ab eis quae praejudicium Adulpho, episcopo, et capitulo Leodiensibus procurare poterint, abstinebit. (Reg. 117, fol. 107 v°, c. 527; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 65, n. 3388).

« *Regi Francie.* Innotuere nobis hiis diebus littere regie nobis misse affectum sincerum quem habet benivolencia regia ad venerabilem fratrem nostrum Adulphum, episcopum, et dilectos filios capitulum Leodienses, intensumque desiderium quod ad eorum procuranda gerit commoda et dispendia propulsanda; propter que nobis studuit excellencia regia supplicare ut in eorum prejudicium nichil ad cujusvis instanciam agere curaremus. Nos autem prompto animo, tum ex debito pastoralis officii tum regiarum precum obtentu, a talibus intendimus abstinere. Datum IIII kalendas februarii, anno decimo septimo ».

5061 29 janvier 1333.

Reginae Franciae pro concordia inter Philippum, regem Franciae, et Carolum, comitem Alenconii, ejus germanum, procurata gratias agit. (Reg. 117, fol. 107 v°, c. 528).

« *Regine Francie.* Excellencie tue, filia carissima, litteras recepimus quarum utique lectio cor nostrum replevit gaudio non indigne. Per ipsam quidem nobis innotuit quomodo Is qui in fratrum letari concordia noscitur, zizaniarum seminibus que caritatis emulus inter carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francie illustrem, virum tuum, et dilectum filium inclitum principem Carolum, comitem Alenconii, ejus germanum, jecerit tuo ministerio evulsis proinde radicitus, pacis et concordie semina dignatus est misericorditer seminare; quod profecto angelis cedit ad gaudium, ipsis ad consolationem, tibique ad honorem et meritum et ad exultationem bone hominibus voluntatis. Super quo providenciam reginalem plurimum in Domino commendantes, eandem rogamus obnixe quatinus ad prefatam concordiam, Deo acceptam admodum ac ipsis regi et comiti eorumque benivolis oportunam, multipliciter nutriendam velis tue partes solicitudinis adhibere. Gratia Domini tecum sit, benedictionis filia, que te ab adversis protegat et dirigat ad ea perseveranter agere que sue sint placita voluntati. Amen. Datum ut supra [IIII kalendas februarii, anno decimo septimo]. »

5062 29 janvier 1333.

Comiti Alenconii de gratia Philippi regis recuperata congaudet, eum ad concordiam servandam hortando. (Reg. 117, fol. 107 v°, c. 529).

« *Carolo, comiti Alenconii.* Innotuere nobis carissime in Christo filie nostre Johanne regine Francie illustris littere hiis diebus quomodo, fili dilecte, ad recuperandam carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie germani tui gratiam, qua (1) hostis pacis privare temptaverat, te gessisti sic humiliter et prudenter quod hostis ipse se percipit inaniter laborasse. Super quo tuam in Domino prudenciam plurimum commendantes, eandem rogamus attente quatinus circa eandem graciam inviolabiliter conservandam cures sedule operosum studium adhibere, ad memoriam tuam sepius revocans quantum te hoc deceat quantaque tibi exinde possint commoda pervenire. Quod tibi dignetur concedere Cui cum voluerit subest posse. Datum ut supra. »

5063 Avignon, 31 janvier 1333.

Collationem prioratus de Sancto Cosma, Agennensis diocesis, Arnaldo, nato Arnaldi, vicecomitis Caramanni, factam confirmat. (Reg. 117, fol. 101 v°, c. 495; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 59515).

« *Dilecto filio Arnaldo, nato dilecti filii nobilis viri Arnaldi vicecomitis Caramanni, canonico Aquensi.* Tunc recte agere credimus et pastoralis officii debitum exercere cum jus suum cuilibet prout honeste possumus conservamus. Sane dudum prioratu de Sancto Cosma, Agennensis diocesis, per obitum quondam Bertrandi de Turre, Sedis Apostolice capellani, qui ipsum dum viveret obtinebat, vacante, nos attendentes quod de ipso prioratu nullus preter nos ea vice disponere poterat, pro eo quod felicis recordationis Clemens papa V, predecessor noster, omnes prioratus, dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica per obitum quorumcumque capellanorum Sedis predicte ubicumque decedentium tunc vacantia et inantea vacatura collationi et dispositioni sue ac ejusdem Sedis specialiter reservans, decrevit extunc irritum et inane si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac volentes tibi gratiam facere specialem, prioratum prefatum sic vacantem, cum omnibus juribus et pertinenciis suis, tibi motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis oblate peticionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate contulimus et de illo etiam duximus providendum, certis tibi super hoc executoribus deputatis, prout in diversis litteris inde confectis plenius continetur. Verum collatione ac provisione hujusmodi ad notitiam dilectorum filiorum .. abbatis et conventus monasterii de Clayraco, ordinis sancti Benedicti , dicte diocesis, fidedigna relatione deductis, ipsi nobis per eorum patentes litteras exponere curaverunt quod, quamvis dictus quondam Bertrandus, qui clericus secularis erat dum viveret, ipsum prioratum diu auctoritate apostolica possedisset, licet esset alias solitus per monachum ejusdem monasterii gubernari, iidem tamen abbas et conventus ex certis causis in eisdem expressis eorum litteris collationem et provisonem hujusmodi unanimiter acceptabant, nobis cum instancia supplicantes ut eos quos per collationem et provisionem prefatas seu per decursum temporis quo tu ipsum prioratum possideres, monasterio prefato, quominus, te cedente vel decedente, idem prioratus regularis sicut erat antea censeretur non prejudicaretur imposterum concedere dignaremur (1). Nos igitur premissis omnibus diligenter attentis, cupientes tibi et dictis abbati et conventui de oportuno remedio super hiis providere, collationem et provisionem predictas tibi factas et quecumque inde secuta, premissis seu quacumque constitutione contraria nequaquam obstantibus, motu simili ratas et gratas habentes easque auctoritate apostolica ex certa scientia confirmantes, eorundem abbatis et conventus supplicationibus inclinati volumus et eadem auctoritate decernimus quod per collationem et provisionem hujusmodi ac assecutionem dicti prioratus ac possessionem tuas, prefatus prioratus non reputetur si priusquam collatus tibi existeret non fuerat secularis, nec dictis abbati conventui ac monasterio ex lapsu temporis quo eundem prioratum te possidere continget currat quo ad hoc aliqua prescriptio, immo hiis non obstantibus te cedente vel

(1) Reg. : *quam.*

(1) *Sic.* Le sens de la phrase est peu clair.

decedente prioratus prefatus regularis si erat dicte collationis tibi facte tempore censeatur. Nulli ergo etc... Datum Avinione, II kalendas februarii, anno decimo septimo. »

5064 Avignon, 3 février 1333.

Ducem Barbonesii a voto non intrandi Parisius absolvit, quia praesentia sua in dicta civitate circa tractatum passagii transmarini a rege assumpti perutilis est. (Reg. 117, fol. 79, c. 418).

« *Nobili viro Ludovico, duci Borbonesii.* Sincera paterne dilectionis affectio qua te, tuis claris exigentibus meritis, prosequimur nos inducit ut tibi super hiis que tue concernunt salutem anime quantum cum Deo possumus salubriter consulamus. Sane ad nostram deduxit noticiam relatio fidedigna quod tu dudum in Terre Sancte ac christicolarum partium transmarinarum subsidium ferventi concepto proposito transfretandi, te civitatem Parisiensem minime intraturum quousque hujusmodi complevisses, Domino tibi auxiliante, propositum emisso voto et prestito juramento firmasti. Nos igitur, attendentes quod circa tractatum passagii transmarini quod carissimus in Christo filius noster Philippus, rex Francorum illustris, accensus zelo fidei et magne devotionis, assumpsit, qui quidem tractatus habitus est ut accepimus hactenus et haberi speratur, frequenter in civitate jamdicta tua existere noscitur presencia multipliciter oportuna, quodque dicti voti seu juramenti observatio de non intrando civitatem eandem dicto passagio non posset proficere sed obesse, ex hiis et aliis certis considerationibus nos rationabiliter in hac parte moventibus, et quia prefatus rex super hiis etiam propter utilitatem dicti passagii alias nos rogavit, te ab observatione voti et juramenti hujusmodi tenore presentium absolvimus et penitus liberamus, ita tamen quod propter hoc concepto proposito et voto cuicumque per te de transfretando emisso, quin illa (1) in eodem passagio vel quamprimum oportunum et utile videbitur compleas nullatenus derogetur. Nulli ergo etc... Datum Avinione, III nonas februarii, anno decimo septimo. »

(1) *Sic.*

5065 3 février 1333 (1)

Petro de Castaneto licentiam percipiendi fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad triennium concedit. (Reg. 117, fol. 79 v°, c. 419).

« *Petro de Castaneto, canonico Albiensi.* Gratis tue devotionis — Datum.

Judicibus. Quocirca discretioni vestre — Datum ut in proxima. »

5066 6 février 1333.

Archiepiscopo Bisuntino ut Guillelmum Valdri ad liberationem nuntiorum Hugonis, regis Cypri, inducat. (Reg. 117, fol. 62, c. 346).

« *Archiepiscopo Bisuntino.* Infesta quorundam relatio ad nostrum perduxit apostolatus auditum quod cum nuper venerabilis frater noster Matheus, episcopus Beritensis, et dilecti filii Philippus Laleman, cantor ecclesie Nicosiensis, ac nobilis vir Petrus Lejaune, miles, carissimi in Christo filii nostri Hugonis regis Cipri illustris nuncii, quos ipse pro certis suis negociis ad nos et carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem specialiter destinabat, suas continuantes dietas per diocesim tuam transirent, nobilis vir Guillelmus Valdri ad illicita nimium extendens temerarie manus suas, non attendens quod qui accedentes ad Sedem Apostolicam vel recedentes ab ea capiunt ipso facto sententiam excommunicationis incurrunt, quin pocius sententiam ipsam in anime sue salutis dispendium, dicte Sedis oprobrium et scandalum plurimorum dampnabiliter vilipendens, episcopum arrestavit, non sine injectione in eum manuum violenta, et militem predictos cum omnibus bonis et jocalibus que secum habebant cepit in castro Valdri diocesis prelibate, prefatum eciam cantorem, qui dictos episcopum et militem antecedens auditis arresto et capcione hujusmodi in quadam villa dicta Loye aufugerat, nonnullis sibi complicibus adunatis obsedit, ac deinde prefato episcopo cum certa parte bonorum suorum dimisso, cantorem in villa obsesum et militem

(1) Faute de date précise, on a attribué à cet acte la date de l'acte immédiatement précédent (c. 418, n° 5064)

prefatos in castro predictis retinuit captivatum. Cum itaque premissa, si eis sufragetur veritas, plurimum perniciosa exemplo nequeamus conniventibus occulis relinquere incorrecta, fraternitati tue de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus, si summarie simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura judicii super hiis informatione recepta compereris (1) ita esse, dictum Guillelmum ut cantorem et militem prefatos una cum bonis et jocalibus predictis integre pristine restituat libertati efficaciter moneas et inducas; quod si monitionibus et mandatis hujusmodi non curaverit obedire, ipsum et quoscumque alios apud quos cantorem et militem ac bona et jocalia prefata esse repereris ad liberationem ipsorum cantoris et militis et ad restitutionem hujusmodi integram per agravationem dicte sententie et alia juris remedia, prout eorum attenta proterva expedire cognoveris, compellere non ommittas, invocato etc.. Non obstantibus si aliquibus communiter vel divisim a dicta sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum VIII idus februarii, anno decimo septimo.»

5067 Avignon, 6 février 1333.

Petro Marini, facultatem percipiendi fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad aliud triennium prorogat. (Reg. 117, fol. 94 v°, c. 473).

«*Dilecto filio Petro Marini, canonico Xanctonensi, familiari nostro.* Laudabilibus tue probitatis — Datum VIII idus februarii, anno decimo septimo.

Judicibus : Mandamus quatinus vos. Datum ut supra in proxima nota.»

5068 6 février 1333.

Oddoni, duci Burgundiae, ut opus adhibeat ad liberandum nuntios regis Cypri per Guillelmum Valdri detentos. (Reg. 117, fol. 114, c. 577).

(1) Reg. : *compareris.*

«*Oddoni, duci Burgundie.* Infesta quorumdam relatio ad nostrum pridem perduxit apostolatus auditum quod cum nuper venerabilis frater noster Matheus, episcopus Beritanus, et dilecti filii Philippus Laleman, cantor ecclesie Nicosiensis, ac nobilis vir Petrus Lejaune, carissimi in Christo filii nostri Hugonis regis Cipri nuncii, quos ipse pro certis negociis ad nos et carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francie illustrem, specialiter destinabit, suas continuantes dietas per diocesim [*sic*] tuam transirent, nobilis vir Guillelmus Valdri ad illicita nimium extendens manus suas, non attendens quod qui accedentes ad Sedem Apostolicam vel recedentes ab ea capiunt, ipso facto [exommunicationis] sententiam incurrunt, quin potius sententiam ipsam in anime sue salutis dispendium, dicte Sedis opprobrium et scandalum plurimorum dampnabiliter vilipendens, episcopum arrestavit, non sine injunctione in eum manuum violenta, et militem predictos cum omnibus bonis et jocalibus que secum habebant cepit in castro Valdri, diocesis prelibate, prefatum etiam cantorem qui dictos episcopum et militem antecedens, auditis arresto et captione hujusmodi, in quadam villa dicta Loye aufugerat, nonnullis sibi complicibus adunatis, obsedit, ac deinde prefato episcopo cum certa parte bonorum suorum dimisso, cantorem in villa obsesum (*sic*) et militem prefatos in castro predictis retinuit captivatum. Cum itaque, dilecte fili, premissa in nostrum et prefati regis Francie opprobrium temerarie attemptata te non deceat equanimiter sustinere, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente quatinus circa liberationem cantoris et militis predictorum ac restitutionem bonorum et jocalium eorundem eis plenarie faciendam sic velis interponere solicitudinis tue partes, quod operis exhibitio evidenter notoriet tibi presumptionem tam temerariam merito displicere. Datum VIII idus februarii, anno decimo septimo.»

5069 7 février 1333.

Comiti Sabaudiae, de sorore ejus, Johanna. (Reg. 117, fol. 60, c. 331).

«*Aymoni, comiti Sabaudie.* Nobili mulieri Johanne, sorori tue, scribimus juxta formam quam continet cedula presentibus interclusa. Tu ergo,

fili, attento tenore dicte cedule, eidem rescribas prout tibi videbitur expedire. Datum VII idus februarii, anno decimo septimo. »

5070 Avignon, 7 février 1333.

Petro de Becourt indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 99, c. 484).

« *Dilecto filio nobili viro Petro de Becourt, militi, Ambianensis diocesis.* Provenit ex tue — Datum Avinione, VII idus februarii, anno decimo septimo.

In e. m. dilecto filio magistro Petro Arquerii, decano ecclesie Rothomagensis, capellano nostro. Datum. »

5071 11 février 1333.

Henricum, dominum de Valgorio, de devotione erga Ecclesiam commendat et ad perseverandum hortatur. (Reg. 117, fol. 111, c. 558).

« *Henrico, domino de Valgorio.* Benigne recepimus nobilitatis — Datum III idus februarii, anno decimo septimo. »

5072 11 février 1333.

Episcopum Lingonensem hortatur ut episcopo Argentinensi contra Ludovicum de Bavaria subsidium adhibeat. (Reg. 117, fol. 113 v°, c. 573 ; — Riezler, *Vatikanische Akten*, n. 1599, p. 547 ; Sauerland, *op. cit.*, n. 686, p. 309).

« *Johanni, episcopo Lingonensi.* Demersus in desperationis laqueum ille iniquitatis filius Ludovicus de Bavaria, hereticus et sismaticus manifestus, vias exquirit continue per quas fideles nostros et Romane Ecclesie tirannidi sue subiciat et continuis afficiat nocumentis. Quod nuper, ut audivimus, dampnabiliter admodum producens in partum, per incolas opidi in Sletzstat, Argentinensis diocesis, ejus in propria dampnatione sequaces, multa fecit Argentinensi ecclesie ejusque hominibus dampna et injurias irrogari et se ampliora inferre, immo manu hostili in eorum destructionem venire personaliter comminatur. Cum autem, frater, dampnando hujusmodi proposito occius occurrendum existat, ad quod subsidium tuum hominum armatorum venerabili fratri nostro Bertholdo episcopo Argentinensi est plurimum oportunum, fraternitatem tuam rogamus et in Domino attencius exhortamur quatinus, attendens provide quod ad supportandum cum eodem episcopo onus hujusmodi divino oraculo incitaris, et prudenter considerans quod propter vicinitatem dicte et Basiliensis tibi commisse ecclesiarum res tua in parte agitur in hoc casu, quantumque tibi in necessitate simili existenti acceptum foret subsidium dicti episcopi vel vicariorum aliorum meditans, diligenter eidem episcopo velis pro nostra et Apostolice Sedis reverencia subsidium hujusmodi, cum pro parte ipsius requisitus fueris, prout oportunum extiterit liberaliter exhibere, taliter quod de promptitudine devotionis merito laudari valeas et tam (1) detestandis dicti Ludovici ausibus possit tam viriliter quam utiliter obviari. Ad hec, quia virtus unita forcior se dispersa existit, ut tu et prefatus episcopus ac venerabiles fratres nostri Ademarus Metensis et Rudolphus Constanciensis episcopi adversus predictum damnationis filium ligam et confederationem unanimem faceretis, alias recolimus nos rogasse et nunc etiam, cum hoc statui illarum partium prospero plurimum sit expediens, te et dictos episcopos iteratis precibus exhortamur. Datum III idus februarii, anno decimo septimo.

In e. m. Radulpho, episcopo Constanciensi.

In e. m. Ademaro, episcopo Metensi. »

5073 12 février 1333.

Philippo de Sanguineto ut injurias a vicario regio Arelatensi aliisque officialibus regiis Raymundo de Moreriis praeposito ecclesiae Arelatensis illatas revocari faciat. (Reg. 117, fol. 59, c. 326).

« *Nobili viro Philippo de Sangineto, comitatuum Provincie et Folqualquerii senescallo.* Exposuit nobis dilectus filius Raymundus de Moreriis, prepositus ecclesie Arelatensis, capellanus noster,

(1) Reg. : *de tam.*

quod licet ipse predecessoresque sui prepositi ejusdem ecclesie per tempora, quorum in contrarium memoria non existit, fuerint et adhuc existat idem prepositus in possessione vel quasi exercendi omnimodam juridictionem altam et bassam ac merum et mixtum imperium in castro suo de Sancto Martino, Arelatensis diocesis, ejusque pertinentiis et districtu, pridem tamen quidam vicarius regius civitatis Arelatensis, suis terminis non contentus, eundem prepositum seu officiales et ministros suos in exercicio juridictionis hujusmodi super certis casibus juridictionem ipsam tangentibus usurpando quantum in eo erat, jura ipsius prepositi et ejusdem Arelatensis ecclesie multipliciter contra justiciam perturbavit, propter quod curia ecclesiastica vigore statutorum quorundam provincialium adversus vicarium ipsum rite procedens, ipsum declaravit et denunciari fecit excommunicationis vinculo innodatum. Cum autem memoratus vicarius ac procurator et alii officiales regii partium illarum vilipendentes dampnabiliter hujusmodi excommunicationis sententiam, sicut fertur, aggraverint et aggravent circa premissa sicut asseritur (1) durius solito manum suam, prelibatum prepositum ad faciendum et prestandum de novo aliqua per tales vias molientes cogere seu inducere, que non latent, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attencius quatinus vicarium, procuratorem et officiales predictos super hujusmodi et similibus insolenciis et injuriis officio tui presidatus cohercens, illatas predicto preposito in hac parte molestationes et injurias facias provide revocari, providendo eidem nichilominus quod in possessione jurisdictionis ejusdem exercicii ulterius indebite non turbetur, taliter id accurans (2) quod tua exinde debeat prudencia merito commendari. Datum II idus februarii, anno decimo septimo.»

5074 Avignon, 12 février 1333.

Privilegium exemptionis monasterio Fiscanensi concessum suspendit eumque jurisdictioni ordinariorum submittit. (Reg. 117, fol. 85 v°, c. 437; — Reg. 104, fol. 1, c. 2).

(1) Reg. : *asserit.*
(2) Reg. : *accuras.*

« *Ad futuram rei memoriam.* Romanus pontifex ecclesiarum et monasteriorum omnium curam gerens eis privilegia concedit interdum que plerumque causis suadentibus rationabilibus revocat vel suspendit. Cum itaque monasterio Fiscanensi, ordinis sancti Benedicti, Rothomagensis diocesis, ejusque abbati et conventui ac personis et membris dudum exemptionis privilegia Sedes Apostolica duxerit sicut accepimus concedenda, nos, certis causis rationabilibus que nostrum ad id animum induxerant, privilegia exemptionis hujusmodi quecumque et qualiacumque sint et sub quacumque forma vel expressione verborum prelibatis monasterio, abbati, conventui, personis et membris comuniter vel divisim concessa et eorum effectum tenore presentium suspendimus, ac eosdem abbatem et conventum et personas ordinariorum jurisdictioni et potestati subicimus usque ad beneplacitum dicte Sedis, non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgenciis et litteris apostolicis quibus forsan prelibatis abbati conventui et personis communiter vel divisim a Sede predicta esset indultum quod venerabilis frater noster .. archiepiscopus et dilecti filii capitulum Rothomagenses seu ejusdem persone capituli vel quicumque alii non possint in eos jurisdictionem aliquam ordinariam aut delegatam quomodolibet exercere, que quoad hoc quamdiu dicta durabit suspensio prenominatis abbati conventui et personis in nullo volumus suffragari, supradictis abbati, conventui et personis eorumque singulis districtius nichilominus inhibentes ne privilegiis supradictis uti presumant quomodolibet, eadem suspensione durante. Contrarium vero facientes posquam (*sic*) suspensio hujusmodi ad eorum noticiam pervenerit, personas singulares videlicet excommunicationis et conventus suspensionis sentencias incurrere volumus ipso facto. Nulli ergo etc... Datum Avinione, II idus februarii, anno decimo septimo.»

5075 Avignon, 12 février 1333.

Archiepiscopo Rothomagensi ut suspensionem praedictam publicet. (Reg. 117, fol. 85 v°, c. 438; Reg. 104, fol. 1).

« .. *archiepiscopo Rothomagensi.* Romanus etc... — Datum ut supra.»

5076 Avignon, 12 février 1333.

Johanni de Blesis declarat quod canonicatus et archidiaconatus Dunenses vacantes sibi collati tempore promotionis Bartholomei, Forojuliensis episcopi, intelliguntur sub reservatione generali. (Reg. 117, fol. 86, c. 439 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 59585).

« *Johanni de Blesis, archidiacono Dunensi in ecclesia Carnotensi.* Dudum volentes venerabili — Datum Avinione, II idus febroarii, anno decimo septimo. »

5077 13 février 1333.

Ricardae relictae Hugonis Bernardi de Pristinio indulgentiam in articulo mortis in e. m ac Petro de Pristinio, archipresbitero ecclesiae Bononiensis, concedit. (Reg. 117, fol. 89, p. c. 455).

« In e. m. (1) nobili mulieri Ricarde, mulieri relicte quondam Hugonis Bernardi de Pristinio, Caturcensis diocesis, verbis competentibus mutatis. Datum Avinione, idibus februarii, anno decimo septimo. »

5078 Avignon, 19 février 1333.

Ricavo de Gorda recipiendi a mercatoribus societatis Bardorum de Florencia in Flandriae et Brabantiae partibus seu Parisius commorantibus pecunias pro pannis emendis facultatem concedit. (Reg. 117, fol. 80, c. 420 ; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 652, n. 3392).

« *Ricavo de Gorda, civi et mercatori Avinionensi.* Cum ad Flandrie (2) — Datum Avinione, XI kalendas marcii, anno decimo septimo. »

5079 Avignon, 20 février 1333.

Egidio Moterii ad partes ultramarinas pro locis sanctis visitandis eundi facultatem concedit. (Reg. 117, fol. 80, c. 421).

(1) c. 455 : *Pro Petro de Pristinio, archipresbitero Bononiensi.*
(2) Reg. : *Flrandie.*

« *Nobili viro Egidio Moterii, domino de Champestyeras, Claromontensis diocesis.* Tue devotionis exigentibus — Datum Avinione, X kalendas marcii, anno decimo septimo.

Item in e. m. Raymundo del Chier, clerico chori ecclesie Aniciensis. Datum ut in proxima. »

5080 Avignon, 21 février 1333.

Gaucelmo Martini testandi facultatem concedit. (Reg. 117, fol. 80 v°, c. 422 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 59611).

« *Magistro Gaucelmo Martini, priori secularis ecclesie Beate Marie de Salis Biturcensis, scriptori nostro.* Quia presentis vite — Datum Avinione, IX kalendas marcii, anno decimo septimo. »

5081 23 février 1333.

Guilhalmono militi Caturcensi de infirmitate compatitur eumque hortatur ut in dispositione bonorum suorum Johannem, natum suum ipsiusque papae familiarem et nepotem commendatum habeat. (Reg. 117, fol. 114, c. 575).

« *Nobili viro Guilhalmono, militi Caturcensi.* Non sine compassione te, fili, hiis diebus audivimus, visitante Domino qui flagellat plerumque quos diligit, debilitate corporis et infirmitate gravatum. Sane quia personam tuam velut Deo devotam et Ecclesie sancte sue affectione dilectionis paterne prosequimur, in visceribus caritatis desiderabiliter affectamus quod tu, quem Deus prudencia et circumspectione in hac vita dotavit, illis in tuorum dispositione bonorum, presertim circa ea que salutem anime respiciunt, gratia tibi assistente divina, utaris, nobilitatem tuam rogamus et in Domino attencius exhortamur quatinus, habens pre occulis solum Deum, sic prudenter et provide, communicato amicorum consilio et illorum maxime qui tuum honorem et salutem anime diligunt, te gerere studeas in tuorum dispositione bonorum, dilectum filium nobilem virum Raymundum Johannis natum tuum, nepotem ac familiarem nostrum, habendo recomendatum ut decet, quod post decursum vite presentis ins-

tabilis tua memoria celebris in hoc mundo illesa remaneat, tu quoque perennibus perfrui gaudiis, Ipso prestante qui in sui dispositione non fallitur, merearis. Datum VII kalendas marcii, anno decimo septimo. »

5082 24 février 1333.

Seguinae de Sancto Amancio indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 89 v°, p. c. 456).

« Item in e. m. (1) Seguine de Sancto Amancio, abbatisse monasterii de Regula, Lemovicensis diocesis, ordinis santi Benedicti. Datum VI kalendas marcii, anno decimo septimo.

Item in e. m. nobili mulieri Margarite, relicte quondam Guillelmi de Sancto Amantio, Lemovicensis diocesis. Datum ut supra in proxima. »

5083 24 février 1333.

Regi Franciae negotia quae Bernardus Jordani, dominus de Insula, in regali curia expedire habet commendat. (Reg. 117, fol. 110, c. 547).

« *Regi Francie.* Cum dilectus filius — Datum VI kalendas marcii, anno decimo septimo.

In e. m. regine Francie.

In e. m. Miloni, domino de Noeriis, verbis competentibus mutatis.

In e. m. Guillelmo de Sancta Maura, dicti regis cancellario. »

5084 24 février 1334.

Regi Franciae negocia quae Arnaldus de Trianno, vicecomes Talardi, in regali curia expedire habet commendat. (Reg. 117, fol. 110, c. 548).

« *Regi Francie.* Dilectum filium nobilem Datum ut supra.

In e. m. regine Francie.

In e. m. cancellario regis, mutatis mutandis.

(1) Cf. n. 5109.

In e. m. Ludovico, duci Borbonesii, verbis competentibus mutatis.

In e. m. domino de Valgorio. »

5085 24 février 1333.

Regi Franciae negotia Bernardi, comitis Convenarum, fratrumque ejus commendat. (Reg. 117, fol. 110 v°, c. 549).

« *Regi Francie.* Dilectos filios nobiles — Datum ut supra [VI kalendas marcii, anno decimo septimo]. »

5086 24 février 1333.

Regi Franciae negotia quae Petrus de Via, dominus Villemuri, nepos suus, expedire habet in regali curia, commendat. (Reg. 117, fol. 110 v°, c. 550).

« *Eidem regi.* Dilectum filium nobilem — Datum ut supra.

In e. m. regine Francie. »

5087 24 février 1333.

Duci Borbonesii, de eodem. (Reg. 117, fol. 110 v°, c. 551).

« .. *duci Borbonesii.* Cum dilectus filius — Datum ut supra [VI kalendas marcii, anno decimo septimo].

In e. m. cancellario regio.

In e. m. Miloni, domino de Noeriis.

In e. m. domino de Valgorio. »

5088 Avignon, 25 février 1333.

Raymundo de Chameraco, canonico Massiliensi, ut tempus solutionis trium millium librarum burdegalensium, quas de bonis quondam Garciae, episcopi Aquensis, reservatis Oliverius de Inghinam, senescallus Vasconiae pro Eduardo rege Angliae, receperat, usque ad instans festum beati Michaelis de mense septembris proroget,

eumdemque senescallum ab excommunicatione quam propterea incurrit, absolvat. (Reg. 117, fol. 101, c. 493).

« *Eidem nuntio* [*magistro Raymundo de Chamereco, canonico Massiliensi, Apostolice Sedis nuncio*]. Ex tenore petitionis — Datum Avinione, V kalendas marcii, anno decimo septimo. »

5089 Avignon, 27 février 1333.

Aurasicensi Cavallicensique episcopis et praeposito ecclesiae Avinionensis, ne permittant decanum et capitulum ecclesiae Beati Agricoli Avinionensis in possessionibus suis a quibuscumque usque ad quinquennium molestari. (Reg. 117, fol. 53, c. 304).

« *Judicibus*: .. *Aurasicensi et Cavallicensi episcopis ac .. preposito ecclesie Avinionensis*. Militanti Ecclesie, licet — Datum Avinione, III kalendas marcii, anno decimo septimo. »

5090 28 février 1333.

Regi Franciae, de tractatu facto cum rege Bohemiae. (Reg. 117, fol. 107 v°, c. 530).

« .. *regi Francie*. Quia in hiis que tractata fuerunt inter nos et carissimum in Christo filium nostrum J. regem Boemie illustrem, dum idem rex in Romana esset curia, regium reservatum non fuit beneplacitum, regiam fuisse intelleximus benivolenciam perturbatam, quod ex hoc supponimus utique provenisse quod ea que nobis super illis excellencia regia scripserat memoriter non tenebat, que si profecto ad suam revocasset memoriam, profecto nulla turbationis affuisset materia, sed graciarum pocius actionis. Per litteras quidem regias nobis prefati regis negocia velut propria celsitudo regia commendavit, ipsaque Deo grata reique publice expediencia et ad nostrum et ejusdem Ecclesie honorem et commodum asseruit pertinere; nec hiis contenta, ad premissa promovenda et prosequanda negocia suum proprium, videlicet magistrum Petrum Galvangni, Parisiensem canonicum, destinavit nuncium ipsaque negocia regiis aliis nuntiis qui [in Curia] erant commendavit. Rursus si diligenter attendisset circumspectio regia quam sit tractatus ipse debilis tamque difficilis ad complendum existat, utique nullam turbationis ingessisset materiam prout ex ipsius tenore tractatus quem celsitudini misimus regie percipere potuit evidenter. Sed quicquid de hoc tractatu (1) fuerit, hoc pro nobis et rege prefato excellentie jamdudum obtulimus ac in presenciarum offerimus regie quod, si sibi placuerit, a tractatu predicto parati sumus prorsus recedere, sic quod pro infecto penitus habeatur; nec enim nostra nec dicti regis fuit intentio in predicto tractatu deducere aliqua que deberent regie celsitudini displicere. Hec alias scripsimus, sed quia nondum ad nos pervenit an scripta nostra ad manum regiam venerint, iterum duximus hec scribenda. Gratia Dei in agendis cor regium dirigat et protegat ab adversis. Datum II kalendas marcii, anno decimo septimo. »

5091 28 février 1333.

Regi Franciae, de quibusdam sermonibus praedicatis per papam et alios. (Reg. 117, fol. 108, c. 531); — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 547, n. 1600; — Denifle et Chatelain, *Chartularium*, t. II, n. 971; — Vidal, *op. cit.*, n. 129, p. 191).

« *Eidem regi*. Quia, sicut habet multorum relatio fidedigna, lingua tertia, vera supprimens ac falsa suggerens, nisa est nec niti desinit contra nos et ea que in nonnullis nostris sermonibus de visione divine essencie diximus, an eam sanctorum anime ante resurectionem corporum habeant, regium animum perturbare, ut cedat falsitas veritati, venerabili fratri nostro P. Rothomagensi archiepiscopo, qui in multis ex sermonibus ipsis interfuit, cuique auctoritates tam canonicas quam sanctorum per nos in dictis inductas sermonibus in scriptis tradimus, duximus committendum, ut de hiis necnon et de captione cujusdam predicatoris capti Avinione per inquisitores heretice pravitatis, de quo falso suggestum est excellencie regie quod, quia predicaverat quod ante resurrectionem corporum sanctorum anime vident divinam essenciam, captus fuit, cum non ex hoc captus fuerit, sicut nec alii capti predicantes talia extiterunt, sed propter alia que in sua predicatione [dixit] ex quibus, ut dicitur, suspectus de pravitate heretica

(1). *Sic*. Corr. *tractatum* ?

merito habebatur, curet regalem providenciam informare ; cui, quesumus, velit benivolencia regia super predictis benignam prebere audienciam et fidem super hiis que circa predicta exponenda duxerit adhibere. Gratia Domini Nostri Jhesu Christi cor regium in agendis dirigat et protegat ab adversis. Amen. Datum ut supra [II kalendas marcii, anno decimo septimo]. »

5092 28 février 1333.

Regi Franciae moram nuntiorum regiorum in curia excusat, nonnulla de passagio notificando. (Reg. 117, fol. 108, c. 532).

« *Eidem regi.* Super mora in curia per nuncios contracta regios contra spem regiam atque nostram, quesumus, benivolencia regia excusatos habeat nos et ipsos, quia profecto nec ipsorum fuit negligencia neque nostra, cum ipsi pro sua expeditione plerumque etiam importune institerint, nosque pretermissis negociis aliis ad eorum expeditionem celerem cum nostris fratribus curavimus operosum studium adhibere ; sed sedula nuntiorum ipsorum diligencia que verba sua responsionesque nostras ponderabat attentissime quibusque una plerumque non sufficiebat responsio, sed eandem peticionem ut possent pinguiorem responsionem assequi plerumque sepius refutabant, propter que nos oportuit super illis deliberare cum nostris fratribus et tractare, utique obstitit ne juxta votum nostrum et regium celerius poterint expediri. Sed ecce ipsos ad illum qui eos misit remittimus ad Dei honorem, utilitatem passagii laudemque regiam ut credimus feliciter expeditos. Excellentiam autem regiam credimus non latere quomodo Sarraceni transmarini et cismarini regnum (1) Castelle atrociter invaserunt et quomodo se dicuntur disponere ipsum conflatis viribus cum Sarracenorum innumerosa multitudine invadere et vastare ; propter que filius noster in Christo carissimus Alfonsus, rex Castelle illustris, misit ad curiam pro decimali et aliis subsidiis obtinendis. Et idem faciunt carissimi in Christo filii nostri Alfonsus Aragonum et Alfonsus Portugalie reges illustres qui jamdiu miserunt ad curiam pro similibus subsidiis obtinendis. Ceterum cujusdam tenorem cedule intercluse quibusdam litteris per carissimum in Christo filium nostrum R. regem Sicilie illustrem nobis directis noviter presentibus providimus includendum. Datum ut supra [II kalendas marcii, anno decimo septimo]. »

(1) Reg. : *regni*.

5093 28 février 1333.

Regi Franciae de regno Scotiae. (Reg. 117, fol. 108 v°, c. 533).

« *Eidem regi.* Super facto carissimi in Christo filii nostri David, regis Scotie illustris, litteras recepimus regias et cum super contentis in eis deliberassemus cum nostris fratribus, supervenerunt nova, quod invasor regni predicti de dicto regno prorsus ejectus fuerat, propter quod nobis pro parte cancellarii regis predicti supplicatum extitit ut deberemus a missione nuntiorum pro qua supplicarat abstinere. Ideoque non miretur circumspectio regia si ad presens, sicut regie postulaverunt littere, ad partes illas nuntios minime destinemus. Datum ut supra [II kalendas marcii, anno decimo septimo]. »

5094 28 février 1333.

Regi Franciae de ipsius recessu versus Italiam differendo. (Reg. 117, fol. 108 v°, c. 534).

« *Eidem regi.* Super recessu nostro de Avinione versus partes Italie differendo, celsitudinis regie litteras meminimus recepisse, ad que (*sic*) tale damus tenore presentium responsum quod viam predictam aggredi non intendimus nisi ea ac ejus causa antea excellentie regie intimata. Datum ut supra. »

5095 28 février 1333.

Regem Franciae iterum rogat ut molestias ab officialibus suis Ecclesiae illatas cessare faciat. (Reg. 117, fol. 108 v°, c. 535).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Regalem decet excellenciam Ecclesie Christi sponse, que ad tanti regni pre tuis participibus te, fili carissime, vocavit regimen, te liberalem, propicium et benignum exhibere, officialesque regios ab ejus refrenare molestiis ac commissum tibi populum sic clementer et juste preservare a noxiis et ad ea dirigere que Regi regum, per quem regnas et regeris, sunt accepta quod de hujusmodi regni administratione terreni ad regnum merearis glorie feliciter pervenire. Super quo circumspectioni regie preces nos porrexisse meminimus alias que nondum fuerunt ad exauditionis gratiam introducte. Et quia venerabili fratri nostro Petro Rothomagensi archiepiscopo super premissis imposuimus aliqua magnificencie regie exponenda, eandem precamur attente ut eidem benignam prebere dignetur audienciam ejusque salutaria monita exaudire. Per hoc enim et ipsius sponsi uberiorem promereberis gratiam, et sponsam ipsam astringes tibi vinculo forciori. Gratia Domini Nostri Jesu Christi cor regium in agendis dirigat et protegat ab adversis. Amen. Datum ut supra [II kalendas marcii, anno decimo septimo]. »

5096 28 février 1333.

Regi Franciae de subsidio ab Hospitalariis exhibendo in futuro transmarino passagio. (Reg. 177, fol. 108 v°, c. 536).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Quia regales nuncii certificari pecierant sepius quale in futuro transmarino passagio Hospitalarii subsidium exhiberent, ipsis respondimus de hoc nos certitudinem non habere. Sed ecce post nunciorum ipsorum recessum, deliberatione cum nostris fratribus diligenti prehabita, ut super hoc possimus respondere certius, duximus ordinandum quod in toto regno Francie inquisitio per personas sufficientes diligens fiet de proventibus bonorum Hospitalis et Templi ut, ea scita deductisque oneribus, scire possimus certius quale onus ipsis possit imponi; et nichilominus alia circa hoc ordinavimus facere per que reddi certiores poterimus quale sit illi subsidium imponendum. Datum ut supra. »

5097 28 février 1333.

Regi Franciae scribit se tractatum cum nuntiis Bavari renuisse, cum mandatum sufficiens non exhiberent. (Reg. 117, fol. 109, c. 537).

« *Eidem regi*. Ut que nobiscum egerant Bavari nuntii celsitudo regia non ignoret, ecce quod quia mandatum sufficiens non habebant oblataque per ipsos erant insufficiencia ad ea que idem commiserat Bavarus comparata et que petebant per nos sibi fieri erant omni obvia rationi, tractatum cum eis habere renuimus, hoc eis benignius conferentes quod [si] ipsi nobis sufficiens mandatum pro parte sua exhiberent offerrentque nobis conveniencia et peterentur talia que sine Dei offensa et injuria proximi sint concessibilia, nos sic pie sicque clementer erga eundem Bavarum nos habere intendimus quod se merito poterit commendare; quo responso recepto, ad propria remearunt. Datum ut supra. »

5098 28 février 1333.

Reginae Franciae de tractatu cum rege Bohemiae habito. (Reg. 117, fol. 109, c. 538).

« *Regine Francie*. Licet carissimus in Christo filius noster Philippus, rex Francie [illustris], negocia filii nostri in Christo carissimi J., regis Boemie illustris, per suas nobis commendaverit litteras velut sua, necnon et pro ipsis procurandis ac promovendis proprium nuntium, videlicet magistrum P. Galvanii, Parisiensem canonicum, ad nostram presenciam destinarit, eaque nichilominus regiis nunciis in curia existentibus duxerit committenda, male forsitan informatus tractatum super hiis habitum, quia in eo non fuit ejus servatum beneplacitum, sicut accepimus moleste portavit. Cum itaque nec nostra nec regis prefati intencio fuerit in tractatu predicto deducere aliqua que debentur regio beneplacito displicere, eidemque regi pro nobis et rege predicto per nostras obtulerimus litteras si sibi placuerit a tractatu predicto prorsus recedere, sic quod pro infecto penitus habeatur, reginalem benivolenciam deprecamur attente ut sic partes tue solicitudinis digneris interponere quod

regalis turbatio quiescat. Datum ut supra [II kalendas marcii, anno decimo septimo].»

5099 28 février 1333.

Reginam Franciae de zelo erga Ecclesiam commendat eamque hortatur ut Rothomagensi archiepiscopo quaedam de visione animarum expositurо fidem adhibeat. (Reg. 117, fol. 109, c. 539).

« *Eidem regine.* Reminiscatur Deus, benedictionis et gratie filia, fidelis servicii et pie compassionis que sponse Christi nobisque ejus in terris vicario in tempore malo studuit tua magnificencia exhibere, [que] contra nos et eam linguam terciam (1) que vera supprimens et falsa suggerens presumpsit temere tam contra illam quam contra nos regium irritare animum se prudenter opposuit affectumque ad nos et ipsam curavit servare illesum, pro quo tue magnificencie non indigne gratiarum exsolvimus uberes actiones, prompti ea exequi que tuum respicient comodi seu honoris augmentum. Sane, filia carissima, linguam terciam illos intelligimus qui mendaciter nobis ascribere presumpserunt multa de animabus dampnatis et sanctis dixisse que non diximus, quicquid diximus aliter quod dixerimus nos dixisse. Que quia brevi sermone non possent exprimi, illa venerabili fratri nostro P., archiepiscopo Rothomagensi, qui quasi in omnibus sermonibus nostris predictis interfuit cuique auctoritates canonis et sanctorum quas ad probandum que diximus in scriptis tradidimus, tue magnificencie lacius exprimenda [duximus committenda], cui eadem tua dignetur magnificencia benignam prebere audienciam hiis et credere que ex parte nostra circa illa duxerit exponenda. Gratia Domini Nostri Jesu Christi te, benedictionis filia, in agendis dirigat et protegat ab adversis. Datum ut supra.»

5100 Avignon, 4 mars 1333.

Raymondo de Tapia ejusque uxori indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 89, p. c. 455).

(1) *Sic.* Corr. : *lingue tercie* ?

« Item in e. m. (1) nobili viro Raymundo de Tapia, Albiensis diocesis, et nobili mulieri Mathie de Araga ejus uxori, verbis competentibus mutatis. Datum Avinione, IIII nonas marcii, anno decimo septimo.»

5101 6 mars 1333.

Regi Franciae, de episcopo Belvacensi ad loca remota profecturo et de cujusdam principis animae salute. (Reg. 117, fol. 109, c. 540).

« *Regi Francie.* Ad regalem deducimus [noticiam] per presentes quod venerabilis frater noster J., Belvacensis episcopus, nobis geminas clausas litteras regias assignavit ; in quarum una affectuosa continebatur episcopi prefati recommendatio super impercienda sibi proficiscendi ad loca quedam remota licencia, ac ut super hiis, que a nobis postulanda duceret, eidem gratiosi existere deberemus. Que utique prompte curavimus executioni mandare, quorum primum profecto non concessissemus aliquatenus nisi regium et regale super eo complendo desiderium expressisset, quo percepto, ejus votis immo regiis et reginali potius annuendum duximus, si tamen sine persone sue periculo illud potuerit probabiliter adimplere. Secunda vero littera continebat quod super quibusdam secrete multum pro parte sibi impositis regia ipsum vellemus audire cum diligencia ac super hiis que pro parte regia referenda duceret indubiam fidem dare ; quem non indigne diligenter audivimus, cujus credencie explicatio cor nostrum ingenti gaudio et exultatione replevit. Per illam quidem evidenter percepimus quod Ille, in cujus manu corda regum existunt et quo voluit vertit ea, in cor illius principis, de quo mentionem predicta credencia faciebat gratiam suam benigne diffuderat, ipsumque a ruina spirituali maxima preservavit ; de quo nos de illius salute inmense gaudentes, gratias quas valuimus exhibuimus gratiam hujusmodi diffundenti. Et quia de salute principis predicti in quem suam effudit Altissimus gratiam te, fili carissime, novimus solicitum et intentum ipsumque promptum se tuis beneplacitis conformare, regiam deprecamur benivolenciam et obsecramus per viscera miseri-

(1) *Pro Petro de Pristinio, archipresbitero Bononiensi.* (cap. 455).

cordie Dei nostri quatinus dignetur celsitudo regia instare sedule apud Eum, ne spiritum extingat premissum spirantem gratiam, sed ad eam nutriendam et conservandam jugiter studeat diligenciam adhibere, attente considerans quod nemo ponens manum ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei, sed hiis qui in bonis desideriis et operibus perseverant est salus, juxta Salvatoris nostri testimonium, repromissa. Gratia Domini Nostri Jhesu Christi cor regium in agendis dirigat et protegat ab adversis. Datum II nonas marcii, anno decimo septimo. »

5102 6 mars 1333.

Decano Ambianensi, de transmissione quarumdam litterarum archiepiscopo Rothomagensi assignandarum. (Reg. 117, fol. 111, c. 556).

« .. *decano ecclesie Ambianensis.* Cum nonnullas nostras, quas exhibere debet tibi lator presentium, litteras velimus per venerabilem fratrem nostrum P., archiepiscopum Rothomagensem, eis quibus illas dirigimus presentari, discretioni tue imponimus et mandamus quatinus eas eidem archiepiscopo quam citius assignare procures. Et si forsan, quod tamen non credimus, dictus archiepiscopus quamdiu rex Aurelianis moram fecerit non venisset, tu eas per te quibus illas diri[gi]mus diligenter studeas assignare, nos redditurus per tuas litteras quid super hiis egeris, et de die receptionis illarum celeriter certiores. Datum II nonas marcii, anno decimo septimo. »

5103 Avignon, 7 mars 1333.

Regi Franciae Guillelmum de Reliana, Sancti Egidii, et Sicardum de Guavareto, Tholosae priores Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, qui de partibus transmarinis venientes quaedam pro parte magistri Hospitalis praedicti et conventus Rhodi explicare habent, commendat. (Reg. 117, fol. 110, c. 544).

« *Regi Francie.* Cum dilecti filii — Datum Avinione, nonis marcii, anno decimo septimo. »

5104 7 mars 1333.

Johanni Audeguerii ejusque uxori indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 54 v°, c. 308).

« *Nobili viro Johanni Audeguerii, militi, et nobili mulieri Verane, ejus uxori, civibus Avinionensibus.* Provenit ex vestre — Datum nonis marcii, anno decimo septimo.

In e. m. nobili viro Guillelmo de Borbono, militi, et nobili mulieri Caterine ejus uxori, civibus Avinionensibus. Datum ut supra. »

5105 Avignon, 8 mars 1333.

Guillelmo de Borbono ejusque uxori indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 56 v°, c. 314).

« *Dilecto filio nobili viro Guillelmo de Borbono, militi, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Catherine, ejus uxori, civibus Avinionensibus.* Provenit ex vestre — Datum Avinione, VIII idus marcii, anno decimo septimo.

In e. m. dilecto filio nobili viro Johanni Audeguerii, militi, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Verane, ejus uxori, civibus Avinionensibus. Datum ut supra. »

5106 Avignon, 8 mars 1333.

Episcopo Belvacensi licenciam celebrandi antequam dies illucescat concedit. (Reg. 117, fol. 87, c. 440).

« *Johanni, episcopo Belvacensi.* Sincere devotionis affectus — Datum Avinione, VIII idus marcii, anno decimo septimo. »

5107 Avignon, 8 mars 1333.

Eidem episcopo ad Sepulcrum Domini ituro, quod ipse et confessor suus possint interim confessiones familiarium suorum audire eosque absolvere. (Reg. 117, fol. 87, c. 441).

« *Eidem.* Personam tuam — Datum Avinione ut supra. »

5108 Avignon, 8 mars 1333.

Eidem licenciam Sepulcrum Domini visitandi concessit. (Reg. 117, fol. 87, c. 442).

« *Eidem.* Tue devotionis exigentibus — Datum ut supra [Avinione, VIII idus marcii, anno decimo septimo]. »

5109 Avignon, 8 mars 1333.

Episcopo Belvacensi indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 89, c. 456).

« *Johanni, episcopo Belvacensi.* Provenit ex tue — Datum Avinione, VIII idus marcii, anno decimo septimo. »

5110 8 mars 1333.

Magistro Hospitalis episcopum Belvacensem commendat. (Reg. 117, fol. 62 v°, c. 348).

« *Heliono de Villanova, magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani.* Cum venerabilis frater noster Johannes, episcopus Belvacensis, qui tibi et ordini Hospitalis in regno Francie utilis esse potest, ad illas partes pro visitando Sepulcro Dominico et aliis oratoriis Terre Sancte accedat, discretionem tuam rogamus et hortamur attente quatinus eundem episcopum in hiis que sibi oportuna cognoveris velis habere propensius commendatum.Datum VIII idus marcii, anno decimo septimo. »

5111 Avignon, 9 mars 1333.

Guillelmo, electo Parisiensi, munus consecrationis recipiendi tempus usque ad instans festum Penthecostes iterum prorogat. (Reg. 117, fol. 87, c. 443 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 59772).

« *Guillelmo, electo Parisiensi.* Meritis tue devotionis — Datum Avinione, VII idus marcii, anno decimo septimo. »

5112 9 mars 1333.

Bertrando de Blacassio indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 139, p. c. 687).

« In e. m. (1) pro Bertrando Blacassio de Alpibus, Forojuliensis diocesis. Datum VII idus marcii, anno decimo septimo.

In e. m. pro Audiberto Raymundi de Alpibus, Forojuliensis diocesis. »

5113 10 mars 1333.

Regi Franciae negotia quae Johannes, Sancti Angeli diaconus cardinalis, ratione praebendae et cantoriae ecclesiae Bajocensis sibi collatarum in regali curia expedire habet, commendat. (Reg. 117, fol. 110 v°, c. 552).

« *Regi Francie.* Cum, sicut accepimus — Datum VI idus marcii, anno decimo septimo. »

5114 10 mars 1333.

Reginae Franciae negotia ejusdem cardinalis commendat. (Reg. 117, fol. 110 v°, c. 553).

« *Regine Francie.* Cum dilectus filius — Datum ut supra. »

5115 10 mars 1333.

Duci Borbonesii eundem cardinalem commendat. (Reg. 117, fol. 110 v°, c. 554).

« *Ludovico, duci Borbonesii.* Negocia dilecti filii — Datum ut supra [VI idus marcii, anno decimo septimo].

(1) *Pro Ligerio de Offerio, militi, Neapolitano* (c. 687).

In e. m. Miloni, domino de Noeriis
In e. m. cancellario regio, mutatis mutandis.»

5116 Avignon, 10 mars 1333.

Raymundo Porcelleti et ejus uxori indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 129 v°, p. c. 664).

« In e. m. (1) Raymundo Porcelleti, Arelatensis diocesis, et Flamenge de Falconibus, ejus uxori. Datum Avinione, VI idus marcii, anno decimo septimo.»

5117 12 mars 1333.

Milonem, dominum de Noeriis, de devotione erga Ecclesiam commendat, et ad perseverandum hortatur. (Reg. 117, fol. 110 v°, c. 555).

« *Miloni, domino de Noeriis.* Quod Deum reverearis — Datum IIII idus marcii, anno decimo septimo.»

5118 Avignon, 12 mars 1333.

Ecclesiam parrochialem de Deopantala Montisalbanae diocesis, quam quondam Fortius de Cantirano ultimus rector obtinebat, reservat. (Reg. 117, fol. 87 v°, c. 444).

« *Ad futuram rei memoriam.* Cum sicut fidedigna — Datum Avinione, IIII idus marcii, anno decimo septimo.»

5119 12 mars 1333.

Regi Franciae, de ejusdem regis litteris negotium secretum et sermones Avinione praedicatos tangentibus. (Reg. 117, fol. 109 v°, c. 541 ; — Vidal, *op. cit.*, n. 130, p. 194 ; — Denifle et Chatelain, *Chartularium*, t. II, p. 417, n. 973).

(1) *Pro nobili viro Perroto Spici Kakasii ejusque uxori, Neapoletanis* (c. 664).

« *Eidem regi.* Innotuimus nuper per nostras litteras excellencie regie quomodo venerabilis frater noster J., Belvacensis episcopus, binas nobis litteras regias assignaverat. Quid autem nobis, ratione secreti per alteram illarum litterarum sibi commissi, nobis exposuerit, ideo non clare sed sub quodam nubilo scripsimus, quia celsitudo regia illa volebat, sicut idem nobis expressit episcopus et satis innuebat nobis missa littera, ad presens secreto teneri, et sumus veriti quod si ea expressissemus nobis exposita in nostris litteris clarius possent illa ad noticiam legentis ipsas litteras nostras preter conscientiam regiam pervenire. Credimus tamen quod idem episcopus excellencie regie illa latius explicabit. Tenorem autem litterarum missarum alias magnificencie regie continet sedula (*sic*) presentibus interclusa. Sane quia, sicut intelleximus, viri mendaces non cessant mendaciis variis animum regium contra nos irritare, rogamus circunspectionem regiam ut nolit talibus fidem dare. Quicquid enim de fratre illo capto Avinione exposuerunt, quantum ad hoc quod nos ipsum ceperimus aut captum teneamus, quodque captus est quia predicaverat sanctorum animas videre divinam esse[n]ciam, et quod in diro carcere detinetur, totum est veritati [contrarium], quia non per nos sed per inquisitores heretice pravitatis captus extitit, et captus detinetur, nec ob hoc quod premissa predicaverat, cum nonnulli alii predicaverint et plures de hoc disputaverint qui nequaquam fuerunt capti, sed quia in sermone suo dogmatizare hereses dicebatur ; ideo ab inquisitoribus fuit captus, et adhuc detinetur non in diro carcere, sed in una honesta camera de qua in suo ordine esset bene contentus. Item, quia, ut intelleximus, falso denuo suggesserunt quod Predicatoribus est Avinione per nos predicationis officium interdictum, hoc noverit benivolencia regia esse falsum. Verum est quod sicut Parisius predicatur clero de mane in domo Predicatorum in diebus dominicis, et festivis in domo Minorum, sic et Avinione servatur. Et quia ille qui committebat sermones in domo Predicatorum, dimissis multis doctoribus in theologica facultate, eligebat tales qui dicebantur hereses predicare, ordinavimus quod tam pro diebus dominicis quam festivis per.. nostrum camerarium, tam in domo Minorum quam in domo Predicatorum, debeant predicatores prelegati (1) vel alii ydonei

(1) Reg. : *preletati.*

assignari predicandi populo, tam in eorum domibus quam in parrochialibus ecclesiis, dictis ordinibus facultate solita reservata. Datum IIII idus marcii, anno decimo septimo. »

5120 12 mars 1333.

Reginae Franciae de eodem, ut regem a fide praedictis doctoribus adhibenda dissuadeat. (Reg. 117, fol 110, c. 542).

« *Regine Francie.* Quia sicut intelleximus viri mandaces non cessant etc... ut supra usque in finem. Et quia regi filio nostro carissimo hec etiam nostris litteris intimamus, precibus nostris adicimus quatinus ne fidem adhibeat hujusmodi doctoribus ex predictis velit tua benivolencia sedulam et oportunam diligenciam adhibere. Datum ut supra. »

5121 12 mars 1333.

Petro, archiepiscopo Rothomagensi ut de praemissis dictos regem et reginam plenius informare studeat. (Reg. 117, fol. 110, c. 543).

« *Petro, archiepiscopo Rothomagensi.* Quia, ut intelleximus, viri mendaces falso suggerere regie celsitudini satagunt quod Predicatoribus est Avinione per nos predicationis officium interdictum, fraternitatem tuam super hoc, super quo etiam regi et regine scribimus, volumus informari quod sicut Parisius predicatur clero in domo Predicatorum in diebus dominicis et in festis in domo Minorum, sic et Avinione servatur etc... ut supra usque in finem. Volumus itaque quod super premissis prout expedire cognoveris regem et reginam predictos studeas plenius informare. Datum ut supra [IIII idus marcii, anno decimo septimo]. »

5122 16 mars 1333.

Eduardo, domino de Bellojoco, et Mariae, natae Johannis de Til, quod matrimonium in septimana post instans festum Resurrectionis Dominicae solemnisare possint. (Reg. 117, fol. 80 v°, c. 423).

« *Nobili viro Eduardo, domino de Bellojoco, et nobili mulieri Marie, nate nobilis viri Johannis de Til, Lugdunensis et Eduensis diocesum.* Gratiosa Sedis Apostolice benignitas nonnunquam (1) aliqua personis generis nobilitate pollentibus Deo et ipsi Sedi devotis concedere consuevit que aliis merito denegantur. Sane pro parte vestra coram nobis exhibita peticio continebat quod vos de voluntate amicorum utriusque matrimonium expresso interveniente consensu invicem contraxistis. Verum quia certis ex causis coram nobis expositis matrimonium ipsum in septimana post instans festum Resurrectionis Dominice inmediate sequenti solennisare in facie Ecclesie affectatis, idque fieri prohibitione obstante canonum nequit absque dicte Sedis licencia speciali, nos vestris supplicationibus inclinati ut hujusmodi matrimonium inter vos quocumque die septimane predicte non obstante canonum prohibitione predicta, dummodo aliud non obsistat canonicum, in facie Ecclesie solennisari valeat vobis tenore presentium indulgemus. Nulli ergo etc. Datum XVII kalendas aprilis, anno decimo septimo. »

5123 Avignon, 20 mars 1333.

Guillelmo Porcelleti indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 89 v°, p. c. 456).

« In e. m. (2) nobili viro Guillelmo Porcelleti, Arelatensis diocesis. Datum Avinione, XIII kalendas aprilis, anno decimo septimo. »

5124 Avignon, 20 mars 1333.

Jacobo de Gorda et ejus uxori exemptionem assignationum taxationumque pro quadam eorum domo Avinionensi concedit. (Reg. 117, fol. 55, c. 310 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 59874).

« *Jacobo de Gorda et Johanne ejus uxori, civibus Avinionensibus.* Cum sicut vestra coram nobis proposita peticio continebat, vos quamdam domum vestram sitam in parrochia ecclesie Sancti Simphoriani Avinionensis, cum viridario domorum episco-

(1) Reg. *nunnonquam.*
(2) Cf. n. 5109.

palium Avinionensium quas nos habitamus cumque hospicio dilectorum filiorum nobilis viri Bertrandi Ysauterii militis, juris civilis professoris, et Guillelmi de Thoro civium Avinionensium ac carreria publica ex diversis partibus confrontatam, que propter coherentiam dicti viridarii pro magna parte diruta fuisse dicitur et destructa, facere reparari et construi non sine magnis sumptibus intendatis, nobis humiliter supplicastis ut domum ipsam, pro cujus constructione ac reparatione vos magnam expendere summam pecunie, que pro victu et aliis vestris indigentiis vobis necessaria existeret plurimum, oportebit, ab assignationibus et taxationibus que de hospiciis solite sunt in curia Romana fieri eximere, vobis compassiendo super premissis, de benignitate solita dignaremur. Nos autem premissis diligencius intellectis domum predictam ab assignationibus et taxationibus prelibatis auctoritate apostolica exivimus de gratia speciali, districtius inhibentes ut quavis consuetudine contraria non obstante dicta domus fratribus nostris Sancte Romane Ecclesie cardinalibus vel quibuscumque aliis personis assignari aut taxari nequeat absque nostra nostrorumque heredum et successorum voluntate seu licencia speciali. Datum Avinione, XIII kalendas aprilis, anno decimo septimo.»

5125 Avignon, 23 mars 1333.

Galhardo de Antigiaco, subdiacono, quod usque ad alium annum ad superiores ordines se facere promoveri non teneatur concedit. (Reg. 117, fol. 80 v°, c. 424; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 59885).

« *Galhardo de Antigiaco, rectori parrochialis ecclesie de Cayriech, Caturcensis diocesis, familiari nostro.* Inducunt nos grata — Datum Avinione, X kalendas aprilis, anno decimo septimo.»

5126 27 mars 1333.

Petro Danrocha et Guillelmo de Granholio mandat ut de insufficientia conventus de Bonopassu bonorum se informant. (Reg. 117, fol. 55, c. 311).

« *Petro Danrocha, preposito Haentensi, Lemovicensis diocesis, et Guillelmo de Granholio, canonico Carpentoratensis ecclesiarum.* Cum dilecti filii .. prior et conventus domus de Bonopassu, ordinis Cartusiensis, Cavallicensis diocesis, quam dudum ad honorem Dei et animarum salutem divinique cultus augmentum fundari fecimus et dotari, asserant redditus et proventus eis per nos concessos adeo fore tenuos et exiles quod exinde nequeunt juxta sui ordinis decentiam commode sustentari, nos volentes informari super hoc ut eis providere sicut expedire videbimus salubriter valeamus, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus de bonis, redditibus et proventibus domus ejusdem in quibuscumque rebus consistant vos solerti adhibita diligentia informantes, nos exinde clare particulariter et distincte curetis reddere certiores. Datum VI kalendas aprilis, anno decimo septimo.»

5127 Avignon, 27 mars 1333.

Cancellario Parisiensi mandat ut Arnaldum de Claromonte ad legendum libros Sentenciarum in studio Parisiensi admittat. (Reg. 117, fol. 81, c. 425).

« *Cancellario ecclesie Parisiensis.* Cum sicut accepimus dilectus filius Arnaldus de Claromonte, ordinis fratrum Minorum, ad legendum libros Sentenciarum in futuris vacationibus studii Parisiensis in eodem studio sit auctoritate apostolica deputatus, ac dilectus filius Pastor de Serescuderio, dicti ordinis, eosdem libros in memorato studio actu legens, lectiones suas finire seu dimittere ex certis causis speretur in brevi, nos volentes quod idem Arnaldus post finitas seu dimissas lectiones hujusmodi lecturam librorum incipiat predictorum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus ipsum ad lecturam hujusmodi, ex quo dictus Pastor eam dimiserit, recipias et ab aliis facias ut est moris admitti, non obstantibus quibuscunque statutis per magistros facultatis theologice editis et consuetudinibus studii et ordinis predictorum contrariis, etiam juramento confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate vallatis. Contradictores etc... Datum Avinione, VI kalendas aprilis, anno decimo septimo.»

5128 31 mars 1333.

Guillelmo nato Guillelmi Bernardi de Narcesio, canonico Carnotensi, quod fructus beneficiorum suorum in absen-

tia usque ad triennium, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, recipere possit. (Reg. 117, fol. 53, c. 303).

« In eundem modum (1) alia Bernardo nato quondam Guillelmi Bernardi de Narcesio canonico Carnotensi ad triennium dumtaxat. Datum II kalendas aprilis, anno decimo septimo. »

5129 31 mars 1333.

Conventu monasterii de Latiniaco licentiam eligendi hac vice abbatem concedit. (Reg. 117, fol. 81, c. 426 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 59932).

« *Conventui monasterii de Latiniaco, ordinis sancti Benedicti, Parisiensi diocesis.* Dudum quondam Johanne abbate vestri monasterii regimini ejusdem monasterii presidente, nos, attendentes ipsi monasterio quamprimum illud quoquomodo vacare contingeret per ordinationem Sedis Apostolice de persona ydonea provideri, provisionem ipsius monasterii nostre ac dicte Sedis dispositioni ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cum autem postmodum dictum monasterium, sicut fidedigna relatione percepimus, per obitum ejusdem Johannis abbatis, qui nuper in partibus illis diem clausit extremum, fuerit et adhuc sit, cum nullus preter nos de provisione ipsius monasterii hac vice se intromittere potuerit neque possit, reservatione et decreto predictis obsistentibus, abbatis regimine destitutum, et carissimus in Christo filius noster Philippus, rex Francie illustris, ad monasterium ipsum specialis gerens devotionis affectum nobis humiliter supplicaverit ut, cum in eodem monasterio quamplures notabiles et ydonee persone religionis zelo, sciencia litterarum et vite ac morum honestate pollentes, per quas posset monasterium ipsum utiliter dirigi et feliciter gubernari, fore noscantur, nobis eligendi hac vice unam de personis ejusdem monasterii vel aliunde, ordinis tamen sancti Benedicti, ydoneam et utilem monasterio supradicto in abbatem ipsius concedere licenciam dignaremur, nos memorati regis supplicationibus inclinati vobis ut reservatione ac decreto predictis nequaquam obstantibus aliquem ex vobis vel etiam aliunde sicut premittitur, quem utilem et ydoneum dicto monasterio fore noveritis, in abbatem ipsius monasterii hac vice valeatis eligere plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem, vobis in virtute sancte obediencie ac sub obtestatione divini judicii districtius injungentes ut habentes pre occulis solum Deum, illum ex vobis vel aliunde ut prefertur quem meliorem et utiliorem ad ipsius monasterii regimen spiritualiter et temporaliter exercendum fore noveritis in vestrum et dicti vestri monasterii abbatem eligere procuretis. Datum Avinione, II kalendas aprilis, anno decimo septimo. »

(1) Cf. n. 5159.

5130 5 avril 1333.

Universis personis ecclesiasticis Ebredunensis provinciae ut fructus omnium beneficiorum vacantium in dicta provincia usque ad unum annum iterum reservatos a collectoribus levari permittant. (Reg. 117, fol. 55 v°, c. 312).

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopo Ebredunensi ejusque suffraganeis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatis et rectoribus, capitulis quoque, collegiis et conventibus Cisterciensis, Cluniacensis, Premostratensis, Grandimontensis, Cartusiensis, Vallisumbrose, Camaldulensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum ceterisque personis ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus, exemptis et non exemptis per civitatem, diocesim et provinciam Ebredunenses constitutis.* Attentis dudum multiplicibus expensarum et necessitatum oneribus quibus Ecclesia Romana tunc gravabatur, sicut adhuc dinoscitur pregravari, fructus, redditus et proventus unius anni omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura, etiam dignitatum, personatuum et officiorum monasteriorum, prioratuum et aliorum locorum ecclesiasticorum quorumlibet, tam secularium quam regularium, exemptorum et non exemptorum, que in civitate, diocesi ac provincia Ebredunensi tunc vacabant et que usque ad unum annum continuum a data

litterarum nostrarum super hoc confectarum numerandum qualitercumque et ubicumque, etiam si apud Sedem Apostolicam vacare contingeret, ecclesiis tamen cathedralibus et abbaciis regularibus que conventuales existunt ac beneficiis ex causa permutationis tunc vacantibus vel infra dictum annum vacaturis expressim exceptis, reservandos auctoritate apostolica sub certis modis, formis et conditionibus duximus, et nostre Camere pro hujusmodi necessitatibus relevandis utilius aplicandos, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis ecclesiarum, monasteriorum et locorum in quibus beneficia, dignitates, personatus et officia consistunt hujusmodi juramento, confirmatione dicte Sedis seu quacunque firmitate alia roboratis, aut si fructus, redditus et proventus primi anni ex privilegio dicte Sedis vel aliter de jure seu quacumque consuetudine vel statuto alicui vel aliquibus deberentur, sive si ad fabricam quorumcumque ecclesiarum, monasteriorum seu locorum per quoscumque concessi fuissent vel etiam deputati, aut essent in usus alios convertendi. Postmodum autem easdem reservationem et applicationem singulis annis usque ad diem date presentium extendendas duximus sub eisdem modis, formis et conditionibus ac etiam prorogandas, sicut in diversis litteris nostris inde confectis plenius continetur. Cum itaque necessitates predicte adhuc non sint omnino subducte, nos reservationem et applicationem easdem fructuum, reddituum et proventuum predictorum sub modis, formis et conditionibus quibus eos alias reservavimus et applicavimus, ut premittitur, usque ad unum annum integrum ab eadem die date presentium in antea computandum auctoritate apostolica tenore presentium predictis non obstantibus extendimus ac etiam prorogamus; quocirca universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur in Domino, vobisque nichilominus per apostolica scripta mandamus quatinus, necessitatibus hujusmodi devota consideratione pensatis, dictos fructus, redditus et proventus exigi, colligi et levari per collectores et subcollectores super hoc deputandos libere permittatis, ac eisdem collectoribus et subcollectoribus taliter super hiis assistatis quod vestra debeat propter hoc devotio apud nos et dictam Sedem merito commendari. Datum Avinione, nonis aprilis, anno decimo septimo.»

5131 Avignon, 5 avril 1333.

Hugoni de Mandagoto et Raymondo Baboti, ut praedictos fructus exigant. (Reg. 117, fol. 56, c. 313).

«*Hugoni de Mandagoto, preposito, et Raymundo Baboti, archidiacono Ebredunensibus.* Attentis dudum multiplicibus — Datum ut supra [Avinione, nonis aprilis, anno decimo septimo].

Item alie due similes in civitate, diocesi ac provincia Aquensi. Collectores : Hugo Gaucelmi, prepositus et Raymundus Nauloni, archidiaconus Aquenses.

Item alie due similes in civitate, diocesi ac provincia Arelatensi. Collectores : Raymundus de Moreriis, capellanus apostolicus, prepositus, et Geraldus de Laneis, infirmarius ecclesie Arelatensis, addita clausula... quod hujus reservationis prorogatio ad fructus beneficiorum infra regnum Francie consistentium nullatenus extendatur. Datum ut supra.

Item similes due in civitate, diocesi ac provincia Viennensi. Collectores : Zacarias de Sancto Juliano, prior ecclesie Sancti Martini Viennensis, et officialis Viennensis, cum eadem clausula ut in proxima. Datum ut supra.»

5132 Avignon, 5 avril 1333.

Guillelmo de Orto, administratori monasterii Issiodori, ordinis sancti Benedicti, Claromontensis diocesis, durante suspensione Gregorii, ejusdem monasterii abbatis, facultatem exigendi et recipiendi omnia bona et jura dicto abbati debita concedit. (Reg. 117, fol. 81 v°, c. 427).

«*Guillelmo de Orto, abbati ecclesie Claromontensis.* Dudum dilecto filio Gregorio abbate monasterii Issiodori, ordinis sancti Benedicti, Claromontensis diocesis, ab administratione spiritualium et temporalium monasterii prelibati certis ex causis suspenso, nos tibi, de cujus circumspectione et fidelitate plenam in Domino fiduciam in Domino (*sic*) gerimus, administrationem hujusmodi predicta suspensione durante gerendam per nostras certi tenoris litteras commissimus ac etiam exercendam, sicut in eisdem litteris plenius continetur. Sane, cum sicut tua insinuatione nuper accepimus, aliqui debitores eorundem abbatis et monasterii asserentes te non posse vigore commissionis predicte debita

et alia bona et jura que dicto abbati tempore quo tibi facta fuit dicta commissio debebantur seu sibi vel eidem monasterio nunc debentur exigere seu recipere, se tibi contradictores exhibeant indebite super hiis seu rebelles, nos nolentes quod propter premissa debitorum bonorum et jurium predictorum exactio et collectio possint quomodolibet impediri, teque posse debita bona et jura predicta exigere et recipere, quamdiu dictam administrationem gesseris, tenore presentium declarantes, tibi ex habundanti nichilominus petendi, exigendi et recipiendi debita, bona et jura hujusmodi a quibuscunque personis que ad ea solvenda et exhibenda teneantur, contradictores quoque quoslibet super hiis et rebelles cujuscumque status dignitatis ordinis vel conditionis existant per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendi, non obstante si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, plenam concedimus potestatem Datum Avinione, nonis aprilis, anno decimo septimo.»

5133 Avignon, 8 avril 1333.

Petro Beraldi canonicatum, praebendam et archidiaconatum ecclesiae Parisiensis per promotionem Guillelmi, electi Parisiensis, vacantes dispositionique apostolicae reservatos motu proprio confert, canonicatu et praebenda ecclesiae Caturcensis archidiaconatuque de Montepensato prius per eumdem Petrum omnino dimissis. (Reg. 117, fol. 81 v°, c. 428; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 59959).

« *Magistro Petro Beraldi, canonico et archidiacono Parisiensi, capellano nostro.* Dum concessa tibi — Datum Avinione, VI idus aprilis, anno decimo septimo.

Judicibus : .. *episcopo Convenarum et.. archidiacono Meldensi, ac Gaucelmo Johannis, canonicis Caturcensibus* (*sic*). Mandamus quatinus vos — Datum ut supra.»

5134 Avignon, 8 avril 1333.

Stephano de Diozido canonicatum praebendamque ecclesiae Caturcensis et archidiaconatum de Montepensato in eadem ecclesia quos praedictus Petrus tenebat motu proprio confert. (Reg. 117, fol. 82 v°, c. 429; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 59958).

« *Stephano de Diozido, archidiacono Caturcensi.* Multiplicia tue merita — Datum ut supra [Avinione, VI idus aprilis, anno decimo septimo].

Judicibus : ..*episcopo Carpentoratensi et Bertrando de Claromonte, Petragoricensis, ac Raymundo de Casetis, Remensis canonicis ecclesiarum.* Mandamus quatinus vos — Datum ut supra.»

5135 11 avril 1333.

Guillelmo Rayssoii ejusque uxori indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 54 v°, p. c. 308; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 59986 à n. 59989).

« Item in e. m. (1) nobili viro Guillelmo Rayssoii, militi, et nobili mulieri Blanche, ejus uxori, Cavallicensis diocesis. Datum III idus aprilis, anno septimo decimo.

In e. m. Raymundo, ejusdem Guillelmi nato, verbis competentibus mutatis.

In e. m. Dulcie.

In e. m. Beatrici.

In e. m. Jaucerane, ejusdem Guillelmi nate, verbis competentibus mutatis. Datum in omnibus ut supra.»

5136 11 avril 1333.

Guillelmo de Sancta Maura negotia quae Johannes, comes Clarimontis, in curia regia expedire habet commendat. (Reg. 117, fol. 111, c. 557).

« *Guillelmo de Sancta Maura, cancellario regis Francie.* Cum dilectus filius nobilis Johannes, comes Clarimontis, quedam habeat in curia regia sua negocia expedire, ipsum comitem eademque negocia tibi propensius commendamus. Datum III idus aprilis, anno decimo septimo.»

(1) Cf. n. 5104.

5137 Avignon, 15 avril 1333.

Petro de Mennaco, quod confessorem eligere possit. (Reg. 117, fol. 87 v°, c. 445 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60051).

« *Petro de Mennaco, canonico Caturcensi, regestratori nostro.* Devotionis et fidei — Datum Avinione, XVII kalendas maii, anno septimo decimo. »

5138 Avignon, 15 avril 1333.

Eidem quod horas canonicas secundum morem Curiae Romanae dicere possit. (Reg. 117, fol. 87 v°, c. 446 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60052).

« *Eidem.* Tue devotionis sinceritas — Datum ut supra. »

5139 Avignon, 15 avril 1333.

Johanni Beraldi testandi facultatem concedit. (Reg. 117, fol. 88 v°, p. c. 451).

« In e. m. (1) Johanni Beraldi, rectori ecclesie Sancti Maudeti de Ferrariis, Turonensis diocesis. Datum Avinione, XVII kalendas maii, anno decimo septimo. »

5140 Avignon, 15 avril 1333? (2)

Johanni episcopo Magalonensi testandi facultatem concedit. (Reg. 117, fol. 88 v°, c. 452).

« *Johanni, episcopo Magalonensi.* Quia presentis vite — Datum.

In e. m. Raymundo episcopo Vabrensi, verbis competentibus mutatis et mutato etiam ubi dicitur ordinis sancti Augustini dicatur ordinis sancti Benedicti. Datum. »

(1) C. 451 : *Pro Petro de Pristinio, archipresbitero ecclesie Bononiensis.*

(2) Cette date est celle de l'acte précédent dans le registre (n. 5139).

5141 Avignon, 16 avril 1333.

Cancellario Parisiensi ut Petrum de Orulo ad magisterii theologicae facultatis honorem promoveat. (Reg. 117, fol. 85, p. c. 434 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60071 ; — Denifle et Chatelain, *Chartularium universitatis...*, t. II, p. 405, n. 953).

« In e. m. (1) eidem cancellario, pro dilecto filio Petro de Orulo, ordinis beate Marie de Montecarmeli, in sacra theologie facultate bacallario. Datum Avinione, XVI kalendas maii, anno decimo septimo. »

5142 18 avril 1333.

Regem Franciae hortatur ut Jacobum regem Majoricarum benigne recipiat (Reg. 117, fol. 111 v°, c. 560).

« *Regi Francie.* Placuit benivolentie carissimi in Christo filii nostri Jacobi, regis Majoricarum illustris, dum iter suum prosequeretur in Franciam, nobis suam presenciam exhibere, quem utique supra sue etatis exigenciam virum intelligentem multum percepimus, Deumque timentem et Dei ecclesiam reverentem ac studiosam adhibentem operam ut populus sibi credditus fidei catholice constanter sectator existat ; ipsumque animadvertimus omnino dispositum ad se tuis conformandum beneplacitis et tibi placita exequenda. Et quia, fili carissime, providenciam decet regiam prefatum nutrire principem in premissis, circumspectionem regiam ex superhabundanti rogamus attente ut ipsum benigne recipiat seque ipsi exhibeat propicium et benignum. Speramus enim in Domino quod fructus Deo gratos reique publice producet utiles, si perseveraverit in jam ceptis. Datum XIIII kalendas maii, anno decimo septimo. »

5143 18 avril 1333.

Reginae Franciae Majoricarum regem commendat. (Reg. 117, fol. 111 v°, c. 561).

(1) Cf. n. 5057.

« *Regine Francie.* Carissimum in Christo filium nostrum Jacobum regem Majoricarum illustrem quem hiis diebus vidimus utique omnino dispositum ad se filii nostri in Christo carissimi Philippi regis Francie illustris tuisque beneplacitis conformandum reginali excellencie commendamus, eandem ex superhabundanti rogantes attente ut tue solicitudinis digneris partes interponere ut rex predictus ipsum benivole recipiat seque illi exhibere (*sic*) propicium et benignum. Datum ut supra [XIIII kalendas maii, anno decimo septimo]. »

5144 18 avril 1333.

Philippo de Vomilio indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 54 v°, p.c. 307 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 50081).

« In e. m. (1) nobili viro Philippo de Vomilio, Sistaricensis diocesis. Datum Avinione, XIIII kalendas maii, anno decimo septimo. »

5145 20 avril 1333.

Jacobo de Malisanguinis priori prioratus de Corredis, ordinis sancti Benedicti, Aquensis diocesis, indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 54 v°, p. c. 307 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60104).

« Item in eundem modum (2) Jacobo de Malisanguinis, priori prioratus de Corredis, ordinis sancti Benedicti, Aquensis diocesis. Datum XII kalendas maii, anno decimo septimo. »

5146 20 avril 1333.

Ludovico, comiti Flandriae, ne mercatores societatis Bardorum de Florentia in terris suae ditionis commorantes molestet. (Reg. 117, fol. 113, c. 571 ; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 661, n. 3416).

« *Ludovico, comiti Flandrie.* Percepto quod tu, fili, pridem rancore contra dilectos filios .. mercatores et socios societatis Bardorum de Florencia ex quibusdam causis, de quibus se penes nobilitatem tuam excusasse dicuntur et adhuc se verisimilibus rationibus excusant, concepto, mercatores et socios societatis ejusdem in terris tue ditioni subjectis commorantes fecisti ac facis multipliciter molestari, nobilitatem rogamus eandem quatinus rancore hujusmodi quem absque detrimento tue salutis anime continere non posses deposito, prefatos mercatores et socios tibi complacere ac obsequi, sicut accepimus, cupientes habere velis pro nostra et Apostolice Sedis reverencia, quos suis meritis exigentibus favore benivolo prosequimur, commendatos oportunis favoribus sicut prius, bonis suis si qua forsan per gentes tuas ab eis capta fuerint indebite sibi nichilominus restitutis. Datum XII kalendas maii, anno decimo septimo. »

(1) c. 307 : *Uldrico de Adventica, canonico Lausanensi.*
(2) Cf. n. 5144.

5147 23-24 avril 1333.

Hugoni Cornuti indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 54 v°, p. c. 307).

« Item in e. m. (1) Hugoni Cornuti, fratri Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, domorum Amenicarum et Lardaireti ejusdem Hospitalis, Sistaricensis diocesis preceptori. Datum IX kalendas maii, anno decimo septimo.

Item in e. m. Bernardo de Podio canonico Ispalensi. Datum Avinione, VIII kalendas maii, anno decimo septimo. »

5148 24 avril 1333.

Guillelmo Burgairol tabellionatus officium concedit. (Reg. 117, fol. 87 v°, c. 447 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60121).

« *Guillelmo Burgairol, alias de Molendino, clerico Ruthenensis diocesis, non conjugato nec in sacris ordinibus constituto.* Ne contractuum memoria — Datum Avinione, VIII kalendas maii, anno decimo septimo. »

(1) Cf. n. 5144.

5149 1er mai 1333.

Odoni, duci Burgundiae, ut nuncios Ulrici, episcopi Curiensis, ad curiam apostolicam cum certa pecuniae summa destinatos, quos domini de Arguel prope Bisuntium arrestarunt, cum pecunia et bonis suis liberari faciat (Reg. 117, fol. 112, c. 566).

« *Odoni, duci Burgundie.* Insinuatione displicibili venit nuper ad nostri apostolatus auditum quod cum venerabilis frater noster Ulricus, episcopus Curiensis, pro solvendo suo communi servicio in quo nobis et collegio fratrum nostrorum Sancte Romane Ecclesie cardinalium est constitutus, certam summam pecunie per dilectos filios Johannem Pelegrini, scolasticum Turicensem, et Johannem Thien, ejusdem Turicensis, ac Rodulphum dictum Morget Curiensis ecclesiarum canonicos et Nicolaum Zagelhart oppidanum Turicensis (*sic*) nuncios suos ad Sedem Apostolicam destinaret dictique nuncii per terram nobilium virorum dominorum de Arguel prope Bisuntium ad Sedem veniendo eandem transirent, officiales seu gentes dominorum ipsorum prefatos nuncios cum eadem pecunia et bonis suis aliis arrestarunt et adhuc in divine majestatis contumeliam ac nostram et ipsius Sedis injuriam suarumque animarum periculum detinent arrestatos, penas et sentencias adversus eos qui venientes ad dictam Sedem seu recedentes ab ea impediunt, capiunt vel perturbant per nos ac predecessores nostros Romanos pontifices promulgatas incurrere dampnabiliter non verentes. Sane quia illam de te, fili, habemus fiduciam quod molestam geris injuriam dicte Sedis, opinamur etiam quod dictorum dominorum de Arguel cupis periculis obviari, nobilitatem tuam rogamus et in Domino attencius exhortamur quatinus ipsos ut dictos nuncios cum pecunia et bonis predictis liberari quamtocius faciant et habire permittant libere inducere tua providencia pro nostra et ejusdem Sedis reverencia non ommittat, ita quod apud nos et Sedem eandem tua debeat commendari devocio nec contra predictos dominos et terras eorum et alios captivatores et impeditores nunciorum eorumdem providere de alio remedio sit necesse. Datum kalendis maii, anno decimo septimo. »

5150 1er mai 1333.

Johanni, episcopo Lingonensi, ut eosdem dominos de Arguel, qui Johannis de Cabilone, domini de Arlato, nepotis ejus, sunt vassalli, ad praemissa inducat. (Reg. 117, fol. 112 vo, c. 567).

« *Johanni, episcopo Lingonensi, administratori ecclesie Basiliensis auctoritate apostolica deputato.* Insinuatione displicibili etc... usque non verentes. Sane quia supponimus indubie tibi molestam existere injuriam dicte Sedis velleque dictorum dominorum de Arguel, qui dilecti filii nobilis viri Johannis de Cabilone domini de Arlato nepotis tui vassalli esse dicuntur et subditi, periculis obviari, fraternitatem tuam rogandam duximus attencius et hortandam quatinus eosdem dominos inducere ac per eundem nepotem tuum induci facere, viis et modis quibus expedire videris, non postponas, ut eosdem nuntios cum pecunia et omnibus bonis suis omni cessante impedimento liberent seu liberari faciant et procurent, partes tue solicitudinis sicque adhabiturus efficaciter in hac parte quod tua possit merito commendari devotio, nec contra predictos dominos providere pretextu premissorum de alio remedio sit necesse. Datum ut supra [kalendis maii, anno decimo septimo]. »

5151 2 mai 1333.

Regi Franciae gratias agit de acceleratione passagii et de relevatione gabellae a clericis. (Reg. 117, fol. 111 vo, c. 562).

« *Regi Francie.* Receptis litteris regiis et contentis in eis plenius intellectis, cum ex ipsius (*sic*) contentis edocti fuerimus plenius accepta sibi fore que super transmarino passagio per nos de fratrum nostrorum consilio cum suis nunciis fuerant ordinata, fervorque desiderii regii adeo excresceret quod illud providencia regia quantum poterit accelerare disponit, cor nostrum gaudio nec immerito repleverat, Illi cujus est ipsum negotium cernui supplicantes ut sic propositum regium in hoc solidet ac confirmet sicque obstacula queque submoveat quod illud quod mente concepit opere valeat adimplere. Et ut circumspectio regia non

ignoret quid Deus operatur in Tartarie partibus, que utique conceptum debeant regium inflammare, nunciabunt illa scripture presentibus intercluse. Adhuc illa que circa revocationem reve et quarundam commissionum que videbantur in subditorum gravamine vergere, non absque monitione Sancti Spiritus operata est clemencia regia hiis diebus, in cor nostrum cumulaverunt profecto gaudium et leticiam infuderunt. Sane, fili carissime, quia non videtur quid actum cum aliquid superest ad agendum, et supersit reformatio gravaminum que occasione regalie ecclesiis inferuntur, rogamus excellenciam regiam ut consideranter attendens quod « modicum fermenti totam massam corrumpit », necnon et illud : « quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus », presertim cum directius offensam Christi sponsi Ecclesie respiciant quam revocata premissa non differant (*sic*) reformare. Speramus quidem in Domino quod si hec digneris exequi sponsus ipse te in agendis diriget et proteget ab adversis. Pro graciis autem nostris nepotibus sicut eedem littere continebant gracias offerimus benivolencie regie quas valemus. Datum VI nonas maii, anno decimo septimo. »

5152 2 mai 1333.

Regi Franciae respondet quod in negotio electionis ecclesiae Nivernensis intervenire non intendit, sicut ante receptionem litterarum regiarum jam promiserat. (Reg. 117, fol. 112, c. 563).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Ad ea que, fili carissime, super ordinacione ecclesie Nivernensis circumspectio regia nobis scripsit breviter respondemus quod, antequam recepissemus super hoc litteras regias, propter multorum importunam insistanciam simul quasi instantium pro diversis, Deo promisimus quod nos non intromitteremus de dicta ecclesia, ista vice intendentes quod capitulum ad quos de jure electio pertinet prout videretur eis expedire ecclesie ordinaret, quare nos habeat providencia regia super hoc excusatos. Datum ut supra VI nonas maii, anno decimo septimo. »

5153 4 mai 1333.

Guillelmo de Sancta Maura nobilem virum Galhardum de Monte Lanavero qui quaedam negotia in regali curia Franciae expedire habet, commendat. (Reg. 117, fol. 112 v°, c. 568).

« *Guillelmo de Sancta Maura, cancellario regis Francie.* Dilectum filium nobilem virum Galhardum de Monte Lanavero familiarem nostrum super quibusdam suis negociis que habet ut accepimus in regali curie Francie expedire tue benivolencie propensius commendamus.

In e. m. magistro Johanni de Mandavilla, decano ecclesie Nivernensis.

In e. m. Petro Bertrandi, canonico Laudunensi.

In e. m. Miloni, domino de Noeriis. Datum in omnibus IIII nonas maii, anno decimo septimo. »

5154 Avignon, 7 mai 1333.

Johanni de Rigaldo, subdiacono, quod usque ad unum annum ad superiores ordines se facere promoveri non teneatur. (Reg. 117, fol. 88, c. 448 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60265).

« *Johanni de Rigaldo, rectori parrochialis ecclesie de Archinhaco, Pictavensis diocesis, familiari nostro.* Grata tue familiaritatis — Datum Avinione, nonis maii, anno decimo septimo. »

5155 Avignon, 7 mai 1333.

Johanni Macellarii, priori provinciali ordinis beatae Mariae de Montecarmelo in Provincia, ut contra quosdam fratres ejusdem ordinis qui certa crimina Avinione perpetrarunt, procedat. (Reg. 117, fol. 55, c. 309).

« *Johanni Macellarii, priori provinciali fratrum ordinis beate Marie de Montecarmelo in provincia Provincie.* Non sine displicentia magna nuper accepimus (1) quod hoste antiquo humane quietis emulo, qui caritatem turbare fraternam et suscitare rixas et discordias satagit, procurante, nonnulle inordinationes, diffamationes tam personarum tui ordinis quam aliarum, rixe, verba inde-

(1) Reg. : *audivimus accepimus.*

cencia, verbera et vulnera in conventu fratrum ordinis ejusdem Avinione hiis diebus preteritis contigerunt, necnon premissa et alia crimina detestanda tam per Radulphum Belli procuratorem quam alios fratres ejusdem ordinis extiterunt ibidem nequiter perpetrata. Cum autem premissa in divine majestatis offensam ipsiusque diffamationem ordinis et periculum animarum redundancia sine scandalo dissimulari nequeant diutius nec sine periculo tolerari, nos qui predictum ordinem sincere diligimus ipsumque obversari a noxiis et ad salutaria dirigi cupimus, attendentes quod per te melius et decentius quam per extraneum alium predicta corrigi poterunt et etiam reformari, discretioni tue de qua fiduciam in Domino gerimus specialem per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus juxta statuta et observantias prelibati ordinis super predictis et ea quomodolibet tangentibus summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura judicii veritatem inquirens, ea secundum sanxiones canonicas ac statuta et observantias predicta sic corrigere, punire ac reformare appellatione cessante procures quod talia vel similia ibidem non presumantur de cetero, ac honori et puritati ejusdem ordinis super hiis satisfiat, non obstantibus exemptione quam dictus procurator a dilecto filio priore generali prelibati ordinis habere se asserit et aliis statutis, observanciis et consuetudinibus ipsius ordinis quibuscumque. Datum Avinione, nonis maii, anno decimo septimo.»

5156 7 mai 1333.

Diffinitoribus capituli generalis ordinis Praedicatorum, ut dignam personam in magistrum ordinis eligant et pro ipso orent. (Reg. 117, fol. 113, c. 572).

«*Diffinitoribus capituli generalis ordinis Predicatorum Dyvione, Lingonensis diocesis, proximo celebrandi.* Quia in instanti generali capitulo habetis de magistro sacre religioni vestre annuente Domino providere, nos, qui desideranter appetimus talem ad prefatum assumi magisterium qui tanto oneri congruat et honori, quique ex tanta dignitate se noverit, velit et valeat reverendum reddere ac ex humili ministerio graciosum, considerantes attente quod hoc sine Illo non valeatis perficere sine Quo eo teste nichil possumus facere, a Quo etiam omnis nostra dependere sufficiencia noscitur, et Qui in nobis velle pro bona voluntate ac perficere operatur, vestram prudenciam exhortandam in Domino duximus et rogandam ut, omni ambitione prorsus exclusa personarumque acceptatione a vestris mentibus relegata, ad Illum quem nichil latet quique quid sit in homine non ingnorat (*sic*) convertentes pure et simpliciter occulos mentis vestre, Illum devotis pulsetis precibus ut ad talem assumendum ad dictum magisterium illuminare dignetur et dirigere corda vestra. Et ut circa premissa sitis soliciti amplius et intenti, quid beatus Gregorius circa hec clero Mediolanensi consuluit presentibus duximus inserendum. «Dilectissimi, inquit, filii nostri officii censura commoniti suademus ut in suscipiendi antistitis causa nullus vestrum neglecta utilitate communi suo lucro prospiciat, ne si quispiam propria commoda appetat frivola extimatione fallatur, quia nec libero id est justo judicio preferendam sibi personam examinat mens quam cupiditas ligat.» Pensantes ergo que cunctis expediunt, ei quem gracia divina pretulerit integerrimam semper in omnibus obedienciam prebete, id est talem eligite quem cui semper debeatis obedire. Judicari namque a vobis ultra non debet prelatus, sed tanto nunc id est ante electionem subtiliter judicandus est quanto postmodum judicandus non est. Ad hec quia ubi disciplina contempnitur necesse est ut religio naufragetur, vobis sano consilio suademus ut circa illam observandam sic curetis adhibere vigilans studium eamque equalitate adeo moderari velitis quod nimia remissio non sit nutritiva criminum nec impia districtio patriada virtutum. Sane quia, sicut vestra prudencia non ignorat, navicula Petri, cujus regimini Christus sponsus Ecclesie prefici nos permisit, in hoc mari magno et spacioso tempestatibus quasi continue quatitur et procellis turbatur, universitatem vestram hortamur in Domino et rogamus instanter quatinus ad sponsum ipsum preces humiles ac devotas et sedulas frequenter velitis fundere ut Ipse ad sui nominis laudem et gloriam populique sui salutem et nostram naviculam ipsam sic nos regere sua pietate concedat quod pia mater Ecclesia filios suos numero et merito pariter nostris multiplicari temporibus glorietur, nobisque quod circa predictum regimen onerosum est leviget, quod laboriosum alleviet, quod obscurum sue claritatis luce revelet et aspera convertat in plana, sicque vota

nostra preveniendo clementer aspiret et misericorditer adjuvando benignius prosequatur quod zelus noster semper in ipsius beneplacitis ferveat nec umquam in ipsorum executione tepescat. Gratia Domini Nostri Jhesu Christi corda vestra ad sua beneplacita in premissis et aliis dirigat et a contrariis protegat et defendat. Amen. Datum nonis maii, anno decimo septimo. »

5157 Avignon, 9 mai 1333.

Eduardo, domino de Bellojoco, et Mariae, natae Johannis de Til iterum concedit ut matrimonium tempore prohibito solemnizare possint. (Reg. 117, fol. 88, c. 449; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60314).

« *Nobili viro Eduardo, domino de Bellojoco, et nobili mulieri Marie, nate dilecti filii nobilis viri Johannis de Til, Lugdunensis et Eduensis diocesum.* Apostolice Sedis copiosa — Datum Avinione, VII idus maii, anno decimo septimo. »

5158 10 mai 1333.

Reginam Franciae de devotione sua erga Ecclesiam et de favore Arnaldo vicecomiti Talardi, marescallo Curiae, ac Petro de Via domino Villaemuri exhibito commendat. (Reg. 117, fol. 112, c. 564).

« *Regine Francie.* Tuarum litterarum nobis, filia carissima, evidenter innotuit lectio sincerum zelum quem ad Sanctam et nos gerit Ecclesiam benivolencia reginalis, que utique antea tenebamus indubia (1), multorum fide digna assertione et multorum factorum evidencia (2) cerciores effecti, pro quibus omnibus necnon et pro gracia per carissimum in Christo filium nostrum Philippum illustrem regem Francie dilectis filiis nobilibus viribus Arnaldo, vicecomiti Talardi, marescallo nostro et Petro de Via, domino Villemuri, nostris facta nepotibus, pro qua tuam excellenciam sepius institisse novimus, tue magnificencie gratiarum referimus uberes actiones. De hiis que dicte continebant littere informabit reginalem providenciam cedula presentibus interclusa. Datum VI idus maii, anno decimo septimo. »

(1) Reg. : *indubie.*
(2) Reg. : *multorum evidencia.*

5159 11 mai 1333.

Arnaldo, nato Arnaldi vicecomitis Caramanni, quod fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad quinquennium, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, recipere possit. (Reg. 117, fol. 52 v°, c. 302).

« *Arnaldo, nato dilecti filii nobilis viri Arnaldi, vicecomitis Caramanni, canonico Aquensi.* Nobilitatem generis, vite — Datum Avinione, V idus maii, anno decimo septimo.

Judicibus : archiepiscopo Tholosano et Caturcensi ac Carpentoratensi episcopis. Mandamus quatinus vos — Datum ut supra. »

5160 S.d. (1) [8 décembre 1332-12 mai 1333].

Bertrandum de Narcesio, priorem Celsiniarum capellanum suum creat. (Reg. 117, fol. 89 v°, c. 459).

« *Bertrando de Narcesio priori prioratus Celsiniarum ordinis Cluniacensis, Claromontensis diocesis, capellano nostro.* Religionis zelum fameque — Datum. »

5161 S.d. [8 décembre 1332-12 mai 1333 ?].

Deodato Fabri tabellionatus officium concedit. (Reg. 117, fol. 89 v°, c. 460).

« *Deodato Fabri clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto, Ruthenensis diocesis.* Ne contractuum memoria — Datum. »

5162 S.d. [8 décembre 1332-12 mai 1333 ?].

Arnaldo vicecomiti Caramanni licentiam constituendi capellanias in civitate Caturcensi ac castris Sancti Felicis,

(1) Les actes 5160 à 5163 non datés, sont transcrits dans le registre entre le c. 458 (8 décembre 1332) et le c. 463 (12 mai 1333).

Caramanni et Nigrepelicie capellanosque presentandi concedit. (Reg. 117, fol. 90, c. 461).

« *Nobili viro Arnaldo, vicecomiti Caramanni.* Sincere devotionis affectus — Datum. »

5163 S.d. [8 décembre 1332-12 mai 1333 ?].

Eidem facultatem confessorem eligendi concedit. (Reg. 117, fol. 90, c. 462).

« *Eidem.* Benigno sunt illa — Datum.
In e. m. dilecte in Christo filie nobili mulieri Margarite dilecti filii nobilis viri Arnaldi vicecomitis Caramanni [uxori ?]. »

5164 12 mai 1333.

Ruthenensem, Vabrensem et Caturcensem episcopos conservatores ecclesiae Rivensis constituit. (Reg. 117, fol. 90, c. 463 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60334).

« *Judicibus .. Ruthenensi, .. Vabrensi ac .. Caturcensi episcopis.* Ad hoc nos — Datum IIII idus maii, anno decimo septimo. »

5165 14 mai 1333.

Galtero de Divione, reginae Franciae confessori, de Scripturae auctoritatibus reginae Franciae loco solatii intimandis. (Reg. 117, fol. 114, c. 576).

« *Galtero de Divione, ordinis fratrum Minorum, carissime in Christo filie nostre Johanne, regine Francie, confessori.* Credebamus quod venerabilis frater noster P., archiepiscopus Rothomagensis, de multis auctoritatibus Scripture sacre et sanctorum quas ei assignavimus copiam carissime in Christo filie nostre Johanne regine Francie illustri, si placeret recipere, facere debuisset ; quod factum sicut ad nos pervenit, non extitit, licet regine predicte gratum existeret si impletum fuisset. Sane, quia ipsa latinum non intelligit, tibi, de cujus fidelitate et sapiencia plenius confidimus, auctoritates predictas assignare mandamus, quas cura studere cum diligentia, et si qua tibi occurrant dubia super illis, cum devotis et fidelibus tui ordinis fratribus conferre cura, et nobis, si qua remaneant tibi dubia, intimare, illasque regine prefate cum oportunum videris, quasi loco solacii recitare paulatim, quousque si sibi placuerit omnia sint completa. Datum II idus maii, anno decimo septimo. »

5166 15 mai 1333.

Regi Franciae, ut nuntios Aymerici, vicecomitis Narbonensis et consulum ac universitatum civitatis et burgi Narbonensium qui pro litibus inter se via amicabili terminandis ad eum recurrerant commendatos habeat. (Reg. 117, fol. 112 v°, c. 569).

« *Regi Francie.* Cum dilectus filius nobilis vir Aymericus vicecomes Narbonensis et consules ac universitates civitatis et burgi Narbonensium, cupientes litium vitare dispendia, diversas lites ac dissensiones hactenus inter eos ex variis causis subortas duxerint via amicabili sicut accepimus terminandas, et pro concordia hujusmodi confirmanda intendant ad presenciam regiam suos nuntios destinare, regalem excellenciam attente rogamus quatinus eosdem consules ac universitatem in premissis ac aliis que habent in curia regia expedire velit habere eandem excellenciam honestate previa propensius commendatos. Datum idibus maii, anno decimo septimo. »

5167 Avignon, 17 mai 1333.

Guillelmo de Baucio indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 56 v°, p. c. 314).

« Item in e. m. (1) dilecto filio nobili viro Guillelmo de Baucio, domino de Serinhaco, Aurasicensis diocesis, verbis in singulari competentibus mutatis. Datum Avinione, XVI kalendas junii, anno decimo septimo. »

(1) Cf. n. 5105.

5168 Avignon, 17 mai 1333.

Bertrando Cariti, quod fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad triennium percipere possit, quotidianis distributionibus exceptis. (Reg. 117, fol. 93, c. 469).

« *Dilecto filio magistro Bertrando Cariti, archidiacono Vaurensi.* Ex tue devotionis — Datum Avinione, XVI kalendas junii, anno decimo septimo.

Judicibus. Mandamus quatinus vos — Datum ut supra.

In e. m. alie due similes, videlicet gratiosa et executoria, pro dilecto filio Guillelmo Cabiroli, canonico Tholonensi. Datum Avinione, XVI kalendas junii, anno decimo septimo. »

5169 Avignon, 19 mai 1333.

Johanni Bernerii facultatem percipiendi fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad triennium concedit. (Reg. 117, fol. 93 v°, p. c. 469 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60388).

« Item in e. m. (1) alie due similes nichil mutato, pro dilecto filio Johanne Bernerii, canonico Cabilonensi. Datum Avinione, XIIII kalendas junii, anno decimo septimo. »

5170 Avignon, 19 mai 1333 (2).

Petro Rogerii, quod fructus beneficiorum suorum usque ad triennium in absentia percipere possit. (Reg. 117, fol. 93 v°, c. 470).

« *Dilecto filio Petro Rogerii, canonico Lemovicensi.* Meritis tue probitatis — ut supra per omnia usque in finem.

Judicibus. Mandamus quatinus vos — Datum ut supra. »

(1) Cf. n. 5168.

(2) La date est peut-être le 17 mai, si on admet que le renvoi se fait à l'acte 5168 (c. 469) et non au 5169 (p. c.469).

5171 Avignon, 19 mai 1333.

Armando, vicecomiti de Poliniaco, et Poliae de Pictavia, quod matrimonium inter eos tempore prohibito solemnisari potest. (Reg. 117, fol. 95 v°, c. 475).

« *Dilecto filio nobili viro Armando, vicecomiti de Poliniaco, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Polie de Pictavia, Aniciensis et Valentinensis diocesum.* Apostolice Sedis gratiosa — Datum Avinione, XIIII kalendas junii, anno decimo septimo. »

5172 21 mai 1333.

Diffinitoribus capituli generalis ordinis Beatae Mariae de Carmelo ut ordinent ea quae Dei sunt, malos mores aliquorum fratrum corrigent, et pro ipso orent. (Reg. 117, fol. 112 v°, c. 570).

« *Diffinitoribus capituli generalis ordinis Beate Marie de Carmelo et ceteris fratribus ejusdem ordinis in Nemauso in ipso generali capitulo congregatis.* Intensis desideriis per vos in hac congregatione sancta talia et taliter ordinari que ad Dei honorem respiciant et ad ordinis vestri statum prosperum affectantes, vestram prudenciam hortamur in Domino et rogamus quatinus ad ea que Dei sunt, salutem animarum respiciunt, religionem foveant ejusque decorem observent adeo corda sint vestra concordia et opera manifesta quod et interius vestre religionis unitas et exterius fame integritas conserventur. Verum quia ubi disciplina contempnitur necesse est ut religio naufragetur, que utique in ordine vestro remissa ex hoc probatur nimium quod in Romana curia, ubi fratrum conversatio esse debet irreprehensibilior, nimium reprehensibilis reperitur, ubi nonnullli, ut de aliis taceamus, lingas suas maliloquas nedum contra fratres ejusdem ordinis sed etiam contra prelatos dicti ordinis et alios laxare non metuunt, libellosque mendosos diffamatoriosque (1) tradere minime erubescunt, necnon tam de die quam de nocte nonnulli contra alios ad verba procedentes et verbera, scandala suscitare ac pericula varia non formidant, venerabilis frater noster Johannes episcopus terre Albensis, professor dicti ordinis, ac dilecti filii

(1) Reg. : *diffamatorios quod.*

Petrus de Felicianis, noster penitenciarius, necnon et Johannes Marrelleti, prior Provincie, prior provincialis prefati ordinis qui auctoritate nostra inquisivit de aliquibus certasque penas imposuit, graviores ordinacioni generalis capituli de nostro beneplacito relinquenda (*sic*), prudenciam vestram poterunt lacius informare. Super quibus et aliis corrigendis sic curetis providere sedule quod nos non oporteat salubria contra tanta mala remedia adhibere. Sane, quia sicut vestra prudencia non ignorat, navicula Petri, cujus regimini Christus sponsus Ecclesie prefici nos permisit, in hoc mari magno et spacioso tenpestatibus quasi continue quatitur et procellis turbatur, exhortationibus et precibus nostris adhicimus ut ad sponsum ipsum preces humiles devotas et sedulas frequenter velitis fundere, ut ipse, ad sui nominis laudem et gloriam populique salutem et nostram, naviculam ipsam sic nos regere sua pietate concedat quod pia mater Ecclesia filios suos numero et merito pariter nostris multiplicari temporibus glorietur, nobisque quod circa predictum regimen onerosum est leviget, quod laboriosum est alleviet, quod obscurum sue claritatis luce revelet et aspera convertat in plana, sicque vota nostra prevenienter aspiret et misericorditer benignius prosequatur quod zelus noster semper in ipsius beneplacitis ferveat nec unquam in ipsorum executione tepescat. Gratia Domini Nostri Jesu Christi corda vestra ad sua beneplacita in premissis et aliis dirigat et a contrariis protegat et defendat. Datum XII kalendas junii, anno decimo septimo. »

5173 Avignon, 25 mai 1333.

Hugoni, electo Cabilonensi, ut Odonem, ducem Burgundiae, qui quemdam clericum submergi faciendo excommunicationem incurrit, absolvat, satisfacto prius ab eodem duce de bonis ablatis dicto clerico et constructa une capella pro ejusdem anima. (Reg. 117, fol. 95 v°, c. 476 et fol. 111, c. 559).

« *Dilecto filio Hugoni, electo Cabilonensi.* Peticio dilecti nobilis viri Odonis ducis Burgundie nobis exhibita continebat quod, licet ipse olim proprio juramento promiserit non apponere per se vel alium in clericum aliquem manus temere violentas, postmodum tamen audito quod quidam clericus conjugatus sui administrationem gerens hospicii quinque milia librarum et ultra de bonis ducis ipsius furtive habuerat, dux idem provocatus ad hoc multipliciter et turbatus clericum ipsum capi mandavit et fecit carceri mancipari, ac gravibus pluries subici questionibus et tormentis, et tandem in amne (1) submergi ; ac deinde a nonnullis presbiteris premissa non ingnorantibus divina officia audire presumpsit, ipsosque coram se fecit hujusmodi officia celebrare. Super quibus nobis ipse duxit humiliter supplicandum sibi de salubri remedio humiliter provideri. Nos igitur supplicationibus hujusmodi benignius annuentes, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus, si est ita, tu vel dilectus filius .. vicarius tuus generalis in tua absentia, postquam dictus dux de suis bonis propriis pro capella una in aliquo apto et congruo loco pro dicti submersi clerici anima construenda sufficientem pecunie summam penes te vel dictum vicarium duxerit deponendam, necnon certos perpetuos redditus, ad minus viginti librarum turonensium parvorum valorem annuum ascendentes, ipsi capelle per illum qui ibidem pro anima dicti clerici deserviret in futurum percipiendos realiter assignaverit, et de bonis ipsi clerico ablatis plene suis heredibus seu successoribus satisfecerit, jure tamen salvo si quod sibi credat competere in premissis, de quo tu seu dictus vicarius vos possitis informare, simpliciter et de plano etc... eique justiciam ministrare competenter, prefatum ducem ab excommunicationis sentencia quam propter hoc incurrit et hujusmodi homicidii et perjurii reatibus absolvatis in forma Ecclesie consueta, injuncta eidem pro modo culpe penitencia salutari ; quodque dictus dux ad dicti juramenti observanciam reddeat ut tenetur. Nolumus autem quod dictus dux nec ejus heredes in dicta capella jus quovis modo habeant patronatus. Volumus autem et districte mandamus ut infra quindecim dierum spacium ab assignatione dictorum facienda redddituum numerandorum, presbiterum ydoneum ordinare habeatis eique ac suis in capellania successoribus dictos redditus assignare. Datum Avinione, VIII kalendas junii, anno decimo septimo. »

(1) Reg. : *anne.*

5174 Avignon, 28 mai 1333.

Archiepiscopo Burdegalensi et episcopo Xanctonensi, quod Galhardum, olim episcopum Tholosanum, qui citatus ad Curiam non comparendo excommunicatus erat, absolvere possint. (Reg. 117, fol. 101 v°, c. 494).

« .. *archiepiscopo Burdegalensi et .. episcopo Xanctonensi.* Cum Galhardus, olim episcopus Tholosanus, ex eo quia citatus dudum de mandato nostro peremptorio ut certo sibi tunc prefixo termino super certis criminalibus articulis responsurus apud Sedem Apostolicam personaliter compareret, et non comparendo in eodem termino nec etiam postea reputatus merito contumax et excommunicationis sentencia canonice fuerit innodatus, modoque sicut accepimus infirmitate corporali detentus ad Sedem eandem personaliter venire non valens humiliter in partibus petisse dicatur sibi absolutionis beneficium ab eadem sentencia impertiri, nos attendentes quod Ecclesia gremium humiliter redeunti non claudit, ut vos vel alter vestrum eundem Galhardum ab eadem excommunicationis sentencia, si hoc humiliter pecierit, absolvere juxta formam Ecclesie valeatis hac vice, fraternitati vestre de qua fiduciam in Domino specialem gerimus plenam tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem quod super absolutione hujusmodi et forma ipsius instrumentum confici publicum faciatis seriem continens presentium, illud nobis fideliter transmissuri. Datum Avinione, V kalendas junii, anno decimo septimo. »

5175 Avignon, 31 mai 1333.

Petro, abbati monasterii Sancti Germani de Pratis indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 99, c. 482).

« *Dilecto filio Petro, abbati monasterii Sancti Germani de Pratis juxta Parisius, ordinis sancti Benedicti.* Provenit ex tue — Datum Avinione, II kalendas junii, anno decimo septimo. »

5176 Avignon, 1er juin 1333.

Johanni de Rigaldo vicariam perpetuam, si qua forsan existit, in ecclesia de Marquaysio, Sarlatensis diocesis, de qua plurimum litigatur, motu proprio commendat. (Reg. 117, fol. 96, c. 477 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60452).

« *Dilecto filio Johanni de Rigaldo, rectori parrochialis ecclesie de Marquaysio, Sarlatensis diocesis, familiari nostro.* Grata familiaritatis obsequia — Datum Avinione, kalendis junii, anno decimo septimo.

Judicibus : dilectis filiis .. preposito de Insula, Cavallicensis diocesis, ac .. archidiacono Figiacensi, Caturcensis, et Sycardo de Galhaco, canonico Mimatensis ecclesiarum. Mandamus quatinus vos — Datum ut supra. »

5177 Avignon, 3 juin 1333.

Bernardo Amelii quod quotidianas distributiones integras praebendae suae ecclesiae Albiensis in quatuor anni festivitatibus et fructus ejusdem praebendae in absentia usque ad triennium percipere possit. (Reg. 117, fol. 95, c. 474 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60471).

« *Dilecto filio Bernardo Amelii, canonico Albiensi.* Ex tue probitatis — Datum Avinione, III nonas junii, anno decimo septimo.

Judicibus. Quocirca discretioni vestre — Datum ut supra. »

5178 Avignon, 4 juin 1333.

Galhardo de Cardalhaco, quod fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad triennium recipere possit, quotidianis distributionibus exceptis. (Reg. 117, fol. 93, c. 468 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60480).

« *Dilecto filio magistro Galhardo de Cardalhaco, archidiacono Carnotensi, capellano nostro.* Nobilitatem generis, vite — Datum Avinione, II nonas junii, anno decimo septimo.

Judicibus : venerabili fratri episcopo Agathensi et dilectis filiis Bernardo Hugonis de Cardalhaco, Ruthenensis, et Bernardo de Scayraco, Carnotensis canonicis ecclesiarum. Quocirca discretioni vestre — Datum ut supra in proxima. »

5179 Avignon, 5 juin 1333.

Episcopum Silvanectensem, decanum Rothomagensem et archidiaconum Petragoricensem conservatores bonorum et privilegiorum magistri Galhardi de Cardalhaco, archidiaconi Carnotensis, constituit. (Reg. 117, fol. 91, c. 464).

« *Judicibus : venerabili fratri episcopo Silvanectensi et dilectis filiis .. decano Rothomagensis ac.. archidiacono Petragoricensis ecclesiarum.* Ad hec nos — Datum Avinione, nonis junii, anno decimo octavo. »

5180 Avignon, 6 juin 1333.

Petro de Garontieres ejusque uxori indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 99 v°, c. 485).

« *Dilecto filio nobili viro Petro de Garontieres, militi, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Isabelli, ejus uxori, Ebroicensis diocesis.* Provenit ex vestre — Datum Avinione, VIII idus junii, anno decimo septimo.

In e. m. dilecto filio nobili viro Roberto Frecart, militi, et dilecte in Christo filie Isabelli, ejus uxori Pictavensis diocesis. Datum ut supra.

Item in e. m. dilecto filio Guillelmo de Courcillon et Isabelle ejus uxori. Datum ut supra.

Item in e. m. dilecto filio nobili viro Garino de Fontanis et Johanne, ejus uxori, Andegavensis diocesis. Datum ut supra.

Item im e. m. dilecto filio nobili viro Hugoni de Belleyo, militi, et Almurie, ejus uxori, Turonensis diocesis. Datum ut supra.

Item in e. m. Petro Forgeti, Suessionensis diocesis. Datum ut supra.

Item in e. m. nobili viro Baldoino de Rochis, militi, Andegavensis diocesis. Datum ut supra.

Item in e. m. nobili mulieri Mathee de Rochis, Andegavensis diocesis. Datum ut supra. »

5181 Avignon, 6 juin 1333.

Mathae, uxori Bernardi de Lebreto, indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 102, c. 496).

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Mathe, dilecti filii Bernardi Esii, domini de Lebreto, Vasatensis diocesis, uxori.* Provenit ex tue — Datum Avinione, VIII idus junii, anno decimo septimo. »

5182 Avignon, 11 juin 1333.

Dragoneto, episcopo Vapincensi, indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 56 v°, p.c. 314 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60522).

« Item in e. m. ut in proxima (1) venerabili fratri Dragoneto, episcopo Vapincensi. Datum Avinione, III idus junii, anno decimo septimo. »

5183 Avignon, 11 juin 1333.

Dragoneto episcopo Vapincensi testandi facultatem concedit. (Reg. 117, fol. 56 v°, c. 315 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60521).

« *Venerabili fratri Dragoneto, episcopo Vapincensi.* Quia presentis vite — Datum Avinione, III idus junii, anno decimo septimo. »

5184 11 juin 1333.

Bertrando, archiepiscopo Viennensi, ut ad Curiam veniat. (Reg. 117, fol. 60, c. 332).

« *Bertrando, archiepiscopo Viennensi.* Quia super certis negociis tua nobis existit presencia oportuna, fraternitati tue presentium tenore mandamus quatinus ad nostram presentiam quantocius commode poteris, sublata cunctatione qualibet, studeas te conferre. Datum III idus junii, anno decimo septimo. »

5185 Avignon, 12 juin 1333.

Gerardo de Rossilione ejusque uxori indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 56 v°, p. c. 314 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60531).

(1) Cf. n. 5105.

« Item in e. m. (1) dilecto filio nobili viro Gerardo de Rossilione, domino de Angio, Viennensis diocesis, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Jordane, ejus uxori. Datum Avinione, II idus junii, anno decimo septimo. »

5186 Avignon, 12 juin 1333.

Ademaro Mortelli testandi facultatem concedit. (Reg. 117, fol. 98 v°, c. 481 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60529).

« *Dilecto filio Ademaro Mortelli, preposito prepositure de Subterranea, ordinis sancti Benedicti, Lemovicensis diocesis.* Quia presentis vite — Datum Avinione, II idus junii anno decimo septimo. »

5187 Avignon, 13 juin 1333.

Petro de Mennaco et Benedicto Andreae concedit ut quasdam domos quas prope capellam Beatae Mariae de Miraculo Avinionensem construi fecerunt, ab assignationibus et taxationibus Romanae curiae exemptae sint. (Reg. 117, fol. 97 v°, c. 478 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60537).

« *Dilectis filiis magistro Petro de Mennaco, canonico Caturcensi, scriptori nostro, et Benedicto Andree, nato quondam Petri Andree, civi Caturcensi.* Vestra coram nobis exhibita peticio continebat quod tu, fili Petre, tuo nomine, fili Benedicte, quasdam domos cum claustro et viridario sive orto sitas prope capellam Beate Marie de Miraculo Avinionensem in territorio vocato « vinea episcopalis » seu de Lestel, confrontatas ex parte una cum careria publica per quam itur de rippa Rodani prope domum fratrum Predicatorum Avinionensium ad capellam predictam, et ex alia parte cum terra Petri Ortholani civis Avinionensis, in solo per te, Petre predicte, ibidem dicto nomine acquisito construi et edificari fecisti, non sine magnis sumptibus et expensis. Cum itaque vobis dampnosum nimium et importabile propter expensas hujusmodi redderetur si domus predicte assignarentur aliquibus et taxarentur prout de hospiciis in Romana curia fieri consuevit, nobis humiliter supplicastis ut providere vestris super hiis indempnitatibus de benignitate solita dignaremur. Nos igitur ex premissis et aliis justis causis nostrum ad id moventibus animum vestris supplicacionibus inclinati, domos predictas ab assignationibus et taxationibus predictis tenore presentium eximimus de gracia speciali, districtius inhibentes ut, quamvis (*sic*) consuetudine contraria non obstante, dicte domus fratribus nostris Sancte Romane Ecclesie cardinalibus vel quibuscumque aliis personis assignari seu taxari nequeant absque vestro ac heredum et successorum vestrorum expresso consensu. Nulli ergo etc... Datum Avinione, idibus junii, anno decimo septimo. »

(1) Cf. n. 5105.

5188 13 juin 1333.

Reginae Franciae de devotione sua gratias agit eique negotia Arnaldus Caramanni ac A. Talardi vicecomitum Petrique de Via domini Villemuri commendat. (Reg. 117, fol. 112, c. 565).

« *Eidem regine.* Regie serenitatis apices affectum sincerum (*sic*) quem ad nos et matrem tuam geris Ecclesiam, indubia preferentes indicia gratanter accepimus et in eis contenta intelleximus diligenter, quibus respondere credebamus lacius, sed occupationes innumere que occurrunt et specialiter in presenti nostro obstiterunt proposito. Sed sinceritatem tuam in Domino commendantes ipsam digna gratiarum prosequimur actione, parati ad ea que excellencie tue respiciumt comodum et honorem, Largitorem bonorum omnium obnixius deprecantes ut te sue favore gratie prosequatur, copia liberorum honoret et de preminencia solii temporalis deinde ad gaudia transferat sempiterna. Recomendamus benivolencie regie que dilecti filii nobiles viri Arnaldus Caramanni et A. Talardi vicecomites, et Petrus de Via, dominus Villemuri, nepotes nostri habent in curia regia expedire. Datum idibus junii, anno decimo septimo. »

5189 Avignon, 20 juin 1333.

Petro de Heremo, quod fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad triennium percipere possit. (Reg. 117, fol. 93 v°, c. 471 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII,n. 60597).

« *Dilecto filio Petro de Heremo, rectori parrochialis ecclesie Sancti Privati de Valle, Mimatensis diocesis.* Vite ac morum — Datum Avinione, XII kalendas julii, anno decimo septimo.

Judicibus : dilectis filiis .. abbati secularis ecclesie Sancti Asterii diocesis Petragoricensis et .. archidiacono de Ultradordoniam ac Guillelmo Audeberti canonico ecclesie Petragoricensis. Mandamus — Datum ut supra in proxima nota. »

5190 Avignon, 21 juin 1333.

Arnaldo de Verdala quod bona quondam Bartholomei episcopi Electensis reservata nomine Camerae exigat. (Reg. 117, fol. 97 v°, c. 479).

« *Dilecto filio magistro Arnaldo de Verdala, archidiacono Mirapiscensi, Apostolice Sedis nuntio.* Cum nos dudum bonorum mobilium bone memorie Bartholomei, episcopi Electensis, dispositionem certis causis rationabilibus nos ad hoc moventibus nobis duxerimus specialiter reservandam, velimusque de bonis eisdem, ut de ipsis melius et liberius valeamus prout nobis expedire videbitur ordinare, habere certitudinem pleniorem, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus de bonis eisdem, in quibuscumque rebus existant, sumarie, de plano et simpliciter, sine strepitu et figura judicii, te informans, illa petere, exigere ac recipere nostro nomine cum integritate procures, contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, nonobstante si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem quod eos a quibus bona receperis supradicta possis absolvere plenius et quitare de hiis que inde ab ipsis recipere contigerit. Datum Avinione, XI kalendas julii, anno decimo septimo. »

5191 Avignon, 22 juin 1333.

Parrochialem ecclesiam Sanctae Crucis prope Montemcucum, Caturcensis diocesis, vacantem, monasterio Beatae Mariae Caturcensis, Cartusiensis ordinis, unit. (Reg. 117, fol. 98, c. 480 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60610).

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Cartusiensis ordinem, cujus sinceritas in sua simplicitate non deficit sed fervore religionis et exemplari vita prefulgens, promovente Domino, semper crescit, ampliare dudum ad laudem Dei et gloriam divinique cultus augmentum et profectum animarum fidelium cupientes, locum tum vocatum de Templo situm in suburbiis civitatis Caturcensis per nos a dilectis filiis .. magistro et fratribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, ad quos ex ordinatione Sedis Apostolice post sublationem quondam ordinis Templariorum pervenerat, Ecclesie Romane acquisitum dilectis filiis .. priori et fratribus ordinis Cartusiensis predictis cum omnibus edificiis, capellis, juribus et pertinenciis suis auctoritate apostolica duximus imperpetuum concedendum, ecclesiam tunc seu capellam Beate Marie dicti loci eadem auctoritate in monasterium erigentes, ac etiam statuentes quod ex tunc prior et conventus dicti Cartusiensis ordinis famulantes Domino jugiter juxta predicti statuta ordinis perpetuis temporibus essent ibi, sicut in litteris nostris inde confectis plenius continetur. Cum itaque .. idem prior et conventus jam in eodem monasterio collocati resideant, ibidem continue laudis concinentes jubilum et in humilitate spiritus reddentes Altissimo vota sua, nos, volentes eis ut circa hec et alia divina beneplacita quiescius insistere valeant, de aliqualis subventionis auxilio graciosius subvenire, attendentes quoque quod parrochialis ecclesia Sancte Crucis prope Montemcucum Caturcensis diocesis per obitum quondam Deodati de Cambolani rectoris ipsius ecclesie, qui nuper apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, apud Sedem ipsam vacat ad presens, de qua nullus preter nos disponere potest pro eo quod nos, dudum ante vacationem hujusmodi, omnes ecclesias ceteraque beneficia ecclesiastica tunc apud dictam Sedem vacancia et in antea vacatura dispositioni nostre specialiter reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane si secus de illis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, predictam ecclesiam sic vacantem cum omnibus juribus et pertinenciis suis motu proprio, non ad eorum .. prioris et conventus vel alterius pro eis oblate nobis peticionis instanciam sed de nostra

mera liberalitate, prefato monasterio Beate Marie Caturcensis concedimus, applicamus, annectimus auctoritate predicta perpetuo et unimus per eosdem priorem et conventum dicti monasterii tenendam perpetuis temporibus et pacifice possidendam; volentes ac eciam concedentes quod ipsi .. prior et conventus per se vel procuratorem aut procuratores suos ejusdem ecclesie Sancte Crucis ac omnium jurium et pertinentiarum ipsius possessionem corporalem auctoritate propria exnunc ingredi, recipere ac licite retinere valeant, loci diocesani et cujusvis alterus assensu minime requisito, ipsiusque fructus, redditus et proventus in utilitatem et necessitatem suam et dicti monasterii convertere ac etiam dispensare, reservata tamen pro vicaria perpetua et oneribus ipsius ecclesie supportandis de hujusmodi fructibus, redditibus et proventibus portione congrua statuenda, taxanda et assignanda prout duxerimus ordinandum; non obstantibus si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi ecclesiis vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales nostras vel predecessorum nostrorum Romanorum pontificum aut legatorum Sedis predicte litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel aliter quomodolibet sit processum, quas litteras et processus per eas habitos ad dictam ecclesiam volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem ecclesiarum et beneficiorum aliorum prejudicium generari; seu si venerabili fratri nostro .. episcopo Caturcensi vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit Sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneatur et ad id compelli, seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de hujusmodi vel aliis ecclesiis et beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem vel presentationem seu quamcumque aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri vel aliter de ipsis disponi per litteras aspostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgencia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo etc... Datum Avinione, X kalendas julii, anno decimo septimo.

Judicibus : Mandamus quatinus vos. — Datum ut supra. »

5192 Avignon, 27 juin 1333.

Johannem Gilberti ordinis beatae Mariae de Montecarmelo procuratorem generalem instituit. (Reg. 117, fol. 57, c. 316; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60639).

« *Dilecto filio Johanni Gilberti, ordinis beate Marie de Montecarmelo, ejusdem ordinis procuratori generali.* Quia pridem Radulpho procuratore olim genetali ordinis beate Marie de Montecarmelo ab officio procurationis hujusmodi exigentibus suis excessibus et delictis, amm(to, dilecti filii generale ipsius ordinis capitulum apud Nemausum post ammotionem predictam hiis diebus preteritis celebratum procuratorem ejusdem ordinis constituere non curantes id nostro beneplacito hac vice duxerint relinquendum, nos qui ordinem ipsum sincere diligimus et libenter ad ea que ipsius honorem et exaltationem respiciunt studio paterne solicitudinis intendimus, premissis et aliis certis et rationabilibus causis suadentibus, eidem volentes ordini de procuratore ydoneo providere, attendentesque religionis zelum, vite puritatem, morum probitatem, litterarum scienciam et alia merita virtutum in te ingencia, super quibus nonnulli magne opinionis viri dicti ordinis tibi laudabile perhibuerunt testimonium in nostra presentia constituti, te procuratorem generalem supradicti ordinis cujus professor existis cum potestate ac graciis ipsius ordinis quas procuratores generales ejusdem ordinis in Romana curia et alibi exercere consueverunt hactenus et habere auctoritate apostolica usque ad nostrum et Apostolice Sedis beneplacitum constituimus tenore presentium ac etiam deputamus, per hec autem tamen eidem ordini aut illi vel illis cui vel quibus aliter competit procuratorem sepedicti ordinis constituere non intendimus imposterum derogare. Nulli ergo etc.. Datum Avinione, V kalendas julii, anno decimo septimo. »

5193 Avignon, 28 juin 1333.

Neapoleoni, electo Montisregalis concedit ut fructus archidiaconatus quem in Remensi ac cantoriae quam in Laudunensi ecclesia obtinet canonicatuumque ac praebendarum ipsius in ecclesiis Tornacensi, Sancti Audomari et Furnensi usque ad unum annum percipere valeat. (Reg. 117, fol. 137, c. 684 ; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 667, n. 3433).

« *Dilecto filio Neapoleoni, electo Montisregalis.* Meritis tue — Datum Avinione, IV kalendas julii, anno decimo septimo.

In e. m. Raynaldo de filiis Ursi... notario pape et abbati monasterii Sancti Remigii Remensis, ac Ligo de Urbeveteri, canonico Remensi. »

5194 4 juillet 1333.

Guillelmo, episcopo Parisiensi, de tribus milibus florenorum auri quos a Petro, Rothomagensi archiepiscopo, praesentari fecit, regratiatur. (Reg. 117, fol. 114 v°, c. 578).

« *Guillelmo, episcopo Parisiensi.* De tribus milibus florenis auri, quos pro nostris et Ecclesie Romane necessitatibus utique grandibus utilius relevandis nobis per venerabilem fratrem nostrum Petrum, Rothomagensem archiepiscopum, die date presentium offerri fecisti, gratiarum fraternitati tue referimus uberes actiones. Datum IIII nonas julii, anno decimo septimo. »

5195 Avignon, 7 juillet 1333.

Matheo de Omervilla, monacho Sancti Dyonisii in Francia, quod absque licentia abbatis sui sacramentum in recipiendo honorem magisterii theologiae praestare possit. (Reg. 117, fol. 99, c. 483 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60717 ; — Denifle et Chatelain, *Chartularium Universitatis ...*, t. II, p. 408, n. 957).

« *Dilecto filio Matheo de Omervilla, monacho monasterii Sancti Dionisii in Francia, ordinis sancti Benedicti, Parisiensis diocesis, in sacre theologie facultate bacallario.* Dudum fidedigna relatione percepto quod tu adeo in sacre theologie facultate, gratia tibi assistente divina, profeceras quod merito reputabaris ydoneus ad honorem magisterii recipiendum in ipso, dilecto filio cancellario ecclesie Parisiensis per nostras certi tenoris litteras dedisse meminimus in mandatis ut si esset ita, non obstante quod aliqui bacallarii in facultate predicta te ordine recipiendi magisterium hujusmodi precederent, te ad statum ejusdem magisterii promoveret, sicut in eisdem litteris plenius continetur. Sane cum sicut nuper pro parte tua fuit propositum coram nobis, illi qui promoventur ad statum predictum certum prestare juramentum prestari solitum in promotione hujusmodi teneantur, tuque illud prestare, monasterii Sancti Dionisii in Francia ordinis sancti Benedicti Parisiensis diocesis cujus existis monachus seu ejusdem ordinis statutis et consuetudinibus contrariis obstantibus, licite nequeas absque dilecti filii .. abbatis ejusdem monasterii licencia speciali, nos nolentes quod propter hoc tua promotio ad statum predictum, si alias juxta litterarum predictarum seriem fieri valeat, retardetur, tuis supplicationibus inclinati tibi ut predictis statutis et consuetudinibus nequaquam obstantibus, juramentum [predictum] etiam absque licencia dicti abbatis speciali prestare ac alia omnia et singula que circa receptionem predicti magisterii per promotos ad illud fieri consueverunt et debent, alias tamen licita et honesta, licite facere valeas plenam et liberam auctoritate apostolica licenciam tenore presentium elargimur. Nulli ergo etc... Datum Avinione, nonis julii, anno decimo septimo. »

5196 7 juillet 1333.

Aymonem, comitem Sabaudiae hortatur ut, treugis inter eum et Guigonem dalfinum Viennensem initis, ab omni offensione usque ad nuntiorum apostolicorum adventum abstineat. (Reg. 117, fol. 60, c. 333).

« *Aymoni, comiti Sabaudie.* Percepimus cum gaudio treugas inter te et dilectum filium magnificum virum Guigonem dalfinum Viennensem usque ad certi temporis spacium fuisse indictas, sperantes quod, faciente pacis Actore, sic infra dicti temporis spacium vestros ad pacis bonum habilitasset animos quod pax a cunctis desiderata fidelibus sequeretur. Noviter autem displicenter nimis audivimus quod, pacis emulo procurante, ad guerre discrimina vos paratis. Sane quia nos, more pii patris quem non

pretereunt incomoda filiorum, pro vitandis guerrarum periculis que faciliter nequeunt numerari ac pacis bonis innumeris procurandis que ipsam solita sunt comunicare (1) disposuimus interponere partes nostras, ad que procuranda jam personas ad hoc oportunas ut credimus neutrique parti suspectas duximus eligendas, que se cum acceleratione disponunt et preparant ad partes illas accedere. Pro premissis, si Deus annuerit, immo verius procurandis, magnificentiam tuam hortamur in Domino et rogamus attente quatinus guerrarum incomodis consideratis provide et pacis commodis diligenter attentis, abom ni offensione usque ad eorum adventum quem speramus futurum usque ad octo dierum spacium omnino velit tua prudencia abstinere eorumque salutaribus monitis tuum animum inclinare. Datum nonis julii, anno decimo septimo.

In eundem modum Guigoni, dalphino Viennensi. »

5197 Avignon, 15 juillet 1333.

Guillelmo de Engolisma indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 89 v°, c. 457; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60749).

« *Nobili viro Guillelmo de Engolisma, Caturcensis diocesis.* Sincere devotionis integritas — Datum Avinione, idibus julii, anno decimo septimo. »

5198 Avignon, 16 juillet 1333.

Armando, archiepiscopo Aquensi, et Alberto, episcopo Mimatensi, mandat ut Aymonem, Sabaudiae comitem, et Guigonem, dalphinum Viennensem ad pacem inter eos reformandam inducent. (Reg. 117, fol. 57, c. 317).

« *Venerabilibus fratribus Armando, archiepiscopo Aquensi, et Alberto, episcopo Mimatensi.* Scimus quod hostis pacis caritatis emulus et humani generis inimicus, tam inter quondam Amedeum, comitem, dilecti filii nobilis viri Aymonis, comitis Sabaudie, et quondam Johannem dalphinum Viennensem, dilecti filii nobilis viri Guigonis, dalphini Viennensis, genitores et predecessores, quam inter eosdem Aymonem et Guigonem, zizaniarum jecit semina, que adeo pernitiosam excreverunt in segetem, quod utrique parti dispendia varia spiritualia et temporalia intulerunt.. Et licet nos ad semina hujusmodi extirpanda tam tempore Amadei et Johannis predictorum ac quondam Eduardi, Sabaudie comitis, ejusdem Amedei filii et predecessoris immediati prefati Aymonis comitis dum viverent, quam tempore Aymonis comitis et Guigonis dalphini predictorum, solennes ad eorum presenciam propterea destinando nuncios, sepius curaverimus sedulam diligentiam adhibere, nostro tamen frustrati desiderio hoc nequivimus obtinere, ymmo idem Aymo, comes, et Guigo dalphinus, hostis predicti perniciosis acquiescendo suasionibus, sicut displicenter nimis accepimus, ad offensiones mutuas presencialiter se disponunt. Et quamvis, eorum attenta duricia in hac parte, videretur quod ab hortationibus ces[s]are circa hec ulterius deberemus, adherentes tamen cujusdam Sapientis consilio sic dicentis: « Cumque mones aliquem, nec se velit ipse moneri, si tibi sit carus, noli desistere ceptis », a pace inter eos procuranda cessare non intendimus, sed potius studiosam diligenciam adhibere. Hinc est quod vobis, de quorum prudencia et experiencia fiduciam in Domino gerimus pleniorem quosque dicte pacis supponimus fervidos zelatores, per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus vos, ad eorundem comitis et dalfini presenciam et partes illas e vestigio conferentes, ipsos eorumque sequaces, valitores et adherentes super hiis, per vos vel alios prout expedire videritis, ad pacis reformationem mutue inducatis. Et quia, durantibus congressibus eorundem, non possent sicut oporteret efficaciter que pacis sunt procurari, eos ante omnia inducere ad treugas competentes aliquas invicem ineundas, quibus durantibus tam vos quam ipsi possitis circa pacem eandem reformandam intendere, salubrius procuretis; quas si inire curaverint, eas auctoritate nostra confirmandi ac penis et sentenciis de quibus expedire credideritis vallandi ac etiam roborandi, necnon dissolvendi revocandi, vacuandi (1) et irritandi; quasvis colligationes, pactiones, societates, confederationes et ligas inter quoscumque, occasione discordie hujusmodi nutriende factas quomodolibet seu initas ac penas adjectas et juramenta super eis prestita, cum juramentum vinculum iniquitatis esse non debeat, relaxandi, et alia universa et singula que circa premissa oportuna fuerint gerendi, faciendi et exercendi, fraternitati vestre plenam concedimus tenore

(1) Reg. : *comunicari.*

(1) Reg. : *vacacuandi.*

presentium facultatem. Datum Avinione, XVII kalendas augusti, anno decimo septimo. »

5199 Avignon, 16 juillet 1333.

Eisdem de eadem pace scribit eisque inferendi poenas contra infringentes treugas potestatem concedit. (Reg. 117, fol. 57 v°, c. 318).

« *Eisdem* [*Armando, archiepiscopo Aquensi, et Alberto episcopo Mimatensi*]. Scimus etc.. ut supra usque : diligenciam adhibere. Hinc est quod vos de quorum prudencia et experiencia fiduciam in Domino gerimus pleniorem quosque dicte pacis supponimus fervidos zelatores ad predictorum comitis et dalfini presenciam partesque illas propterea destinantes, vobis per alias nostras litteras [mandantes] ut ipsos eorumque sequaces, valitores, adherentes super hiis per vos vel alios ut expedire videretis ad pacis reformationem mutue inducere curaretis. Et quia congressibus eorundem durantibus non possent sicut oporteret que pacis sunt procurari, eos ante omnia eos (*sic*) etiam inducere ad treugas competentes aliquas invicem iniendas quibus durantibus tam vos quam ipsi circa pacem eandem salubrius intendere valeretis providimus committendum. Sane, si quod absit ipsi super pacis reformatione predicte vel indicendis treugis acquiescere vestris monitis recusarent, ut, ne in dampnum rei publice ac animarum et corporum dispendium ad congressus hujusmodi procedatur, treugas que pacis representent imaginem inter ipsos comitem et dalphinum ac ipsorum et cujuslibet ipsorum valitores, adherentes, sequaces et subditos, auctoritate nostra inducere duraturas usque ad aliquem terminum competentem, de quo vobis videbitur, valeatis, ipsas penis et sentenciis de quibus expediens cognoveritis vallando ac etiam roborando, ita tamen quod pene et sententie hujusmodi, postquam treuge ipse per vos indicte ac publicate fuerint, sic illum vel illos ex dissidentibus ipsis eas non servantibus vel infringentibus treugas afficiant, quod alium vel alios eas observantes vel observare paratos in aliquo non contingant, fraternitati vestre plenam concedimus tenore presentium potestatem. Datum ut supra [XVII kalendas augusti, anno septimo decimo]. »

5200 Avignon, 17 juillet 1333.

Florae, uxori Petri Thomae, militis, indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 89 v°, p. c. 457).

« Item in e. m. ut in proxima (1) nobili mulieri Flore, uxori dilecti filii nobilis viri Petri Thome, militis, Nemausensis diocesis, verbis competentibus mutatis. Datum Avinione, XVI kalendas augusti, anno decimo septimo. »

5201 20 juillet 1333.

Aymoni comiti Sabaudiae ut consiliis Armandi archiepiscopi Aquensis, et Alberti, episcopi Mimatensis, nuntiorum apostolicorum, pro pace cum Guigone dalfino Viennensi facienda acquiescat. (Reg. 117, fol. 60, c. 334).

« *Eidem comiti Sabaudie.* Dum pacis commoda consideranter attendimus ac dissensionum discrimina consideramus attente, profecto illam inter omnes fideles vigere cupimus et hanc (*sic*) omnibus exulare. Sane quia jam diu est inter tuos ex una parte et et (*sic*) dilecti filii nobilis viri Guigonis dalfini Viennensis progenitores ex altera jecit hostis pacis dissensionum semina que perniciosam produxerunt segetem nec producere, quod dolentes referimus, adhuc cessant, nos lapsus rerum qui utrique inde proveniunt necnon strages corporum et animarum pocius deploranda pericula diligencius attendentes, nobilitatem tuam hortamur in Domino attencius et rogamus quatinus, premissa considerans diligenter, tam tue quam per hoc innumeris exponis periculis quam proximorum tuorum animabus quas habes sicut tuam diligere miserendo, ad pacem inter te ac eundem delfinum reformandam et observandam inviolabiliter tuum habilites animum et inclines ; et quia vox viva fortius quam mortua imprimere consuevit, ad hec procuranda venerabiles fratres nostros Armandum archiepiscopum Aquensem et Albertum episcopum Mimatensem ad tuam et ejusdem dalphini presenciam velut pacis angelos destinamus, nostris precibus et exhortationibus subjungentes ut eorum exhortationibus salubribus taliter acquiescas quod ad illa provenire merearis gaudia que Sapiens hiis qui pacis ineunt consilia repromittit.

(1) Cf. n. 5197.

In eundem modum dicto dalfino. Datum XIII kalendas augusti, anno decimo septimo. »

5202 20 juillet 1333. (1)

Ademaro de Pictavia super eodem, ut praefatis nuntiis assistat. (Reg. 117, fol. 60, c. 335).

« *Ademaro de Pictavia.* Dum pacis commoda etc... Quocirca nobilitatem tuam rogamus attencius et hortamur quatinus eisdem archiepiscopo et episcopo favoribus et consiliis opportunis assistens eundem dalfinum ad premissa efficaciter inducere non postponas.

In e. m. Amedeo de Pictavia, domino Taulinhanii.

In e. m. Guillelmo, principi Aurasicensi.

In e. m. Agouto de Baucio, familiari nostro.

In e. m. Ludovico de Sabaudia, domino Vaudi, mutato ubi dicitur : « eundem dalfinum », eundem comitem.

In e. m. cum eadem mutacione Philippo de Sabaudia, domino Taurinii.

In e. m. cum eadem mutatione Radulpho, domino Novicastri.

In e. m. cum eadem mutacione, Amedeo, comiti Gebennensi.

In e. m. cum eadem mutacione Eduardo, domino Bellijoci. »

5203 20 juillet 1333.

Bertrando, archiepiscopo Viennensi, super eodem ut eisdem nuntiis assistat. (Reg. 117, fol. 60 v°, c. 336).

« *Bertrando, archiepiscopo Viennensi.* Dum pacis commoda — Datum in omnibus ut supra [XIII kalendas augusti, anno decimo septimo].

In e. m. Guillelmo, archiepiscopo Lugdunensi.

In e. m. Bertrando, archiepiscopo Tarantasiensi.

In e. m. Aymoni, episcopo Mauriani. Datum ut supra. »

(1) Date des actes précédents et suivants.

5204 21 juillet 1333.

Regi Franciae Johannem dalphinum Alverniae, qui in curia regia quaedam negotia expedire habet, commendat. (Reg. 117, fol. 114 v°, c. 579).

« .. *regi Francie.* Cum dilectus filius nobilis vir Johannes, dalphinus Arvernie, quedam habeat sua negocia in curia regia expedire, tam ipsum quam ipsius negocia benivolencie regie propensius commendamus. Datum XII kalendas augusti, anno decimo septimo. »

5205 22 juillet 1333.

Regi Siciliae ut ad passagium ordinandum cum rege Franciae ad Curiam veniat. (Reg. 117, fol. 148, c. 746).

« *Regi Sicilie.* Novit excellentia regia quomodo carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francie illustris jam diu est procuravit indici contra detentores terre promissionis passagium generale super quo ita sedule institit quod videtur quasi omnino dispositum ad complendum. Et quia in ipso passagio multa erunt disponenda super quibus idem rex tuum, fili carissime, desiderat consilium, quod satis posset habilius fieri si ad partes istas contingeret te transferre, roget rex ipse tuam excellenciam ut, si com[m]ode posset fieri, hoc digneris implere. Et quia speramus in Domino quod tua regalis presencia nedum pro illo negotio quod inter alios mundi principes multipliciter te contingat, sed etiam quoad multa alia utrique expediencia posset esse multipliciter oportuna, videretur nobis expediens, si hoc paterentur regia negocia et absque regni posset periculo fieri, quod tua magnificencia se regiis desideriis coaptaret. Et si forsan ad presens propter adventum carissimi in Christo filii nostri Caroli, regis Ungarie illustris, non posset fieri, quod hoc cum primum se offerret oportunitas adimplere deberes. Gratia Domini Nostri Jesu Christi cor tuum ad sua beneplacita dirigat et protegat ab adversis Datum XI kalendas augusti, anno decimo septimo. »

5206 Avignon, 23 juillet 1333.

Universis personis ecclesiasticis ut Armando, archiepiscopo Aquensi, et Alberto, episcopo Mimatensi, pro concordia inter Aymonem, comitem Sabaudiae, et Guigonem, dalfinum Viennensem, procuranda nuntiis destinatis, de pecuniis necessariis, scilicet dicto archiepiscopo de sex libris turonensium parvorum, et dicto episcopo de quatuor libris ejusdem monete diebus singulis provideant. (Reg. 117, fol. 73, c. 396).

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris, rectoribus et aliis ecclesiarum prelatis ipsorumque vices gerentibus, capitulis quoque, conventibus ceterisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Premostratensis, Grandimontensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum ac domorum Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Beate Marie Theutonicorum, Calatravensis et Humiliatorum magistris, prioribus et preceptoribus vel eorum locatenentibus ad quos presentes littere pervenerint.* Cum pro pacis concordia inter dilectos filios nobiles viros Aymonem Sabaudie comitem ex parte una, et Guigonem dalfinum Viennensem ex altera dissidentes periculose nimium procuranda, venerabiles fratres nostros Armandum archiepiscopum Aquensem et Albertum episcopum Mimatensem, Apostolice Sedis nuncios, ad eorundem comitis et dalfini presenciam partesque illas providerimus destinandos, universitatem vestram rogamus et monemus et hortamur attente, vobis nichilominus per apostolica scripta mandantes quatinus prefatos archiepiscopum et episcopum cum familiis et rebus suis cum per partes et loca vestra transitum fecerint benigne recipientes et honorificencia debita pertractantes, eis vel eorum nunciis pro suis expensis necessariis, videlicet dicto archiepiscopo in sex libris turonensium parvorum et dicto episcopo in quatuor libris dicte monete pro diebus singulis liberaliter providere curetis, quas tamen ipsi archiepiscopus et episcopus possint dividere inter plures pro suarum viribus facultatum quando et qualiter sibi videbitur expedire, non obstante si vobis aut vestrum aliquibus comuniter vel divisim a Sede sit indultum predicta quod ad provisionem seu subventionem quancumque alicujus minime teneamini, quodque ad id non possitis compelli per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, aut qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quem effectus presentium impediri posset quomodolibet vel differri. Alioquin sententiam quam ipsi archiepiscopus et episcopus rite tulerint in rebelles ratam habebimus et faciemus, actore Domino, usque ad satisfactionem condignam appellatione postposita inviolabiliter observari. Datum Avinione, X kalendas augusti, anno decimo septimo. »

5207 Avignon, 26 juillet 1333.

Philippum regem Franciae capitaneum generalem totius exercitus ultramarini passagii Terrae Sanctae constituit et regnum Franciae terrasque illorum qui cum eodem rege transfretabunt durante ipso negotio sub sua protectione suscipit, nonnulla de concessione indulgentiarum et subsidii declarando. (Reg. 104, fol. 3, c. 7 ; — Arch. nat., L 304, n. 67 (copie) ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 61202).

« *Johannes episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri, salutem et apostolicam benedictionem.* Ad liberationem Terre Sancte totis affectibus aspirantes circa ea libenter intendimus per que id Deo propicio valeat provenire, hiisque nimirum occurrimus per que posset dilate nimium et plurimum desiderate liberationis jamdicte prosecutio impediri. Cum igitur, fili carissime, ultramarinum generale passagium ad supplicem precum tuarum instantiam nuper de fratrum nostrorum consilio indicendum duxerimus, et te illius ac totius exercitus christiani qui auctore Domino transfretabit in ipso rectorem constituerimus et capitaneum generalem, tuique procuratores et nuncii ad hec per tuas patentes litteras coram nobis et eisdem fratribus exhibitas plenum et speciale mandatum habentes pro te ac tuo nomine idem passagium, necnon capitaneatum generalem et rectoriam illius assumpserint, et prout poterant ex eodem mandato pro te et in tuam animam corporale prestiterint juramentum quod tu in assignato per nos ad hoc termino arripies iter ejusdem passagii, illudque deinde realiter et personaliter prosequeris, justo ac legitimo impedimento cessante, sub certis tamen conditionibus modis et formis contentis in tuis

predictis et nostris aliis litteris super dicti passagii indictione confectis, prout hec omnia in predictis nostris litteris seriosius continentur, ut idem passagium eo liberiori animo prosequaris quo regnum tuum et terras illorum qui tecum transfretaverint in ipso passagio majori favore Sedis Apostolice sentias communita, tuis postulationibus benignius annuentes, regnum predictum ac terras eorum qui tecum in dicte Terre Sancte subsidium transfretabunt quamdiu in hujusmodi sancti negocii prosecutione fueritis, sub beati Petri et nostra protectione spirituali suscipimus, districtius inhibentes ne quis te aut alios supradictos contra hujusmodi protectionis nostre tenorem in eisdem regno et terris turbare, molestare, aut tibi vel eis molestiam inferre presumant. Nos enim in omnes qui contra inhibitionem nostram hujusmodi facere vel venire temptaverint, excommunicationis sententiam promulgamus, absolutionem eorum qui sententiam eandem incurrerint soli Romano pontifici reservantes. Insuper in hujusmodi sancti negocii ac tui et regni predicti favorem et graciam ampliorem tuis devotis precibus grato concurrentes assensu, apostolica auctoritate concedimus quod si, postquam tu iter arripueris pro dicto passagio prosequendo et ipsius prosecutione durante, contra te et regnum predictum in tuam injuriam, guerram moveri contingat, quia ex guerra hujusmodi nisi celeriter occurreretur, eidem posset hujusmodi sancti negocii prosecutio impediri, ideoque non solum in tuam sed Dei injuriam et in Terre predicte ac totius christianitatis jacturam permaximam guerra hujusmodi posset verisimiliter redundare, quicumque personaliter vel alias ad defensionem regni predicti auxilium suum hoc casu impenderint illam indulgenciam consequantur que subvenientibus Terre Sancte secundum quantitatem subsidii et devotionis affectum in generali consilio est concessa. Ad hec [ut] predictum passagium eo securius et confidentius prosequi valeas quo regnum tuum predictum viris prudentioribus et melioribus commiseris in tui absentia gubernandum, et ut viri notabiles et prudentes eo libentius hujusmodi gubernationem assumant quo ex hoc majorem se noverint gratiam percepturos, auctoritate concedimus supradicta quod ex illis quos ad ejusdem regni gubernationem assumes duodecim per te ad hoc principalius deputandi et in eodem regno pro ipsius regimine dicto durante passagio remanentes plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter corde contricti et ore confessi fuerint, indulgentiam consequantur; de aliis vero centum dumtaxat quos in regno eodem pro illius etiam tuitione et gubernatione dimittes, per modum disponimus infrascriptum, videlicet quod illi ex ipsis qui per crucis assumptionem et votum erunt ad transfretandum astricti, dando in subsidium dicti passagii medietatem ejus quod essent de suo eundo morando et redeundo per annum in ipso passagio expensuri, transfretare nullatenus teneantur et plene indulgentiam consequantur predictam. Ceteri vero de dicto numero qui licet ad transfretandum astricti non sint transfretaverent, tamen nisi ex ordinatione tua pro regni ejusdem tuitione seu regimine remanerent, dando quartam partem eorum que transfretando fuissent, ut de aliis premittitur, expensuri indulgentiam consequantur eamdem; declarationem autem dictarum dimidie et quarte partium remanentium hujusmodi relinquimus conscientiis et illas super hoc oneramus. Tuis quoque supplicationibus inclinati, ad instar felicis recordationis Clementis pape IIII predecessoris nostri, omnibus illis qui pro ejusdem Terre succursu quartam partem redditituum immobilium bonorum suorum hereditariorum, si extimatio bonorum hujusmodi excedat valorem bonorum mobilium eorundem, ac eis qui decimam aut quintamdecimam vel vicesimam partem bonorum suorum mobilium, si bonorum ipsorum mobilium extimatio immobilium bonorum hereditariorum eorundem valorem excedat, tibi contulerunt, illam suorum veniam peccatorum de quibus veraciter corde contriti et ore confessi fuerint elargimur, que dicte Terre succurrentibus in generali concilio est concessa. Per hec autem in dictis casibus nos talem indulgentiam concedere declaramus ut videlicet tibi subsidia conferentes illius indulgentie que in Terre predicte subsidium transfretantibus conceditur in generali concilio sint participes secundum quantitatem subsidii quod impendent et devotionis eorum affectum, sicut illis qui alias ad subventionem Terre prefate de bonis suis congrue subministrant, participatio hujusmodi concessa in dicto concilio reperitur. Nostre autem intentionis existit quod tota illa pecunia que collecta fuerit de premissis et quibuslibet aliis subsidiis pro hujusmodi passagio tue serenitati concessis et etiam concedendis cum pro ipsius Terre Sancte subsidio concessa fore noscantur, in hujusmodi subsidium et non in usus alios

ntegraliter convertatur. Nulli ergo omnino etc... Si quis autem... Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo septimo.»

5208 Avignon, 26 juillet 1334.

Personis ecclesiasticis quae generale passagium ultramarinum assumendae sunt concedit ut redditus beneficiorum ecclesiasticorum ad firmam dare possint. (Reg. 104, fol. 3 v°, c. 8 ; — Arch. nat., L 304, n. 65 (vidimus) ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 61203).

«*Ad futuram rei memoriam.* Ad liberandum Terram Sanctam de manibus hostium perfidorum ferventibus desideriis aspirantes ea libenter concedimus que ad id fore profutura speramus. Cum igitur ad supplicem instantiam carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris ultramarinum generale passagium nuper de consilio fratrum nostrorum duxerimus indicendum et rex ipse illud assumpserit in persona propria manuque forti et corde humili prosequendum, ut infrascripte persone ecclesiastice que debita obtenta licentia in hujusmodi passagio transfretabunt eo commodius et diucius prosecutioni ejusdem passagii possint insistere quo potioribus gratiis fuerint communite, presentium auctoritate concedimus ut archiepiscopi, episcopi, abbates et alii monasteriorum et ecclesiarum collegiatarum principales prelati, necnon et illi qui in ecclesiis cathedralibus majorem locum post archiepiscopum vel episcopum obtinebunt ut premittitur transfretantes fructus et redditus ecclesiarum, monasteriorum et dignitatum suarum, proventibus tamen curiarum suarum exceptis, pro uno anno a tempore arrepti itineris computando, cetere vero persone ecclesiastice fructus et redditus beneficiorum suorum usque ad triennium a dicto tempore numerandum dare possint ad firmam, proviso quod ecclesie, monasteria, dignitates et alia beneficia hujusmodi debitis interim obsequiis non fraudentur et quod archiepiscopi, episcopi, abbates et alii supradicti pecuniam quam ex hujusmodi firmis habebunt in usus alios quam dicti passagii non convertant, beneficio etiam constitutionis nostre que incipit «Suscepti regiminis» si ipsos vel eorum aliquem medio tempore contingeret cedere vel decedere ipsorum successoribus reservato. Concedimus insuper ut archiepiscopi, episcopi, abbates et alii ad quos de jure vel consuetudine visitatio et procurationum perceptio seu sine visitatione procurationes recipere pertinere noscuntur qui debita obtenta licentia transfretabunt, possint a tempore arrepti itineris computando quamdiu prosecutioni passagii personaliter institerint easdem procurationes moderatas tamen percipere in pecunia numerata, personis et locis a quibus procurationes hujusmodi ratione visitationis debentur per viros ydoneos visitatis. Archiepiscopis quoque, episcopis et aliis supradictis qui expresse vel tacite voverint transfretare concedimus ut per annum ante arreptionem itineris possint easdem procurationes per modum recipere suprascriptum, sic tamen quod si eos a transfretando impediri contingat, illud quod ex dictis procurationibus receperint debeant in subsidium dicti passagii deputandis per Sedem Apostolicam collectoribus assignare. A solutione autem procurationum hujusmodi illos eximimus qui obtenta debita licentia expresse vel tacite voverunt personaliter transfretare. Si tamen iter non arripuerint ipsum passagium personaliter prosequendo ad solutionem procurationum hujusmodi teneantur dummodo [loci et persone] in casibus in quibus procuratio ut prefertur ratione visitationis debetur extiterint visitati. Verum quia per hoc quod pro dicto passagio generalem crucis predicationem et concessionem ejusdem quibuscunque commisimus aut imposterum committemus, prelatis aut ceteris personis ecclesiasticis non intelligimus datam esse licentiam in eodem passagio transfretandi, ne propterea de potestate concedendi hujusmodi licentiam apud aliquos dubitetur, auctoritate presentium ordinamus quod nulli patriarche, archiepiscopo, episcopo vel abbati per alium quam per Sedem Apostolicam concedi possit licentia supradicta, quodque aliis personis ecclesiasticis diocesum eorum exemptis apostolica non exemptis eadem vel ordinaria auctoritatibus, illis videlicet de quibus viderint expedire, necnon abbates exempti subditis suis exemptis qui abbates non fuerint libere valeant hujusmodi licentiam impertiri. Nos quoque parati erimus illis quorum transitus videbitur negocio Terre Sancte accomodus et non nimis gravis ecclesiis suis aut monasteriis licentiam concedere supradictam. Nulli ergo etc. nostrarum concessionum exemptionis et ordinationis infringere etc. Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo septimo.»

5209 Avignon, 26 juillet 1333.

Episcopo Parisiensi, Sancti Dyonisii et Sancti Germani de Pratis abbatibus mandat ut concessiones praedictas per omnia loca ecclesiastica regni Franciae solempniter publicent. (Reg. 104, fol. 4, c. 9 ; — Arch. nat., L 304, n. 66 (vidimus) ; — *Jean XXII, Lettres communes*, n. 61204).

«*Venerabili fratri .. episcopo Parisiensi et dilectis filiis .. Sancti Dyonisii Parisiensis diocesis ac.. Sancti Germani de Pratis juxta Parisius monasteriorum abbatibus salutem.* Ad liberandam Terram Sanctam de manibus hostium perfidorum ferventibus desideriis etc... ut in proxima superiori que incipit : « ad futuram rei memoriam » usque « quo potioribus gratiis fuerint communite », litterarum nostrarum auctoritate concessimus ut archiepiscopi, episcopi, abbates etc... usque « ipsorum successoribus reservato ». Concessimus insuper ut archiepiscopi, episcopi, abbates et alii ad quos de jure vel consuetudine visitatio etc... usque « qui expresse vel tacite voverint transfretare » concessimus ut per annum ante arreptionem itineris possint easdem procurationes etc... usque « a solutione autem procurationum hujusmodi illos exemimus qui obtenta debita licentia etc... usque aut imposterum committemus » prelatis aut ceteris personis ecclesiasticis non intelleximus datam esse licentiam in eodem passagio transfretandi ne propterea de potestate concedendi hujusmodi licentiam apud aliquos dubitetur, auctoritate earundem litterarum nostrarum ordinavimus quod nulli patriarche, archiepiscopo, episcopo vel abbati per alium quam per Sedem etc... usque « licentiam concedere supradictam. » Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios concessiones, exemptionem et ordinationem predictas et omnia premissa in dictis litteris nostris contenta per omnes ecclesias et ecclesiastica loca civitatum, diocesum et provintiarum in regno Francie consistentium de quibus ac quando et quotiens expedire videritis solempniter publicantes, illa universa et singula auctoritate predicta a personis quibuslibet quas hujusmodi concessiones, exemptio et ordinatio ac alia premissa in predictis contenta litteris quoquomodo contingunt vel contingent in antea, sive ad quas predicte littere et contenta in eis quomodolibet se extendunt vel extendi poterunt faciatis inconcusse ac integraliter observari, contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo, non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, aliquibus communiter vel divisim sub quacumque forma vel expressione verborum ab Apostolica Sede concessis, de quibus quorumque tenoribus ac eorum personis locis ordinibus et nominibus propriis specialem in nostris litteris oporteat fieri mentionem, et per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta hujusmodi vestre jurisdictionis explicatio in hac parte posset quomodolibet impediri, ac felicis recordationis Innocentii IIII et Gregorii X contrariis necnon Bonifacii VIII Romanorum pontificum predecessorum nostrorum qua cavetur ne aliquis extra suam civitatem vel diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad judicium evocetur, seu ne judices a Sede deputati predicta extra civitatem et diocesim in quibus deputati fuerint contra quoscunque procedere sive alii vel aliis vices suas comittere aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesum eorundem trahere presumant et aliis quibuscunque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de judicibus delegatis quam personis ultra certum numerum per litteras apostolicas ad judicium non vocandis aut aliis editis que vestre possent in hac parte jurisdictioni ejusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter vel divisim a prefata sit Sede indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici vel ultra seu extra certa loca ad judicium evocari quoquomodo non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Ceterum volumus et apostolica auctoritate decernimus quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prepeditus, constitutione qualibet in contrarium edita non obstante. Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo septimo. »

5210 Avignon, 26 juillet 1333.

Archiepiscopo Remensi ejusque suffraganeis ut verbum Crucis publice proponant ejusque signum imponant,

(Reg. 104, fol.4, c. 10; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 61205 et 61208; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 670, n. 3442).

« *Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Remensi ejusque suffraganeis salutem.* Ad commemorandum recentius — Premissis itaque carissimus in Christo filius noster Phylippus rex Franchorum illustris velut christianissimus princeps, clare memorie christianissimorum regum Franchorum antecessorum qui caritatis et devotionis fervore succensi tanquam fideles pugiles et Christi athlete constantissimi Terre Sancte negotium per retroacta jam tempora cordi specialiter habuerunt illudque fuerunt ferventer et favorabiliter prosecuti vestigia imitando, debita consideratione discussis, volens eidem Redemptori nostro qui eum sublimavit in regem per debitum obsequium in hoc seculo gratitudinem exhibere ac se sibi reddere acceptabilem in excelsis cunctisque fidelibus ad dicte Terre Sancte succursum exemplum prebere ac viam etiam preparare, necnon summum desiderium quod a longo tempore habuit etiam prius quam orthodoxi regni Francie gubernacula suscepisset subveniendi calamitatibus et miseriis dicte Terre ac in ejus subsidium transfretandi cupiens deducere in effectum, per venerabiles fratres nostros Petrum Rothomagensem archiepiscopum, Johannem episcopum Morinensem et dilectos filios magistrum Guidonem Baudecti, decanum ecclesie Parisiensis, et nobiles viros Henricum de Avalgoria et Petrum Trosselli de Castellis dominos, consiliarios, procuratores et nuntios suos ad Sedem Apostolicam pluries destinatos solicitis et continuis instanciis nobis fecit humiliter supplicari quod pro pleniori dicte Terre succursu passagium generale indicere ac pro illo celebrius et utilius peragendo verbum Crucis cunctis Christi fidelibus cum indulgentiis consuetis predicari mandare ejusque passagii et totius exercitus christiani qui in illo inspirante Domino transfretabit prefatum regem generalem rectorem et capitaneum constituere ac pro hujusmodi faciendo passagio certa concedere subsidia dignaremur. Nos itaque sanctam intentionem ejusdem regis et ferventem compassionis affectum quem ad statum proh dolor ! miserabilem dicte Terre habere dinoscitur multipliciter in Domino commendantes, necnon gaudentes et exultantes in eo sibique gratias et laudes humiliter exolventes quia dignatus est tam pium tamque salubre propositum regalibus precordiis inspirare, cupientes quoque ut hujusmodi sanctum negotium Deo, cujus agitur causa, favente felicibus prosperetur eventibus et votivis proficiat incrementis, super hiis per nos cum eisdem nostris fratribus matura et diligenti deliberatione prehabita suis piis sanctis annuentes affectibus et supplicationibus inclinati, ad honorem Omnipotentis Dei, exaltationem et dilatationem catholice fidei, cunctorum fidelium animarum profectum, liberationem Terre ac exterminium hostium predictorum eisdem nuntiis et procuratoribus necnon prelatorum in curia Romana existentium et aliorum fidelium multitudine copiosa presentibus, auctoritate apostolica de dictorum fratrum consilio passagium generale ad Terram ipsam indiximus, ac prefatum regem ipsius et totius exercitus christiani qui transfretabit in illo rectorem constituimus et capitaneum generalem, et nichilominus per nostras litteras verbum Crucis cum certis gratiis et indulgentiis cunctis Christi fidelibus predicari mandavimus, ac per universas mundi partes decimam ecclesiasticorum reddituum imposuimus sexannalem, colligendam sub certis modis et formis ac in utilitatem dicti passagii, Terre Sancte subsidium et alias contra infideles ac inimicos fidei convertendam, necnon quedam alia subsidia pro ipso passagio fieri per alias nostras litteras ordinavimus et levari que in eisdem nostris litteris plene et particulariter exprimuntur; dictique procuratores et nuntii regis ejusdem ad hoc per ipsius patentes litteras coram nobis et fratribus nostris per ipsos exhibitas ad hoc sufficiens et speciale mandatum habentes pro rege ipso et ejus nomine in nostra, fratrum nostrorum et aliorum predictorum presencia ipsum passagium per nos ut prefertur indictum ilico assumpserunt et capitaneatum ac rectoriam illius et dicti exercitus acceptarunt, et in animam dicti regis prout poterunt ex eodem mandato tactis sacrosanctis evangeliis juraverunt quod ipse rex in kalendis augusti que erunt anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo sexto, quas tam eidem regi quam ceteris crucesignatis et crucesignandis pro termino ad transfretandum in dicto passagio duximus assignandas, iter arripiet dicti passagii illudque deinde prosequetur realiter et personaliter justo ac legitimo impedimento cessante, sub certis tamen conditionibus, modis et formis in aliis nostris litteris inde confectis serio-

sius annotatis; quodque idem rex non accipiet nec accipi scienter faciet nec etiam consentiet quod alius aliquid accipiat de decima et aliis subsidiis per alias litteras nostras sibi concessis ut in usus alios quam in utilitatem dicti passagii convertantur, nec ea in usus alios convertet nec converti scienter a quovis alio patietur; et quod si forsan aliquid de predictis pro usibus aliis a se vel aliis contingeret accipi casu aliquo vel converti, illud cum hoc ad suam notitiam venerit in eorum manibus sine morosa dilatione reponi et restitui faciet ad quos secundum ordinationem nostram super hoc per alias litteras nostras factam conservatio talium pertinebit, ad quod etiam heredes et successores suos constringi voluit et etiam obligari sicut in dictis suis litteris est insertum. Et nichilominus dicti procuratores et nuntii a dilecto filio nobili viro Johanne de Frantia, dicti regis primogenito, duce Normannie, ad hoc per ipsius patentes litteras coram nobis et fratribus nostris exhibitas sufficiens et speciale mandatum habentes, in nostra fratrum et aliorum predictorum presentia, tactis per eos corporaliter sacrosanctis evangeliis, pro certitudine pleniori de hujusmodi decima et subsidiis in istius sancti negocii integraliter et non in alios usus quomodolibet convertendis, in ejusdem Johannis animam juraverunt quod ipse Johannes in statu in quo nunc fore dinoscitur seu ad quemcumque statum deveniet in futurum, etiam si ad successionem dicti regni eum devenire contigerit, omnia et singula contenta in regiis et suis litteris memoratis quantum concernunt et tangunt ordinationem eorum que recepta fuerint de decimis et aliis eidem regi pro dicto passagio concessis tenebit et firmiter observabit modo et forma expressis in litteris supradictis, prout hec et multa alia pro decimarum ac subsidiorum ipsorum collectione solicita custodiaque fideli et plena eorum conversione in utilitatem passagii et dicte terre succursum, necnon pro ipso passagio effectualiter et utiliter fatiendo, et in casu in quo a prosecutione illius regem ipsum quod absit contingeret impediri, de restituendis per ipsum aut heredes et successores suos et in manu Sedis Apostolice reponendis omnibus que de predictis decima et subsidiis recepisset per nos de dictorum fratrum consilio salubriter ordinata, in nostris aliis super hiis confectis litteris plenius explicantur. Sane providere volentes ne dictus rex malitiosis aliquorum suasionibus vel inductionibus a tam sancto proposito quomodolibet retrahatur, sub anathematis pena districtius inhibemus ne quis regem ipsum a proposito prosequendi et perficiendi dictum sanctum passagium malitiose retrahere seu revocare presumat. Et quia nemini venit in dubium decimam et alia subsidia memorata ad tanti prosecutionem negocii non sufficere ipsumque negotium longe majoris subventionis beneficio indigere ac ad illud coadjuvandum cunctorum fidelium grata subsidia existere oportuna, fideles eosdem ad hoc quibusdam spiritualibus munificentiis, indulgentiis videlicet ac remissionibus providimus invitandos. Quocirca fraternitati vestre de dictorum fratrum consilio per apostolica scripta committimus et mandamus, vos nichilominus obsecrantes per aspersionem pretiosi sanguinis Jesu Christi quatinus commemorantes attente statum lugubrem dicte Terre ac provide considerantes quod, cum fidelium suorum regimini vos velut in solicitudinis partem assumptos prefecerit Dominus, ad promotionem hujus sancti negocii plus ceteris tenemini, ex officio pastrali tamquam precones fideles et fortes athlete fidei contra predictos perfidos hostes Christi, singuli videlicet vestrum in singulis vestris civitatibus et diocesibus contra predictos blasphemos christiani nominis per vos et alias personas ecclesiasticas seculares et regulares ordinum quoruncumque quos ad hoc ydoneos fore noveritis, cunctis Christi fidelibus juxta datam vobis et eis a Deo prudentiam proponatis publice verbum Crucis, et venerabile signum ejus quibusvis fidelibus illud suscipere devote volentibus quos ad hoc utiles fore credideritis concedatis ipsorumque humeris imponatis, fideles eosdem quos ad audiendam propositionem ipsam quotiens expedierit ad loca ydonea convocare possitis solicitis exhortationibus et oportunis instanciis inducentes ut suscipientes cum reverentia signum Crucis ipsumque suis cordibus imprimentes contra hostium predictorum perfidiam et ad ejusdem Terre Sancte succursum assurgant viriliter ac negotium ipsum ferventer assumant et ferventius prosequantur. Porro, quia dignus est operarius mercede sua, singulis vestrum et eorum quos ad predicationem Crucis ut dictum est duxeritis assumendos in hoc divino fideliter laborantibus opere, preter mercedem eternam quam merito sperare potestis, quotienscunque populis ad hoc specialiter convocatis proposueritis verbum Crucis unius anni et quadraginta dierum, necnon fidelibus ipsis qui ad verbum

hujusmodi audiendum devote convenerint centum dierum, vere tamen penitentibus et confessis, indulgentiam elargimur. Volumus autem quod omnes qui signum Crucis hujusmodi hactenus in dicte Terre Sancte subsidium receperunt auctoritate apostolica moneatis et inducatis attente, ac nichilominus si opus fuerit per censuram ecclesiasticam compellatis ut illud, si forte dimiserint, resumentes alacriter votum Domino reddere studeant quod voverunt, dicte Terre subveniendo cum efficatia ut tenentur; et ut cuncti fideles tanto libentius et efficacius premissa prosequi studeant quanto ex suis laboribus potiorem gratiam se noverint percepturos, nos de Omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi ac illa quam nobis Deus licet immeritis ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus Christi fidelibus qui dicto rege hujusmodi passagium personaliter prosequente in ejusdem Terre Sancte succursum ad recuperationem ipsius transfretaverint et laborem hujusmodi in personis propriis subierint et expensis, plenam suorum peccaminum de quibus fuerint veraciter corde contriti et ore confessi veniam indulgemus et in retributionem justorum salutis eterne pollicemur augmentum. Eis autem qui licet in alienis expensis in propriis tamen illuc personis accesserint, et illis similiter qui juxta qualitatem et facultatem suam bellatores ydoneos in expensis propriis destinabunt quamvis personaliter ipsi non vadant, plenam concedimus suorum veniam peccatorum, penitentias quoque omissas seu recte non factas per aliquos ex predictis, nisi peregrinationem aliam aut aliquod pium opus vel restitutionem seu aliam realem prestationem aut erogationem concernerent, eisdem misericorditer remittentes, omnibus ipsis concedimus quod per confessionem generalem peccatorum de quibus memoriam non habuerint, que tamen si de illis in speciali recolerent confiterentur libenter, indulgentiam plenam obtineant taliter confitentes, ita tamen quod si postmodum ad eorum memoriam hujusmodi peccata redierint illa confiteri specialiter teneantur. Eos pretera qui licet non juxta qualitatem seu facultatem suam aliquem tamen seu aliquos bellatores ydoneos ut premittitur in subsidium dicte Terre propriis sumptibus destinaverint, vel de suis temporalibus bonis contribuerint ad aliquos destinandos, et illos qui ad subventionem illius Terre de bonis eisdem (1) congrue ministrabunt prout singulis fuerit divinitus inspiratum, necnon consiliarios testatorum qui testatores eosdem ad subveniendum Terre dicte cum efficacia hortabuntur, ac illos etiam qui pro hujusmodi sancto passagio laborabunt et hactenus laborarunt et alias ad promotionem hujus negotii consilium et auxilium impenderunt seu impenderint oportunum, juxta qualitatem subsidii et devotionis affectum ac mensuram laboris participes esse volumus indulgentie memorate. Ceterum desiderantes hujusmodi sanctum negotium votivo et felici exitu consumari ne fideles ipsi qui habent propositum in isto passagio transfretandi timentes forsitan ex assumptione Crucis vel emissione voti hujusmodi heredes eorum si eos premori contingeret ad istud passagium obligari ex hoc ab hujusmodi sancto proposito retrahantur, in majorem favorem ejusdem passagii quantum conicere possumus de presenti et ad ejusdem regis instantiam auctoritate concedimus supradicta quod si aliqui pretextu passagii sepefati vovendo vel crucem sumendo intellexerint vel voluerint heredes suos ex hoc nullatenus expresse vel tacite obligari, et infra dimidium annum a voto vel assumptione hujusmodi numerandum coram diocesanis suis vel aliis deputandis ab eis intentionem seu voluntatem suam hujusmodi declararint et per eos non steterint quominus transfretando compleverint votum suum, nec heredes eorum nec bona in aliquo sint vel remaneant obligati, nisi forsan ipsi crucesignati vel voventes aliquid pro passagio hujusmodi dum viverent recepissent, quo casu ad hoc restituendum illi seu illis cui seu quibus secundum ea que ordinavimus in nostris aliis litteris supradictis circa receptionem, conservationem, distributionem et restitutionem decimarum et aliorum subsidiorum seu alii vel aliis cui seu quibus in casibus in nostra predicta ordinatione non comprehensis erit talium restitutio rationabiliter facienda, sint et remaneant nisi obsistat aliud obligati. Verum ad illos qui jam crucem sumpserunt, vel qui quovismodo ad crucem sumendam seu alias ad transfretandum in dicte Terre subsidium jam obligati existunt, precedentem concessionem extendi nolumus, sed in ipsis statuta canonica observari. Non tamen nostre intentionis existit quod ex hiis que in precedenti clausula

(1) Reg. : *ejusdem.*

proxima continentur aliquis in plus quam antea tenebatur quomodolibet obligetur. Vobis quoque et singulis vestrum necnon et illis quos ad predicationem Crucis hujusmodi assumetis mandamus quod, antequam crucem concedatis eandem cunctis illam recipere volentibus, in vestris predicationibus exponatis ut infra dictum dimidium annum intentionem suam de non obligando heredes eorum, si eam talem habuerint, coram diocesanis predictis vel deputandis ab eis debeant declarare. Quod si infra dictum dimidium annum intentionem suam hujusmodi non duxerint taliter declarandam, heredes eorum ad executionem dictorum assumptionis et voti remanere decernimus obligatos. Rursus illos qui crucem assumpserint vel assument aut votum de transfretando in isto passagio emiserint vel emittent, si moriantur antequam iter arripiant, dum tamen pro subsidio dicti passagii tantum dimiserint quantum expensuri fuissent secundum sui status decentiam eundo morando et redeundo per annum, si personaliter transfretassent et quantitatem hujusmodi in vita eorum juxta suas declaraverint conscientias, quas super hoc oneramus, necnon et eos qui post assumptionem seu votum hujusmodi viventes declaraverint plenam indulgentiam obtinere se velle ac dare in dicte Terre subsidium si eos contingeret premori quantum essent per annum eundo personaliter ut de aliis premittitur expensuri, etiam si quantitatem eandem viventes non declaraverint, quo casu quantitas ipsa per legatum Sedis Apostolice vel taliter decedentium ordinarios debeat declarari, plene consequi volumus indulgentiam memoratam, retenta nichilominus Sedis Apostolice potestate quod facultatem declarandi quantitatem predictam possit aliis committere vel transferre in alios si hoc viderit expedire. Volumus insuper quod illi ex crucesignatis seu voventibus supradictis quos de intentione sua non obligandi ut prefertur heredes infra dictum dimidium annum declaratione non facta postea mori contigerit, plenam indulgentiam consequantur, heredes tamen ipsorum et bona ad quantitatem quam illi si transfretassent fuissent per annum ut de aliis predicitur expensuri convertendum in dicte Terre subsidium remaneant obligata. Si autem aliqui ex crucesignatis seu voventibus memoratis infra dimidium annum prefatum priusquam declaraverint se velle plenam indulgentiam obtinere ac dare pro dicto passagio quantum essent expensuri per annum decedant, nullam habeant indulgentiam dictorum assumptionis pretextu seu voti, sed si forsitan aliud dederint pro passagio sepedicto juxta quantitatem subsidii et devotionis affectum, sint participes indulgentie memorate, heredibus et bonis eorum alias in nullo remanentibus obligatis. Circa morientes vero post iter arreptum dicti passagii et bona que tempore mortis eorum habuerint vel habere ordinaverint pro suo passagio faciendo, sic duximus ordinandum videlicet quod in casu in quo heredes taliter decedentium remanserint ad faciendum pro ipsis passagium obligati, ut pote quia priusquam taliter decedentes crucem assumerent transfretare tenebantur ex voto vel quia votum eorum non fuisse personale constabit, seu quia crucesignati hujusmodi vel voventes intentionem suam de non obligandis heredibus infra prefatum dimidium annum per modum non declaraverint supradictum, bona hujusmodi decedentium de quibus per eos dum viverent non fuerit aliter ordinatum penes eorum heredes debeant remanere, ipsique heredes exequi teneantur vota hujusmodi defunctorum, ita videlicet ut vel personaliter juxta status sui decentiam transfretare, vel expensas et subsidia que transfretando fuissent facturi mortui si vixissent mittere in subsidium dicti passagii teneantur ipsique decedentes plene hoc casu indulgentiam habeant suprascriptam. In casibus quoque in quibus heredes post arreptum iter dicti passagii decedentium ad dictam prosecutionem ipsius non remanserint obligati, concedimus quod decedentes hujusmodi plenam indulgentiam consequantur sic tamen quod omnia que tempore mortis eorum habuerint vel se habere ordinaverint pro suo passagio fatiendo et de quibus specialiter in vita vel in morte non disposuerint remaneant et cedant in subsidium passagii antedicti, proviso tamen de bonis eisdem familiaribus defunctorum et eis qui cum illis transfretare debebant. Et hoc de bonis hujusmodi taliter passagio applicandis in personis locum habere volumus laicorum. De clericis autem et personis ecclesiasticis sic morientibus ordinamus quod potestas disponendi de bonis eorum in subsidium dicti passagii ad legatum Sedis Apostolice qui cum dicto rege in dicto passagio transfretabit debeat pertinere, rebus ad cultum divinum pertinentibus ut sunt cruces, calices et paramenta et alia similia que ad ecclesias ad quas pertinuerint restitui volumus dumtaxat exceptis. Verum quia dignum

est ut celestis imperatoris obsequiis inherentes prerogativis specialibus et libertatibus sint muniti, universis et singulis qui in dicto passagio transfretabunt ipso rege illud personaliter prosequente auctoritate apostolica concedimus quod ipsi a tempore arrepti itineris usque ad eorum redditum vel obitum a collectis extraordinariis nullo jure scripto vel non scripto debitis sint immunes, quorum etiam personas et bona post Crucem assumptam ex tunc sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, statuentes ut sub archiepiscoporum et episcoporum et aliorum prelatorum ecclesie sancte Dei defensione consistant, propriis ad hoc protectoribus specialiter nichilominus deputandis, quodque donec de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur integri ab omni violentia et injuria permaneant et quieti, et si quis contra presumpserit censura ecclesiastica compescatur. Si qui vero proficiscentium illuc ad usuras prestandas juramento tenerentur astricti, creditores eorum ut remittant eis hujusmodi juramentum et ab usurarum exactione desistant precipimus eadem districtione compelli; quod si post absolutionem predictam creditores ad solutionem ipsos coegerint, usurarum creditores eosdem ad restitutionem earum simili cogi animaversione dabimus in mandatis. Judeos vero ad remittendas usuras per seculares compelli precipimus potestates et donec illas remiserint ab universis Christi fidelibus per excommunicationis sententiam eis omnino communio denegetur. Ceterum quia cursarii et pirrate nimis impediunt subsidium Terre Sancte capiendo et spoliando transfretatores ad illum et redeuntes ab ea, ipsos ut principales adjutores et fautores eorum excommunicationis vinculo curabimus denuo innodare, sub interminatione anathematis inhibendo ne quis scienter cum eis communicet in aliquo venditionis vel emptionis contractu, ac injungendo rectoribus civitatum et locorum suorum ut eos ab hac inquietatione revocent et compescant. Alioquin in personas et terras eorum per ecclesiarum prelatos volumus severitatem ecclesiasticam exerceri. Quia vero ad hoc negotium exercendum est permaxime necessarium ut principes et populi christiani ad invicem astringantur vinculo caritatis et pacis, injungimus ecclesiarum prelatis ut discordantes ad veram pacem reducere studeant aut ad firmam treugam inviolabiliter observandam, et qui acquiescere forte contempserint per excommunicationis in personas et interdicti sententias in terras certissime compellantur nisi forte tanta fuerit inimicorum malitia quod ipsi non debeant tali pace gaudere. Quod si forsan censuram ecclesiasticam vilipendunt, poterunt non immerito formidare ne per auctoritatem ecclesiasticam contra eos tamquam turbatores negotii crucifixi secularis potentia inducatur. Ut autem hujusmodi sanctum negotium feliciter prosperetur, volumus ut in singulis cathedralibus, collegiatis et parrochialibus ecclesiis singuli trunci concavi ponantur tribus clavibus consignati, prima videlicet penes episcopum loci, secunda penes ecclesie prelatum seu rectorem aut sacerdotem et tertia penes aliquem vite probate laicum conservandis, et in eis fideles ipsi juxta quod Dominus mentibus eorum inspiraverit suas elemosinas deponere in suorum remissionem pecaminum moneantur. Porro desiderantes intense quod hujusmodi negotium optatum sortiatur effectum et ejusdem regis ac aliorum Christi fidelium pia devotio orationum adjuta suffragiis circa prosecutionem dicti negotii efficacius roboretur, auctoritate presentium ordinamus ut in singulis supradictis et aliis etiam regularibus ecclesiis dicti regni qualibet ebdomada semel certa die pronuntianda populo una missa pro libertate dicte Terre de manibus hostium predictorum prefata prosecutione durante cum infrascriptis orationibus solempniter celebretur, ita quod in prima de Trinitate, in secunda de Cruce et in tertia ebdomadis de beata Maria virgine, et sic deinceps misse hujusmodi debeant celebrari nisi forsan id festivitatis alicujus solennitas impediret, quo casu post orationes festi ordine suo semel in ebdomada dicantur orationes hujusmodi ut prefertur. Cunctis quoque fidelibus vere penitentibus et confessis qui durante prosecutione dicti negotii pro ipsius consumatione felici devote ad Dominum preces effunderint, decem dies videlicet singulis diebus quibus oraverint de injunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Predicte autem orationes sunt iste : « Deus qui admirabili providentia cuncta disponis, te suppliciter exoramus ut Terram quam Unigenitus tuus proprio sanguine consecravit de manibus inimicorum Crucis eripias et eam in christiana religione tuo nomini servire concedas per eundem Dominum Nostrum etc... » Oratio secunda : « Sacrifitium, Domine, quod immolamus intende ac propugnatores tuos ab hostium malignitate custodias et in tue protectionis securitate

conserves.» Alia oratio post communionem : « Protector noster aspice Deus et fideles tuos ab hostium defende periculis ut ab omni perturbatione servati libera tibi mente deserviant per Dominum Nostrum.» Verum quia presentes littere nequirent forsan propter viarum discrimina vel alias vestrum singulis commode presentari, volumus quod per te, frater archiepiscope, dictarum litterarum transumptum manu scriptum publica tuoque munitum sigillo vobis predictis suffraganeis transmittatur, cui adhiberi volumus per vos velud originalibus plenam fidem. Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo septimo.

Archiepiscopo Rothomagensi ejusque suffraganeis super eodem ut supra per totum.

Archipepiscopo Senonensi ejusque suffraganeis super eodem.

Archiepiscopo Turonensi ejusque suffraganeis super eodem.

Archiepiscopo Lugdunensi ejusque suffraganeis super eodem.

Archiepiscopo Bituricensi ejusque suffraganeis super eodem.

Archiepiscopo Tholosano ejusque suffraganeis super eodem.

Archiepiscopo Burdegalensi ejusque suffraganeis super eodem.

Archiepiscopo Auxitano ejusque suffraganeis super eodem.

Archiepiscopo Narbonensi ejusque suffraganeis super eodem.»

5211 Avignon, 26 juillet 1333.

Regi Franciae de decima usque ad sex annos in subsidium Terrae Sanctae imposita. (Reg. 104, fol. 7, c. 11 ; Reg. Avin. 44, fol. 81 v° ; Arch. nat., L 304, n. 62 (vidimus) ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 61209).

« *Johannes episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Philippo, regi Frantie illustri, salutem.* Non absque grandi mentis amaritudine debent cuncti catholice cultores fidei recenti memorie commendare occupationem gemebundam et statum miserabilem Terre Sancte perfidorum Agarenorum hostium crucis Christi affecte blasphemiis et injuriis diucius lacessite, in gravem Redemptoris nostri contumeliam et christiani nominis injuriam et contemptum. Debent etiam tam dolenter quam diligenter attendere quod filia Syon, videlicet Terra ipsa, juxta profete vaticinium « ut umbraculum in vinea et sicut thugurium in cucumerario» noscitur derelicta, quodque urbes et loca sanctissima dicte Terre que Auctor vite Virginis gloriose puerpere partui suoque ortui dignissimo deputavit ac sue passioni et morti delegit exausta fidelibus in solitudinem sunt redacta. O quam dolendum a fidelibus omnibus quod locus Christi sanctificatus presentia blasphemantium Ipsum feda residentia prophanatur ! O quam gemendum quod terra in qua genus humanum de vetuste captivitatis jugo liberatum extitit in ignominiosam redacta est servitutem ! O quam improperiosum cunctorum christianorum obprobrium quod ubi Dei Filius temporali morte Crucis de perpetue cruciatu mortis ipsos eripuit ibi acerbitate blasphemiarum et contumeliarum orrore jugiter exprobratur, nec hiis babilonici hostis regis Egypti nepharii severitas fera contenta semper, sicut multorum fidedignorum habet relatio, intendit super predictis vulneribus dolorem adicere aliaque loca catholica eidem Terre Sancte viciniora per sue vires nequitie occupare ! Premissis itaque, fili carissime, tu velut christianissimus princeps clare memorie christianissimorum regum Frantie antecessorum tuorum, qui caritatis et devotionis fervore succensi tamquam fideles pugiles et Christi athlete constantissimi Terre Sancte negotium per retroacta jam tempora cordi specialiter habuerunt, illudque fuerunt ferventer et favorabiliter prosecuti, vestigia imitando debita consideratione discussis, volens eidem Redemptori nostro qui te sublimavit in regem per debitum obsequium in hoc seculo gratitudinem exhibere ac te sibi reddere acceptabilem in excelsis cunctisque fidelibus ad dicte Terre Sancte succursum exemplum prebere (1) ac viam etiam preparare, necnon summum desiderium quod a longo tempore habuisti, etiam priusquam orthodosi regni Frantie gubernacula suscepisses, subveniendi calamitatibus et miseriis dicte Terre ac in ejus subsidium transfretandi cupiens deducere in effectum, per venerabiles fratres nostros Petrum Rothomagensem archiepiscopum, Johannem episcopum Morinensem et dilectos filios magistrum Guidonem Baudeti, decanum ecclesie Parisiensis, ac nobiles

(1) Reg. : *plebere.*

viros Henricum de Avalgoria et Petrum Trosselli de Castellis dominos, consiliarios, procuratores et nuntios tuos propter hec ad Sedem Apostolicam per te pluries destinatos solicitis et continuatis instantiis nobis fecisti humiliter supplicari quod pro efficaciori dicte Terre succursu passagium generale indicere ac pro illo celebrius et utilius peragendo verbum Crucis cunctis Christi fidelibus cum indulgentiis consuetis predicari mandare, ejusdemque passagii et totius exercitus christiani qui in illo inspirante Domino transfretabit te generalem rectorem et capitaneum constituere ac pro hujusmodi faciendo passagio certa concedere subsidia dignaremur. Nos itaque sanctam intentionem tuam et ferventem compassionis affectum quem ad statum proth dolor! miserabilem dicte Terre habere dinosceris multipliciter in Domino commendantes, necnon gaudentes et exultantes in Eo sibique laudes et gratias humiliter exolventes, quia dignatus est tam pium tamque salubre propositum regalibus precordiis inspirare, cupientes quoque ut hujusmodi sanctum negotium Deo cujus agitur causa favente felicibus prosperetur eventibus et votivis proficiat incrementis, super hiis per nos cum eisdem nostris fratribus matura et diligenti deliberatione prehabita, tuis piis et sanctis annuentes affectibus et supplicationibus inclinati, ad honorem Dei omnipotentis, exaltationem et dilatationem catholice fidei, cunctorum fidelium animarum profectum, liberationem Terre prefate ac exterminium hostium predictorum, eisdem nuntiis et procuratoribus necnon prelatorum in curia Romana existentium et aliorum fidelium multitudine copiosa presentibus, auctoritate apostolica de dictorum fratrum consilio passagium generale indiximus ac te ipsius et totius exercitus christiani qui transfretabit in illo rectorem constituimus et capitaneum generale, ac nichilominus per alias nostras inde confectas litteras verbum Crucis cum certis gratiis et indulgentiis cunctis Christi fidelibus mandavimus predicari, dicti quoque procuratores et nuntii tui ad hoc per tuas patentes litteras coram nobis et fratribus nostris exhibitas plenum sufficiens et speciale mandatum habentes pro te ac tuo nomine in nostra fratrum nostrorum et aliorum predictorum presentia ipsum passagium per nos ut prefertur indictum illico assumpserunt et capitaneatum et rectoriam illius et dicti exercitus acceptarunt ac in animam tuam prout poterant ex eodem mandato tactis sacrosanctis evangeliis juraverunt quod tu in kalendis augusti que erunt anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo sexto, quas tam tibi quam ceteris crucesignatis et crucesignandis pro termino ad transfretandum in dicto passagio duximus assignandas, iter arripies dicti passagii illudque deinde realiter et personaliter prosequeris justo ac legitimo impedimento cessante, sub certis tamen conditionibus, modis et formis in aliis nostris super hoc confectis et dictis tuis litteris seriosius annotatis. Nos igitur attendentes quod tam arduum tamque honerosum negotium innumeris egebit expensis, ac volentes ad honorem Illius qui Terram illam dum genus humanum redemit proprio sanguine consecravit ad subventionem expensarum hujusmodi apponere sollicitis studiis manum apostolice potestatis, premissis omnibus digna consideratione pensatis ac pluribus et diversis temporibus multis tractatibus et deliberationibus cum eisdem fratribus nostris habitis super illis, omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum decimam per universas mundi partes, personis et bonis Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani ac aliorum militarium ordinum et aliis personis ecclesiasticis que obtenta licentia debita in isto sancto passagio personaliter transfretabunt dumtaxat exceptis, usque ad sex annos a data presentium computandos auctoritate apostolica de dictorum fratrum consilio duximus propterea imponendam, singulis annis dicti sexennii in duobus terminis, medietatem videlicet in Purificationis beate Marie virginis et aliam medietatem in nativitatis beati Johannis Baptiste festivitatibus exolvendam, ac in dicte Terre Sancte subsidium et alias contra infideles et inimicos fidei convertendam cum modificationibus infrascriptis, videlicet quod in regnis illis et partibus in quibus ad certum tempus hujusmodi decima aliquibus est concessa, finito tempore concessionis hujusmodi decima ipsa per nos imposita in regnis et partibus ipsis colligi debeat et levari per illud tempus dumtaxat quod residuum fuerit de dictis sex annis ab expiratione concessionis ejusdem, ita quod in aliquo casu ipsius decime duplex exactio non concurrat, quodque illi qui cum debita licentia ut premittitur transfretaverint a prestatione decime suorum ecclesiasticorum reddituum et proventuum modo qui sequitur sint exempti, videlicet quod decima eorum primi biennii aliorum quam diocesanorum, tam exemptorum quam non exemptorum, penes diocesaneos

eorum, diocesanorum vero penes ecclesiarum suarum cathedralium capitula deponatur in usus eorum si transfretaverint vel in dicte Terre subsidium et alias contra infideles et inimicos fidei si non transfretaverint convertenda. Volumus tamen quod illi apud quos dicta decima deponetur eis a quibus ipsam recipient promittere debeant quod eis cum transfretabunt decimam ipsam reddent, ipseque persone collectoribus dicte decime cavere ydonee teneantur quod in casu in quo transfretare non contingat eosdem, tercii anni decimam exclusa cunctatione qualibet collectoribus ipsis solvent. Quia vero considerato summo tue serenitatis affectu quem ad consummationem et prosecutionem Deo annuente felicem ipsius sancti negotii habere dinosceris, firmam spem gerimus quod idem negotium a tali et tanto principe tam ferventer tamque devote ac fideliter et sub obligationibus tam validis tamque firmis assumptum, cooperante Illius cujus negotium agitur gratia, prosperum et votivum sortietur effectum, ex quibus nedum super gratiis et subsidiis tue celsitudini propterea concedendis nostra quietatur non immerito conscientia, sed ad ea promptius concedenda multipliciter incitatur, considerantes quoque quod, civitatibus et locis aliis quos fideles olim in dicte Terre partibus obtinebant per ipsorum hostium rabiem truculentam vastatis, locus ibidem aliquis ad recipiendum propugnatores fidei proth dolor ! non remansit, propter quod hujusmodi passagii prosecutio majoribus indiget expensarum profluviis quam hactenus indigeret, dum civitatibus et locis predictis in statu prosperitatis manentibus et tam ad recreationem utilem quam ad munitionem necessariam recipientibus catholicos bellatores, aliqui progenitores tui et quidam alii principes christiani in ejusdem Terre subsidium transfretarunt, dictam sex annorum decimam videlicet ecclesiasticorum reddituum et proventuum regni Francie, etiam si ad ecclesias pertineant que forsam extra regnum predictum existant, necnon Remensem et Lugdunensem dioceses in quantum extra regnum protenduntur predictum, de quibus et prout in dictis regno et diocesibus retroactis temporibus solvi decima consuevit, personis et bonis dicti Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani ac aliorum militarium ordinum ac personis aliis ecclesiasticis que obtenta debita licentia in hoc passagio personaliter transfretabunt dumtaxat exceptis, tibi in auxilium expensarum hujusmodi negotii auctoritate presentium duximus concedendam in utilitatem dicti passagii Terreque Sancte subsidium seu succursum in modum qui sequitur colligendam, conservandam et etiam convertendam, videlicet quod eadem decima auctoritate Sedis predicte per ordinarios vel collectores ab eis auctoritate apostolica deputandos colligi debeat juxta modum in aliis nostris litteris super hoc ordinariis eisdem directis contentum, quodque pecunia colligenda de dicta decima et aliis subsidiis pro dicto passagio dicteque Terre succursu seu subsidio tibi per alias litteras nostras concessis non thesaurariis tuis sed certis burgensibus ydoneis per te ad receptionem ejusdem peccunie deputandis per ordinarios seu collectores predictos integraliter assignetur, quam iidem burgenses recipere eamque conservare fideliter ac de mandato quatuor prelatorum regni predicti, quorum duo per Sedem Apostolicam, alii vero duo per te, vel duorum ex eis quorum unus per eandem Sedem alter vero per te fuerint deputati ad ipsius passagii comodum dispensare utiliter, necnon prelatis eisdem annis singulis de receptis et expensis computum et rationem debitam reddere teneantur, ipsi quoque prelati quatuor aut duo ex ipsis ut premittitur deputandi ad mandatum seu ordinationem tuam pro dicti passagii preparationibus, provisionibus et commodis, absque eo quod aliquid de predictis in usus alios convertatur, per dictos burgenses solutiones fieri faciant et pecunias liberari. Et ut prelati et receptores predicti commissa sibi fidelius et diligentius exequantur, jurabunt prelati quidem juxta exigentiam status sui, receptores vero super sancta Dei evangelia corporaliter manu tacta, quod ipsi predicta fideliter ad dicti utilitatem passagii facient et complebunt nec aliquid quod de predictis receptum fuerit convertent in usus alios quam dicti passagii nec converti per alios pro posse permittent; quodque si per te ipsis precipi vel mandari contingeret ut de receptis hujusmodi aliquid solverent vel liberarent aut solvi facerent vel etiam liberari quod non videtur eisdem in utilitatem cedere passagii antedicti, iidem prelati seu duo ex ipsis ut premittitur deputandi serenitati tue referent fideliter seu rescribent quid ipsis super hoc videbitur faciendum, ut sic per te possit et debeat ad dicti utilitatem passagii maturius super hoc et commodius provideri. Ordinamus quoque ac volumus quod iidem prelati in venerabilis fratris nostri .. Pariensis episcopi seu vacante

Parisiensi ecclesia in ejusdem ecclesie decani et alicujus seu aliquorum aliorum a tua magnificentia ad hoc si volueris deputandorum presentia, dicti vero burgenses in manibus ipsorum quatuor prelatorum vel duorum ex eis qui fuerint ut premittitur deputati dictum prestare habeant juramentum. Si vero hujusmodi sancto pendente negotio contingeret aliquem vel aliquos de dictis prelatis transferri, cedere vel decedere aut alias impediri sic quod non possent supra et infra scriptis vacare, loco illius vel illorum quem vel quos transferri cedere vel decedere aut alias ut predicitur impediri contingeret alius seu alii dicti regni prelati per eum vel eos qui translatum, cedentem vel decedentem vel alias impeditum aut translatos, cedentes, decedentes vel alias impeditos deputaverant debeant deputari et etiam subrogari. Rursus si forte, quod absit, contingeret te infra prefatum terminum impedimento perpetuo impediri vel tali quod probabiliter appareret duobus prelatis super hoc per Sedem deputandis predictam quod nec in dicto termino vel alio per Sedem eandem ex causa aliqua forsitan prorogato nec infra spatium etiam septem mensium terminum ipsum immediate sequentium iter dicti passagii posses arripere illudque prosequi ut prefertur, ordinamus et volumus quod, nisi per Sedem predictam super hoc aliud ordinatum extiterit, tam decimam quam subsidia supradicta exigendi seu colligendi per Sedem eandem commissa potestas eo ipso cum moderamine infrascripto expiret; quo casu quicquid de decima et subsidiis antedictis penes te, heredes successoresve tuos restaret et in ejusdem passagii preparationibus aut pro eo de mandato tuo juxta ordinationem nostram prefatam non esset expensum, necnon galee et alia quecunque facta, empta vel predicto passagio seu pro eo quomodolibet acquisita de decima et subsidiis memoratis debeant per te seu successores tuos integraliter quatenus fuerint penes te vel successores eosdem quatuor prelatis predictis sine difficultate qualibet assignari. Quantum ad alia vero que tunc collecta non essent de decima et subsidiis supradictis pro preteritis tunc terminis, tu seu heredes et successores tui non remaneatis nec sitis in aliquo obligati, sed exigantur illa seu colligantur per dictos ordinarios aut subcollectores eorum et collecta tradantur predictis quatuor prelatis ut premittitur deputandis ut in manu eorum Sedis ejusdem nomine conserventur et distribuantur per Sedem ipsam secundum modum inferius annotatum. Porro circa illa que tua excellentia de predictorum decima ac subsidiorum pecunia forsitan assignabit seu fatiet assignari nobilibus seu quibuslibet aliis secum transfretare volentibus forsan ad procuranda seu emenda aliqua sibi pro passagio necessaria vel etiam oportuna seu alias pro supportandis expensis quas essent facturi in prosecutione passagii sepefati, pro serenitate tue consciencie ac dicti securitate negotii habeas inter alia precavere quod illi quibus faties illa tradi proprio firmare debeant juramento quod ea que sic sibi tradentur fideliter conservabunt et illa quanto comodius et utilius poterunt in utilitatem dicti passagii seu preparatoriorum ipsius et non in alios usus convertent, et quod nichilominus in casu in quo te contingeret taliter impediri quod pecunia dictorum decime et subsidiorum ac alia supradicta juxta ordinationem premissam dictis prelatis assignari deberent, predictam pecuniam et alia ex illa pro passagio acquisita bona fide prelatis restituent memoratis; et quod etiam ad hec sub firmis et validis obligationibus et cohertione jurisdictionis tue se heredes suos et bona eorum astringant, prout per illos qui se obligunt sub sigillo Castelleti et Parisius (*sic*), vel sub sigillis aliis regiis est in regno predicto fieri consuetum, sic quod non restet in casu predicto nisi sola executio quam tu per ministros tue temporalis justicie facere tenearis, ita quod dicto passagio nequeat malitiose aliquid subtrahi de predictis, et nichilominus possint tales ad premissa compelli per censuram ecclesiasticam si visum fuerit expedire. Quod si excellentia tua tales obligari non providerit ut prefertur, tu et tui heredes ac successores ad restitutionem premissam dictis fatiendam prelatis remaneatis efficaciter obligati semper, tamen ratione habita rationabilium expensarum, si que forte ab illis quibus premissa fuerint tradita facte fuerint in emendis seu procurandis ex dicta pecunia vel etiam conservandis hiis que pro dicto passagio esse poterant oportuna prout fuerit rationis, et habita etiam ratione aliorum que de jure super hoc fuerint attendenda que committenda duximus dictorum arbitrio prelatorum. Eo vero casu quo tua circumspectio dictam recipientes peccuniam obligari provideret ut prefertur, non tenearis ad restitutionem hujusmodi, sed dumtaxat ad instrumenta et litteras confecta super hiis dictis assignanda prelatis et ad ipsos super hujusmodi obligationum executione juvandos

per ministros tue justitie temporalis. Insuper de illis que per receptores predictos vel alios de mandato tuo mercatoribus vel aliis quibuscunque tradentur ad faciendas provisiones quaslibet dicto passagio necessarias seu etiam oportunas, ordinamus quod tu tenearis in casu hujusmodi ad illa seu acquisita ex eis restituenda seu restitui fatienda prelatis predictis, habita tamen ut in alio casu premittitur ratione rationabilium expensarum et aliorum que in ratione reddenda fuerint attendenda, et hoc in quantum per rationem reddendam prelatis eisdem juxta modum circa rationes reddendas tam in presentibus quam in tuis litteris supradictis contentum apparuerit te teneri. De illis autem que ab aliis dicto passagio Terre predicte subsidio seu succursu forsitan deberentur vel que forte detinerentur a personis aliis quibuscunque, non tamen ex facto vel mandato tuo seu deputandorum a te super hoc, ordinamus quod ad restitutionem talium que ad te vel tuos non pervenerint nullatenus tenearis. Nostre tamen intentionis existit quod ad colligenda omnia talia in quibus ceteri tenebuntur per executores tuos prefatos in dicte Terre favorem prelatos juvare habeas sepedictos, qui quidem prelati aut duo ex ipsis ut premittitur deputandi, omnia sibi ut predicitur assignanda nomine Sedis predicte recipere et conservare debebunt in locis regni predicti congruis et securis distribuenda per Sedem eandem ad opus illorum in quos distribuenda et expendenda fuerint et in dicte Terre subsidium prout melius et commodius fieri poterit, juxta modum qui sequitur convertenda, videlicet quod si, postquam te contingeret ut premittitur impediri, per Sedem predictam aliud generale vel etiam particulare passagium indicatur, si tu tunc superstes vel rex alius Frantie qui tempore illo regnaret velletis in illo passagio transfretare, predicta omnia tam in pecunia quam in rebus aliis consistentia sub modis et formis circa concessionem, conservationem, distributionem et ordinationem illorum in presenti provisione adjectis, sub quibus jam pro dicto passagio sunt concessa, tibi vel successori tuo transfretare volenti integraliter debeant assignari. Si vero tu vel successor tuus qui pro tempore fuerit in illo passagio transfretare non possetis sive nolletis, si prelati aliqui seu magnates vel nobiles alii dicti regni vellent in illo passagio transfretare, juxta conditionem ipsorum et numerum bellatorum quos secum ducerent debeat illis de supradictis auctoritate Sedis Apostolice provideri. Quod si aliqui prelati vel nobiles de regno eodem nollent in dicto transfretare passagio, vel qui transfretare vellent essent adeo pauci quod de predictis congruenter illis proviso aliqua superessent, in hujusmodi casibus de toto eo quod taliter superesset possit eadem Sedes pro utilitate Terre predicte in personis etiam aliis quam de regno prefato que vellent transfretare in ipso passagio libere prout sibi visum fuerit ordinare. Verum si infra dictum terminum celsitudini tue impedimentum occurreret temporale per quod crederetur probabiliter te non debere a prosecutione dicti itineris in prefatis terminis impediri, aut si etiam impedimentum tale occurreret in termino ad arripiendum iter statuto quod infra septem menses eundem terminum immediate sequentes presumeretur probabiliter cessare debere, dictorum decime ac subsidiorum collectio non expiret nec cesset. Quod si impedimentum hujusmodi esset tale quod infra septem menses prefatos non crederetur probabiliter cessaturum, ex nunc expirare debeat collectio supradicta nisi per Sedem prefatam dictus terminus ex causa aliqua fuerit prorogatus. Quo casu, si ipsa prorogatio unius anni spatium non excedat, collectio hujusmodi non expiret. Si vero prorogatio annum excesserit, collectionem eandem hoc ipso volumus expirare. Si tamen finito prorogationis hujusmodi tempore tu paratus fueris negotium dicti passagii prosequi, volumus et concedimus quod hujusmodi collectionis et exactionis commissio eo ipso vires suas resumat et per deputatos prius commissarios possit ad executionem hujus collectionis procedi, ac si continue ipsorum commissio in suo robore perstitisset. Ubi vero impedimentum tale aliquod occurreret quod arreptionem itineris totaliter impediret, debebunt predicta omnia in manu Sedis prefate penes supradictos quatuor prelatos aut duos ex eis ut premittitur deputandos plene et integraliter assignari nomine Sedis ejusdem conservanda per eos et per Sedem ipsam ut in alio casu premittitur disponenda. Denique cum supra ordinaverimus quod potestas exigendi seu colligendi decimam et alia subsidia supradicta in certis casibus debeat expirare, hoc intelligimus quoad illa que forent pro futuris tunc terminis colligenda; quantum vero ad ea que pro preteritis tunc terminis colligenda restabunt, potestatem eandem in suo volumus robore permanere, ita quod dicti ordinarii seu collectores eorum illa exigere seu colligere debeant

et collecta predictis quatuor prelatis aut duobus ex eis ut premittitur deputandis integraliter assignare nomine Sedis predicte conservanda per eos et per Sedem ipsam, ut supra proximo exprimitur, dispensanda. Ceterum ordinamus et volumus quod duo prelati per Sedem deputandi predictam seu alii eis per Sedem eandem per modum qui in alio casu supra exprimitur subrogandi de impedimentis predictis informare se debeant et an justa et legitima fuerint vel non fuerint declarare; prelati vero alii supradicti antequam constet regem eundem a dicti arreptione itineris totaliter impediri Sedi predicte super receptis ut premittitur et expensis infrascriptam et non aliam teneantur reddere rationem, videlicet quod annis singulis eidem Sedi significare debeant per scripturam eorum in summa quantum receptum fuerit de predictis et quantum expensum sine expressione alia partium minutarum. In casu vero seu casibus quo vel quibus assignanda essent eis predicta per ipsos nomine Sedis prefate ut predicitur conservanda, rationem de illis Sedi predicte reddere debeant in hunc modum, videlicet quod, postquam receptores predicti de receptis et expensis ab ipsis prelatis eisdem plenam reddiderint rationem partes et particulas etiam assignando, teneantur iidem prelati annis singulis significare dumtaxat per scripturam Sedi prefate seu aliis in regno predicto deputandis ab ea quicquid collectum expensum et residuum fuerit de predictis, partes etiam si petantur ab eis et non minutas particulas assignando, declarando videlicet et exponendo quantum dicti receptores de mandato ipsorum expenderint, miserint seu tradiderint pro navibus forsan emendis, quotque naves empte inde fuerint et summam in grosso quantum circa hoc sit expensum et per quos et in quo seu quibus locis facta fuerit emptio navium predictarum; et idem circa galeas, equos ac blada et alia quelibet pro dicto empta vel procurata passagio debeat observari, ut videlicet de quolibet illorum genere quantum pro illo traditum seu expensum fuerit distincte exprimantur (*sic*) in summa, nec sint prelati ipsi super hoc ad aliud particulare computum obligati. Preterea si receptores predicti aliquas pecunie summas tradiderint alicui vel aliquibus pro se forsan ad passagium preparandis, iidem prelati in scripturis per quas Sedi predicte rationem reddiderint summas illas exprimere teneantur. Si vero ad emenda vel alias procuranda necessaria pro faciendo passagio deputati vel missi receptoribus regiis vel aliis ab ipso rege super hoc deputandis de emptis et aliis administratis ac expensis per eos reddidderint rationem, hii qui ipsam receperint teneantur rationem eandem integraliter assignare prelatis qui illam in ratione Sedi predicte per eos reddenda, et quantum predictis ad emendum vel procurandum necessaria pro passagio ut predicitur deputatis vel missis in grosso traditum fuerit, quantumque secundum rationem ipsis prelatis assignatam seu redditam in singulis generibus negotiationum passagium predictum tangentium expensum in grosso fuerit per deputatos vel missos predictos, et quantum etiam de predictis sibi traditis remanserit penes eos exprimere, et illud quod de dicto residuo apud eos fuerit de mandato Sedis ejusdem secundum ordinationem nostram supra expressam expendere et distribuere teneantur; tu vero aut heredes vel successores tui super premissis vel eorum aliquo dicte Sedi vel deputandis ab ea seu alio cuicunque non teneamini reddere rationem. Per premissa autem te nolumus nec intendimus impedire quin dicti quatuor prelati tibi et successoribus tuis debeant de collectis expensis et residuo supradictis partes et particulas omnes et singulas exhibere et etiam assignare ac reliqua restituere in usus et utilitatem dicti passagii ut premittitur convertenda, in casibus scilicet in quibus ad te seu successores eosdem spectabit juxta ordinationem premissam distributio predictorum. Ad hec, si, postquam transfretaveris et ultra mare per annum steteris, ex causa probabili te quod absit redire contigerit, durante tempore decime sexennalis etiam assumpto per te negotio imperfecto, totum illud quod de decima et aliis subsidiis tunc colligendum restabit tibi auctoritate concedimus supradicta. Idem quoque tibi concedimus si ex quo transfretaveris infra annum ex causa probabili dicto etiam imperfecto negotio te quod absit redire contingat, sic tamen quod si per tuam magnificentiam et populum christianum aliqua terra de illis quas infideles in partibus Terre predicte nunc detinent fuerit acquisita de qua sit verisimile quod te ut premittitur redeunte, de medietate decime et subsidiorum supradictorum colligendorum pro terminis tunc futuris possit per illos quos ad hoc deputaveris et per alios qui ad hoc ipsum convenerint retineri, hoc casu de conservatione ac defensione terre hujusmodi usque ad quantitatem medietatis predicte ad minus teneberis providere. Et si, quod absit, perdi contigerit terram illam,

totum illud quod restabit de illis que debebant expendi pro defensione et conservatione terre sic perdite converti debeat in subsidium conservandi terras christianorum dicte Terre Sancte vicinas. Eo vero casu quo infra annum redires non acquisita terra aliqua que posset ut premittitur retineri, cum probabiliter sit timendum quod infideles ipsi ex hiis que per christianos facta contra eos fuerint provocati in terras christianorum vicinas ferotius insurgant et animosius invalescant ex quo terris ipsis nisi succurreretur eisdem posset irreparabile periculum iminere, ordinamus et volumus quod casu hujusmodi occurrente in defensionem terrarum ipsarum ad minus usque ad medietatem quantitatis prefate ponere tenearis, hoc semper adhibito moderamine in omnibus hujusmodi defensionum et conservationum casibus quod, retentis tibi necessariis pro regressu, de residuo quod tunc penes te aut alios tuo nomine in illis partibus fuerit terris prefatis et earum defensioni quantum comode poteris usque ad quantitatem medietatis predicte habeas subvenire, et postmodum satisfactionem inde recipere advenientibus terminis quibus pro tunc futuro tempore dicta decima et subsidia colligentur. Quod si penes te aut alios tunc in eisdem partibus non haberes unde pro dicta defensione tantum posses dimittere quantum dicta medietas videbitur posse ascendere, ordinamus quod quamcitius comode poteris non expectatis predicte collectionis terminis tunc futuris residuum quod de dicta medietate deficeret tenearis complere, super quo tuam conscientiam oneramus. Ceterum volumus et etiam ordinamus quod si post iter arreptum in prosecutione dicti negotii te, quod absit, contingat decedere, negotio imperfecto, durante dicto tempore decime sexennalis, quod de decima et subsidiis supradictis si superesses secundum modum et formam prefatos habere seu penes te retinere deberes, illud eisdem modo et forma habere debeat heres tuus. Postremo ad habundantiorem provisionem, cautelam, et ut zelus sincerus et plenus quem habes ad effectualem prosecutionem passagii sepefati evidentius pateat universis, dicti procuratores tui et nuntii, prout ex mandato tuo predicto poterant et debebant nomine tuo, in [suam] tuamque animam coram nobis et fratribus nostris et aliis supradictis juramento firmaverunt quod tu de decima et aliis subsidiis supradictis nichil in usus alios quam dicti passagii accipies vel convertes aut per alios accipi vel converti scienter facies, consenties aut permittes. Quod si casu aliquo contrarium fieret, illud sic receptum sive conversum in eorum manibus sine morosa dilatione reponi et restitui facies ad quos secundum ordinationem nostram suprascriptam conservatio talium pertinebit, ad quod etiam prout in tuis predictis insertum est litteris heredes tuos voluisti astringi et etiam obligari. Pro pleniori quoque securitate de dictis decima et subsidiis conservandis, et in usus alios quam dicti passagii nullatenus convertendis, tua regalis providentia ordinavit quod dilectus filius inclitus vir Johannes de Frantia, primogenitus tuus et dux Normannie, dictos procuratores tuos et nuntios per suas patentes litteras nobis exhibitas procuratores etiam suos et nuntios specialiter et expresse constituit ad jurandum pro eo et in ejus animam sicut et ipsi in nostra fratrum et aliorum predictorum presentia juraverunt quod ipse in quocumque statu presentialiter vel in futurum existat, etiam si ad successionem vel regimen dicti regni venire contingat eundem, omnia et singula in predictis litteris tuis et suis contenta quatenus concernunt et tangunt ordinationem eorum que recepta fuerint de decima et aliis subsidiis supradictis tenebit et firmiter observabit modo et forma in dictis tuis et suis litteris explicatis. Denique, licet proponamus quantum convenienter poterimus in colligenda decima extra regnum predictum ut prefertur imposita ac in utilitatem dicte Terre et alias contra infideles et inimicos fidei convertenda facere diligentiam adhiberi per monitiones, sententias et processus, et alias prout fuerit oportunum, non tamen intendimus, si forsan in ea levanda, habenda seu ut premittitur convertenda impedimentum aliquod eveniret, quod ex hoc nobis vel successoribus nostris aliquid imputetur vel passagium tuum occasione hujusmodi retardetur, nec ad probationem impedimenti hujusmodi cum ex hoc possent alia passagii impedimenta causari, nos aut successores nostros quomodolibet obligari. Nulli ergo etc — nostrarum impositionis, voluntatum, concessionum, ordinationum et intentionum infringere etc. Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo septimo.»

5212 Avignon, 26 juillet 1333.

Archiepiscopo Remensi ejusque suffraganeis ut praefatam decimam in eorum civitatibus et diocesibus colli-

gant. (Reg. 104, fol. 10, c. 11 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 61206 ; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 670, n. 3444).

« *Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Remensi ejusque suffraganeis.* Non absque grandi — Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo septimo.

In e. m. archiepiscopo Rothomagensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Senonensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Turonensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Lugdunensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Bituricensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Tholosano ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Burdegalensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Auxitano ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Narbonensi ejusque suffraganeis. »

5213 Avignon, 26 juillet 1333.

Parisiensi, Aniciensi et Carnotensi episcopis ut praefatam decimam in eorum civitatibus et diocesibus colligant. (Reg. 104, fol. 11 v°, c. 11 ; Arch. nat., L 304, n. 63 (vidimus) ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 61210).

« *Venerabilibus fratribus .. Parisiensi, ..Aniciensi ac.. Carnotensi episcopis salutem.* Non absque grandi — Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo septimo. »

5214 Avignon, 26 juillet 1333.

Episcopo Aniciensi ut in sua civitate et diocesi coram populo proponat publice verbum Crucis et signum ejus quibuslibet fidelibus volentibus imponat, indulgentias concessas ei significando. (Reg. 104, fol. 13 v°, c. 12 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 61211, 61212).

« *Venerabili fratri .. episcopo Aniciensi, salutem.* Ad commemorandum recentius — Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo septimo.

In e. m. episcopo Vivariensi. »

5215 Avignon, 26 juillet 1333.

Episcopo Aniciensi ut decimam ad sex annos in subsidium Terrae Sanctae impositam in sua civitate et diocesi colligat et recipiat. (Reg. 104, fol. 14, c. 12c ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 61213 et 61214).

« *Venerabili fratri ..episcopo Anitiensi, salutem.* Non absque grandi — Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo septimo.

In e. m. episcopo Vivariensi. »

5216 Avignon, 26 juillet 1333.

Philippo regi Franciae decima ad sex annos imposita in subsidium Terrae Sanctae non sufficiente, in terris regni sui omnia legata, donata inter vivos seu in ultima voluntate ac poenas, condempnationes, poenitentias impositas seu injunctas et quaecumque alia ex voto, stipulatione, pacto vel promissione generali passagio aut in dictae Terrae Sanctae subsidium applicanda concedit. (Reg. 104, fol. 14 v°, c. 13 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 61215).

« *Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri, salutem.* Terra Sancta Redemptoris — Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo septimo. »

5217 Avignon, 26 juillet 1333.

Archiepiscopo Remensi ejusque suffraganeis universas personas ecclesiasticas ad solutionem et personas ad hoc assumendas ad collectionem legatorum, donatorum omniumque praedictorum compellendi necnon illos qui occasione legatorum, donatorum aliorumque supradictorum non solutorum in terminis statuendis excommunicationum, suspensionum vel interdicti sententiis legati fuerint absolvendi facultatem concedit. (Reg. 104, fol. 16, c. 14 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 61216-61219 ; Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 671, n. 3446).

« *Venerabilibus fratribus ..archiepiscopo Remensi ejusque suffraganeis, salutem.* Terra Sancta Redemp-

toris — Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo septimo.

In e. m. archiepiscopo Rothomagensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Senonensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Turonensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Lugdunensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Bituricensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Tholosano ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Burdegalensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Auxitano ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Narbonensi ejusque suffraganeis.

In e. m. episcopo Anitiensi.

In e. m. episcopo Vivariensi. »

5218 Avignon, 26 juillet 1333.

Regi Franciae fructus primi anni beneficiorum vacantium regni sui per sex annos in subsidium passagii generalis Terraeque Sanctae concedit. (Reg. 104, fol. 18 v°, c. 15 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 61220).

« *Carissimo in Christo filio Philippo regi Francorum illustri, salutem.* Letitie nobis multe — Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo septimo.»

5219 Avignon, 26 juillet 1333.

Archiepiscopo Remensi ejusque suffraganeis ut praefatos redditus juxta declarationes praedictas in eorum civitatibus et diocesibus colligant illosque burgensibus doneis a rege deputatis assignent. (Reg. 104, fol. 19 v°, c. 15 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 61221 à 61224 ; Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 670, n. 3445).

« *Venerabilibus fratribus ..archiepiscopo Remensi ejusque suffraganeis, salutem.* Letitie nobis multe — Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus singuli vestrum in singulis vestris civitatibus et diocesibus per vos vel alios quos ad hoc duxeritis assumendos prefatos fructus, redditus et proventus juxta ordinationes, declarationes, modificationes et formam predictas exigere, colligere, levare ac recipere predicti passagii et ejusdem Terre Sancte commodo illosque burgensibus ydoneis quos idem rex juxta prefatam nostram ordinationem ad receptionem, conservationem et distributionem omnium subsidiorum sibi pro hujusmodi faciendo passagio per Sedem Apostolicam concessorum, ut premittitur, deputabit, assignare integraliter studeatis. Nos enim vobis et cuilibet vestrum mutandi subcollectores ipsos et eis alios subrogandi quotiens vobis expedire videbitur, necnon collectores eosdem ad assignandum vobis quicquid receperint de fructibus antedictis et de illis reddendum debitam rationem ac tam unicuique vestrum quam eisdem subcollectoribus quamdiu in officio subcollectionis hujusmodi fuerint, contradictores quoslibet et rebelles cujuscumque conditionis, preminentie, dignitatis, ordinis aut status existant, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi non obstantibus — Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo septimo.

In e. m. archiepiscopo Rothomagensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Senonensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Turonensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Lugdunensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Bituricensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Tholosano ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Burdegalensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Auxitano ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Narbonensi ejusque suffraganeis.

In e. m. episcopo Anitiensi.

In e. m. episcopo Vivariensi. »

5220 Avignon, 26 juillet 1334.

Archiepiscopo Remensi ejusque suffraganeis ut ultramarini passagii intuitu quasdam dispensationes conce-

dere possint. (Reg. 104, fol. 21 v°, c. 16 ;Reg. Avin. 44, fol. 109 ; Arch. nat., L 304, n. 64 (vidimus de la bulle adressée à l'archevêque de Rouen) ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 61225 à 61228 ; Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 669, n. 3441).

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopo Remensi ejusque suffraganeis, salutem.* Nostra continue precordia etc. — Nos ad honorem Illius cujus licet immeriti vices in terris gerimus Quique dictam Terram Sanctam pro redemptione nostra proprio sanguine consecravit, consumationem dicti negotii, Ipso cujus causa agitur annuente, felicem summis desideriis affectantes, ac attendentes quod negotium ipsum eo felicius et celerius votivum sortietur effectum quo Sedes Apostolica illud prerogativis gratiarum majoribus et uberioribus favoribus duxerit fulciendum, quod singuli vestrum in suis civitatibus et diocesibus usque ad sex annos a data presentium computandos, si tantum duraverit prosecutio passagii antedicti, omnes crucesignatos et crucesignandos regni Francie qui pro eo quod contra prohibitionem dicte Sedis vel legatorum ejus Sepulcrum dominicum visitarunt, et illos etiam qui Sarracenis merces, ferrum, arma, lignamina et alia prohibita portaverunt, vel alias eisdem Sarracenis contra christianos impenderunt auxilium, consilium vel favorem, necnon tam clericos quam laicos regni ejusdem qui pro violenta manuum injectione in clericos seculares virosque religiosos vel pro incendio seu sacrilegio, dum tamen injurias et dampna passis satisfecerint competenter, ac clericos etiam quoslibet in prelaturis, dignitatibus vel personatibus constitutos, necnon presbiteros de regno predicto qui, pro eo quod contra constitutionem Ecclesie leges vel phisicam audierunt, inciderunt in canonem « Sententie promulgate », crucesignatos etiam tam clericos quam laycos ejusdem regni qui pro eo quod in statuto ab eadem Sede termino non transfretaverunt in ejusdem Terre Sancte subsidium nec curaverunt in casibus a jure permissis redimere vota sua, in tales auctoritate Sedis ejusdem et quoscunque clericos et laicos de regno eodem qui pro violatione immunitatum et libertatum ecclesiarum et cimiteriorum aut pro incestu commisso cum monialibus seu pro solicitatione ipsarum monialium ad hujusmodi committendum incestum per locorum diocesanos promulgatas excommunicationum sententias incurrerunt, ab omnibus et singulis hujusmodi excommunicationum sententiis juxta formam Ecclesie auctoritate nostra absolvere, necnon et cum clericis et personis ecclesiasticis qui predictis vel aliqua earundem aut suspensionis alias ligati sententiis divina scienter celebraverunt officia vel se immiscuerunt eisdem, et qui ab alienis episcopis non obtenta diocesani licentia rite tamen alias statutis temporibus et absque vitio symonie se fecerunt ad ordines promoveri, aut excommunicati seu suspensi aut per saltum ordines susceperunt, eis ad tempus juxta vestre discretionis arbitrium ab eorundem ordinum executione suspensis, si aliud canonicum non obsistat ac bone conversationis et vite fuerint, super irregularitate ex premissis contracta, injuncta eis penitentia salutari, ac etiam cum clericis ejusdem regni defectum natalium patientibus dummodo non sint de adulterio, incestu aut regularibus procreati nec immitatores paterne incontinentie sed bone conversationis et vite aliaque ipsis merita suffragentur ad dispensationis gratiam obtinendam, quod predicto non obstante defectu quilibet eorum possit ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum benefitium obtinere, etiam si curam habeat animarum, dispensare auctoritate apostolica valeatis, dummodo omnes et singuli supradicti vivifice Crucis signum assumpserint vel assumant in subsidium dicte Terre, illuc in isto sancto passagio personaliter profecturi vel missuri ydoneos bellatores, aut pro hujusmodi subsidio juxta vestre discretionis arbitrium de bonis suis partem congruam, super quo vestras oneramus conscientias, subministrent, vobis et vestrum singulis duximus concedendum. Preterea, cum nonnulli clerici et laici dicti regni, non ratione ecclesiarum, pacifice et sine controversia quasdam dicantur decimas possidere, singulis vestrum in dictis vestris civitatibus et diocesibus concedendi prefatis clericis et laycis, crucesignatis et crucesignandis dumtaxat, quod ipsi fructus decimarum hujusmodi perceptos hactenus ab eisdem in dicte Terre Sancte subsidium convertere valeant per se ipsos vel vobis ad opus hujusmodi secura conscientia exhibere ; necnon dimittendi eisdem clericis et laicis quintam partem fructuum decimarum hujusmodi hactenus perceptorum, ita quod ad aliam restitutionem eorum minime teneantur sed exinde penitus remaneant absoluti dummodo hujusmodi decimas eisdem ecclesiis ad quas spectare noscuntur duxerint imposterum libere dimittendas ; dispensandi quoque cum quibuslibet personis religiosis dicti regni,

cujuscunque sint ordinis, que in monasteriis earum habuerunt vel dederunt ingressum per symoniacam pravitatem, ipsasque de novo in monasteriis ipsis recipi faciendi, mutatis locis prioribus que in dictis monasteriis obtinent et eis inferioribus assignatis; commutandi quoque vota quorumlibet qui pro dicto subsidio Terre Sancte signum Crusis assumpserint in hujusmodi votum Crucis, ita tamen quod ad religionis vel castitatis vota hujusmodi concessa vobis facultas nullatenus extendatur; ac insuper concedendi illis de regno predicto qui penitentia ducti usuras, rapinas et alia male acquisita, si hii quibus horum restitutio fieri deberet sciri vel inveniri non possint, edictis propositis publice in locis in quibus dictas usuras contingeret esse receptas, necnon in loco seu locis domicilii seu domiciliorum illius vel illorum a quo vel quibus recepte fuerint si loca hujusmodi sciri possint, convertere voluerint per se in subsidium Terre Sancte vel ea vobis ad opus dicti passagii curaverint exhibere, quod ad faciendum restitutionem de hiis aliam minime teneantur, et absolvendi eos per vos vel alium seu alios juxta formam Ecclesie durante prosecutione predicta, ab excommunicationis sententia, si in eos forsan est occasione hujusmodi promulgata; necnon et omnes ejusdem regni clericos et laicos qui aliquas receperunt pecuniarum summas ab usurariis quibuscunque ut eos in terris suis permitterent exercere usuras a peccato hujusmodi absolvendi, dummodo ipsi summas easdem vobis exhibeant in dicte Terre subsidium convertendas plenam et liberam auctoritate predicta concedimus facultatem. Nolumus tamen quod illis quibus per ipsius Sedis litteras est concessum ut de dictis usuris, rapinis et aliis male acquisitis incertis usque ad certam summam possint percipere aliquod, per hoc prejudicium generetur. Porro vobis in virtute sancte obedientie districte precipiendo mandamus quatinus singuli vestrum in vestris civitatibus et diocesibus antedictis tam clericos quam laicos cujuscunque conditionis, ordinis et dignitatis existant, qui olim pro dicte Terre Sancte subsidio Crucis signaculum assumpserunt vel assument deinceps, et illos qui assumptum deposuerunt, moneatis et etiam inducatis ut illud cum devotione resumant, seque sic studeant preparare quod personaliter in isto passagio se transferant in subsidium dicte Terre, eos ad transfretandum vel ad redimendum vota sua in casibus a jure permissis per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Vobis preterea et vestrum singulis absolvendi a voto Crucis hujusmodi omnes et singulos de vestris civitatibus et diocesibus quibus jura permittunt redimere vota sua et super voto hujusmodi dispensandi cum eis, dummodo juxta proprias facultates secundum formam juris velint redimere dicta vota, tenore presentium facultatem liberam elargimur; et ut vos et vestrum singuli, quibus predicationem Crucis pro hujumodi sancto passagio peragendo per alias nostras litteras commisimus, injunctum vobis ministerium eo libentius et efficatius possitis exequi quo majori fueritis potestate muniti, quod vos et vestrum singuli ac quilibet alii quos ad predicationem hujusmodi Crucis duxeritis assumendos, ne hujusmodi predicationibus impedimentum vel obstaculum aliquod ingeratur, questuariis universis et aliis quibuslibet predicare seu aliquid quacunque auctoritate denuntiare volentibus proponendi aliquid populo dum a vobis et assumendis predictis Crucis negotium proponetur licentiam interdicere penitus, ac temeritatem eorum qui contra presumpserint per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescere; ac cum ad loca ecclesiastico supposita interdicto vos et assumendos a vobis contigerit declinare, crucesignatis et crucesignandis dummodo excommunicati non fuerint nec causam dederint interdicto divina officia in illis ecclesiis audiendi in quibus possunt tunc temporis ex privilegiis Sedis Apostolice celebrari, impertiri licentiam valeatis auctoritate concedimus supradicta. Verum premissa omnia sic vobis et vestrum singulis duximus committenda ut quilibet vestrum, quantum ad illas dumtaxat personas que de civitate sua vel diocesi fuerint, commissam sibi in dictis casibus valeat exequi potestatem. Ut autem predicti crucesignati et crucesignandi eo exequantur libentius votum suum et ferventius quo pluribus favoribus extiterint communiti, eis auctoritate presentium indulgemus ut ipsi per dicte Sedis litteras vel legatorum ejus impetratas hactenus quarum non sit auctoritate processum et impetrandas in posterum, nisi ejusdem Sedis littere impetrande plenam et expressam fecerint de indulto hujusmodi mentionem, extra dioceses in quibus ipsi et eorum bona consistunt in causam trahi et ad juditium evocari non possint, dummodo parati fuerint infra ipsas coram competentibus judicibus de se conquerentibus exhibere justitie complementum. Mandamus quoque et

volumus quod vos crucesignatos et crucesignandos eosdem quos nos sub nostra et dicte Sedis protectione suscipimus, non permittatis contra privilegia eis ab Apostolica Sede concessa ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Ceterum volumus et etiam ordinamus quod illa que danda et administranda fuerint pro subsidio dicte Terre ab illis qui in casibus predictis et eorum occasione juxta vestre discretionis arbitrium super quibus vestras ut premittitur conscientias oneramus, de bonis suis partem vel portionem congruam seu usuras, rapinas et alia male acquisita incerta ac fructus perceptos ex male possessis decimis exhibere secundum modum et formam superius in predictis expressos casibus tenebuntur, tradantur et assignentur vobis nomine Sedis ejusdem seu deputandis a vobis, et per vos seu deputandos predictos ab eis etiam exhigantur ac in eis exigendis, tradendis, assignandis, distribuendis, expendendis, restituendis, conservandis et ratione de ipsis reddenda et ceteris similibus illa omnia que in decimis pro hujusmodi sancto negotio regi memorato in regno predicto concessis et pro passagio seu Terre predicte succursu relictis et circa ea in nostris aliis litteris super hiis confectis disposuimus, volumus observari. Verum quia presentes littere nequirent forsan propter viarum discrimina vel alias vestrum singulis comode presentari, volumus quod per te, frater archiepiscope, dictarum litterarum transumptum manu scriptum publica, tuoque communitum sigillo vobis predictis suffraganeis transmittatur cui adhiberi per vos volumus velut originalibus plenam fidem. Datum Avinione, VII kalendas augusti anno decimo septimo.

In e. m. archiepiscopo Rothomagensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Senonensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Turonensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Lugdunensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Bituricensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Tholosano ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Burdegalensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Auxitano ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Narbonensi ejusque suffraganeis.

In e. m. episcopo Anitiensi.

In e. m. episcopo Vivariensi. »

5221 Avignon, 26 juillet 1333.

Archiepiscopo Remensi quod ultramarini passagii intuitu quasdam indulgentias concedere possit. (Reg. 104, fol. 25, c. 17 ; Reg. Avin. 44, fol. 112 v° ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 61229 à 61232).

« *Venerabili fratri .. archiepiscopo Remensi, salutem.* Ad Terram Sanctam — Nos ad honorem Illius cujus — fultiendum (1) quod tu in tuis civitate et diocesi universos et singulos clericos et laicos regni Francie qui pro violatione immunitatum et libertatum ecclesiarum et cimiteriorum excommunicationis sententiam in tales per locorum diocesanos prolatam incurrisse noscuntur ab eadem excommunicationis sententia durante prosecutione dicti sancti passagii, necnon et quoscunque alios de tua provintia quorum diocesani de mandato tuo in ipsa provintia legitime requisiti in impedimento eisdem absolutionis beneficium a sententia antedicta indebitam difficultatem ingesserint, juxta Ecclesie formam absolvere et cum eis ex illis qui clerici fuerint super irregularitate qua sic ligati divina officia non tamen in contemptum clavium celebrarunt vel se immiscuerunt eisdem, dispensare auctoritate apostolica valeas, dummodo dampna passis satisfecerint competenter et signum vivifice Crucis assumpserint vel assumant, in hoc generali passagio a nobis indicto profecturi personaliter in subsidium dicte Terre vel pro se illuc missuri in expensis propriis ydoneos bellatores, tibi concedimus per presentes ; quod si forsan te indebitam difficultatem in absolutione a similibus excommunicationum sententiis per te latis et dispensatione super irregularitate predicta contingat ingerere, concedimus auctoritate presentium quod vicinior diocesanus tuus juxta premissam formam dictas relaxare sententias ac cum absolutis super irregularitate predicta valeat

(1) Cf. supra, n. 5220.

auctoritate apostolica dispensare. Insuper ut hujusmodi sanctum negotium feliciter consummandum oportunis presidiis fultiatur et salus proinde fidelium procuretur, tibi suffraganeos tuos qui aliquas pecuniarum summas [receperint] ab usurariis diversis ut ipsos in terris eorum usuras permitterent exercere, a peccato quod ex receptione pecuniarum hujusmodi commiserunt auctoritate apostolica absolvendi concedimus potestatem dummodo ipsi pecunias easdem tibi exhibeant in dicte Terre Sancte subsidium convertendas, secundum formam, conditiones et modos quos super exigendis, tradendis, assignandis, distribuendis, expendendis, restituendis, conservandis decima et aliis subsidiis in dicto regno memorato regi pro hujusmodi passagii seu dicte Terre Sancte succursu ab Apostolica Sede concessis, et eorum ratione reddenda, de dictorum fratrum consilio deliberatione ac provida duximus ordinandos. Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo septimo.

In e. m. archiepiscopo Rothomagensi.
In e. m. archiepiscopo Senonensi.
In e. m. archiepiscopo Turonensi.
In e. m. archiepiscopo Lugdunensi.
In e. m. archiepiscopo Bituricensi.
In e. m. archiepiscopo Tholosano.
In e. m. archiepiscopo Burdegalensi.
In e. m. archiepiscopo Auxitano.
In e. m. archiepiscopo Narbonensi. »

5222 Avignon, 26 juillet 1333.

Modificatio litterae regi Franciae super generali passagio ultramarino concessae. (Reg. 104, fol. 26, c. 18 ; Reg. Avin., fol. 115 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 61233).

« *Ad futuram rei memoriam.* Pridem carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francorum illustris per venerabiles fratres nostros Petrum, archiepiscopum Rothomagensem, et Johannem episcopum Morinensem ac dilectos filios magistrum Guidonem Baudetum, decanum ecclesie Parisiensis, et nobiles viros Henricum de Avalgoria et Petrum Trosselli de Castellis dominos, procuratores suos et nuntios ad nostram et fratrum nostrorum presentiam destinatos, fecit nobis cum instantia supplicari quod cum ipse accensus zelo fidei orthodoxe proponeret pro recuperatione Terre Sancte actore Domino transfretare, nos (1) ad ejus instantiam vellemus indicere passagium generale eumque constituere ipsius passagii et totius exercitus christiani qui transfretaret in illo generalem capitaneum et rectorem ; et quia inextimabiles expensas quas ad prosequendum tantum et tale negotium necessarias idem rex sustinere non posset nisi per Ecclesiam quam concernit non mediocriter felix promotio et utilis prosecutio ejusdem negotii, subveniretur eidem, supplicari etiam fecit nobis per procuratores et nuntios supradictos quod certa subsidia per ipsum in utilitatem dicti passagii convertenda sibi concedere dignaremur. Nos autem considerantes supplicationem hujusmodi fore consonam rationi, deliberavimus cum fratribus nostris de certis subsidiis eidem regi pro prosecutione tam pii tamque Deo accepti negotii concedendis, et ordinavimus cum procuratoribus et nuntiis antedictis quod ipse rex circa modum dicta subsidia colligendi, recipiendi et conservandi, et de ipsis preparationibus dicti passagii ac pro eo et non in quosvis usus alios convertendos, necnon et de reddendis et assignandis eisdem certis prelatis per nos ac per eundem regem secundum modum infrascriptum super hoc deputandis in certis casibus [in quibus] regem ipsum quominus posset prefatum prosequi passagium contingeret impediri, et insuper circa rationem reddendam tam nobis quam prelatis per nos et per eundem regem similiter deputandis in memoratis casibus et circa quedam alia concernentia dictum negotium et concessiones per nos tunc eidem regi pro eodem negotio de dictis subsidiis fatiendis, ad pleniorem Terre predicte securitatem pro se et successoribus suis daret et nobis mitteret litteras sigillo suo in cera viridi sigillatas. Qui quidem rex volens suum pium et fervens desiderium quod ad hujusmodi sanctum habet negotium, nobis et omnibus fieri manifestum, et pariter in hac parte satisfacere votis nostris, prefatas litteras per dictos procuratores suos et nuntios fecit per omnia in forma quam petivimus assignari. Verum quia ipsi regi et suo consilio visum fuit prout nobis dicti procuratores et nuntii retulerunt, quod circa contenta in eisdem litteris erant aliqua declaranda, aliqua vero modificanda seu etiam temperanda, quedam addenda et aliqua etiam detrahenda ex quibus prout videbatur eisdem posset et pro tempore ipsi regi ejusque

(1) Reg. : *quod nos.*

successoribus prejudicium generari, nisi super illis provideremus eidem, fecit nobis rex ipse per sepedictos procuratores et nuntios supplicari ut circa sequentes articulos vellemus adicere temperamenta et remedia oportuna. Primo scilicet circa primam partem litterarum ipsarum in qua dicitur in hunc modum : « duo prelati regni nostri archiepiscopi vel episcopi per Sedem Apostolicam deputandi se diligenter debebunt auctoritate apostolica absque cujuslibet alterius partis vocatione etc.. informare », circa quod ipse rex petiit illud verbum : « alterius » amoveri et placuit nobis de dictorum fratrum consilio quod habeatur verbum hujusmodi pro amoto ac si apositum non fuisset. Preterea circa illud quod subsequenter in predictis litteris continetur in versiculo : « Si vero dictos duos prelatos etc... ibi transferri, cedere aut decedere contingat antequam predicta declaratio esset facta », rex ipse adici petiit clausolam subsequentem « aut aliter impediri sic quod informationi et declarationi predictis vacare non possent », et idem adici petiit in casibus aliis in quibus agitur de prelatis aliis hiis qui primo deputabuntur in casu translationis, cessionis vel mortis eorum par Sedem Apostolicam subrogandis, quod etiam de dictorum fratrum consilio duximus concedendum, et quod sit perinde ac si fuissent apposita in litteris et loco predictis. In dictis quoque litteris regiis continetur clausula continentie subsequentis : « et si forsan contingeret nos infra dictum terminum impedimento perpetuo impediri vel tali quod probabiliter appareret duobus prelatis sicut premittitur per Sedem Apostolicam deputatis quod in predicto termino vel alio per Sedem eandem ex causa aliqua prorogato nec infra septem mensium spatium immediate sequentium iter arripere possemus, et illud prosequi volumus, quod juxta ordinationem Sedis Apostolice potestas colligendi seu exhigendi decimam et alia subsidia in regno nostro Francie imponenda per Sedem eandem nobisque ut predicitur concedenda statim debeat expirare nisi forsan per Sedem predictam circa expirationem collectionis hujusmodi contingeret aliud ordinari. Quo casu quicquid de decima et aliis subsidiis nobis pro dicto passagio per Sedem Apostolicam concedendis penes nos heredesve nostros aut quoslibet alios tunc restaret et in dicti passagii preparationibus aut pro eo de mandato nostro juxta ordinationem Sedis Apostolice prefatam non esset expensum, necnon et galee et alie quecunque res facte, empte seu quomodolibet predicto passagio seu pro eo acquisite de dictis decimis et aliis subsidiis nobis per Sedem Apostolicam ut premittitur concedendis, et omnibus debitis in quibus receptores infrascripti seu quicunque alii de concedendis hujusmodi collectis tunc vel non collectis quomodolibet tenebuntur, debebunt per nos seu successores nostros quatuor prelatis regni nostri, quorum duo per Sedem Apostolicam, alii vero duo per nos, vel duobus ex eis quorum unus per predictam Sedem alius vero per nos fuerint deputati sine difficultate qualibet assignari, qui quatuor seu duo ex eix unus scilicet per Sedem Apostolicam, alius autem per nos ut predicitur deputati omnia recipient, conservabunt in locis regni nostri securis et congruis nomine Sedis Apostolice distribuenda per eandem Sedem et ad opus illorum in quos distribuenda et expendenda fuerint ut juxta modum qui sequitur in Terre Sancte subsidium utilius et commodius convertantur ». Modus autem est iste : « quod si postquam nos contingeret ut premittitur impediri, per Sedem Apostolicam indicatur passagium generale vel etiam particulare, si nos vel rex Francie qui tunc regnabit vellemus seu vellet in illo passagio transfretare, debebunt nobis vel regi Francie qui tunc erit omnia predicta tam in pecunia quam in rebus aliis sub modis et formis circa conservationem, distributionem et ordinationem adjectis in presenti provisione sub quibus pro dicto passagio concedentur integraliter assignari. Si vero nos vel successores nostri nollemus vel non possemus aut nollet seu non posset in illo passagio transfretare, aliqui tamen prelati seu magnates aliqui vel nobiles dicti regni vellent in illud passagium proficisci, juxta statum et conditionem eorum ac numerum bellatorum quos secum ducent debebit illis de dicto residuo auctoritate Sedis Apostolice provideri. Si autem nollet aliquis prelatus vel nobilis de dicto regno in dicto passagio proficisci vel essent illi adeo pauci quod illis proviso de collectis, decimis et aliis subsidiis adhuc aliqua superessent, in predictis casibus Sedes Apostolica de toto eo quod de dictis decimis et aliis subsidiis esset collectum, ubi nec nos nec rex Francie qui pro tempore fuerit nec aliqui prelati vel seculares magnates seu nobiles predicti vellemus seu vellent in dicto passagio proficisci vel de illo quod restaret proviso illis qui de regno Francie tunc voluerint transfretare, pro utilitate Terre Sancte etiam in

personis aliis quam de regno Frantie possit libere prout sibi visum fuerit ordinare. Si vero impedimentum infra dictum terminum occurreret temporale ac tale per quod crederetur probabiliter non debere nos a prosecutione itineris in predictis terminis impediri, non expiret decimarum et aliorum concedendorum predictorum exactio neque cesset. Sane si impedimentum occurreret in termino ad iter arripiendum statuto, si quidem esset tale quod probabiliter infra septem menses immediate sequentes cessare deberet, non expiret exactio decime neque cesset. Si autem impedimentum hujusmodi esset tale quod infra septem menses predictos probabiliter non cessaret, ex tunc expirare debeat decimarum et aliorum subsidiorum exactio supradicta, nisi per Sedem Apostolicam dictus terminus ex causa aliqua fuerit prorogatus, quo casu si prorogatio termini annum non excederet, non cesset exactio decimarum. Si vero ipsa prorogatio annum excederet, tunc statim expiret decimarum exactio, sed finito prorogationis tempore, dum tamen rex ipse paratus fuerit negotium dicti passagii prosequi, vires resumat absque comissione alia commissio prius facta possitque extunc per deputatos prius procedi commissarios ad exactionem predictam acsi continue ipsorum commissio in suo robore perstitisset. Si vero impedimentum hujusmodi arreptionem itineris totaliter impediret, eo casu dictum residuum et cetera omnia [que] tam in peccunia quam in rebus aliis quibuscunque predictis tunc restarent, debebunt in manu Sedis Apostolice videlicet penes quatuor prelatos quorum duo per Sedem Apostolicam, duo vero per nos aut duos ex ipsis quorum unus per eandem Sedem alius per nos deputati fuerint assignari, per eos sicut premittitur conservanda et per Sedem eandem disponenda sicut in alio articulo superius continetur. De impedimentis autem predictis duo prelati predicti per Sedem Apostolicam deputandi seu eisdem modo qui predicitur subrogandi se informabunt et etiam declarabunt ». Circa premissam autem clausulam et contenta in ea videbatur regi prefato quod aliqua essent de illa tollenda, aliqua ei addenda, quedam quoque circa eam modificanda et aliqua declaranda, et specialiter circa verba illa in eadem clausula posita : « aut quoslibet alios tunc restaret ». Item illa verba : « seu quicunque alii de concedendis hujusmodi collectis tunc vel non collectis quomodolibet tenebunt debebunt quatuor prelatis etc... » usque ibi inclusive « sine difficultate qualibet assignari » poterant esse eidem regi sicut sibi et suo videbatur consilio periculosa pariter et dampnosa. Quare eandem clausulam et contenta in illa quantum ad illa que ex sequentibus colliguntur de fratrum ipsorum consilio declaramus, modificamus et de eis et circa ea disponimus in hunc modum, videlicet : « quod si forte contingeret ipsum regem infra dictum terminum impedimento perpetuo impediri vel tali quod probabiliter appareret duobus prelatis per Sedem Apostolicam deputatis seu eisdem modo qui predicitur subrogandis, quod nec in predicto termino vel alio per Sedem eandem ex causa aliqua prorogato nec infra septem mensium spatium immediate sequentium, dictus rex iter dicti passagii posset arripere et illud prosequi, volumus quod potestas exigendi seu colligendi decimam predictam in regno Francie ac in Remensi et Lugdunensi diocesibus, in quantum extra regnum predictum extenduntur, impositam per Sedem eandem et dicto regi in auxilium expensarum dicti negotii jam concessam et potestas etiam exigendi alia subsidia in eodem regno et diocesibus supradictis per eandem Sedem imposita et ipsi regi concessa statim debeant expirare, nisi forsan per eandem Sedem circa expirationem collectionis hujusmodi contingeret aliud ordinari, quo casu idem rex quicquid de predictis decima jam concessa et aliis subsidiis eidem pro dicto passagio concessis, penes ipsum heredesve suos tunc restaret et in dicti passagii preparationibus aut pro eo de mandato suo juxta ordinationem nostram in dictis regiis et aliis nostris litteris contentam non esset expensum, necnon et galee et alie quecunque res facte, empte seu quomodolibet pro dicto passagio seu pro eo acquisite de dictis decima et aliis subsidiis sibi per dictam Sedem ut prefertur concessis, debebunt per ipsum seu successores suos qui tunc fuerint penes eos quatuor prelatos regni Frantie quorum duo per Sedem Apostolicam alii vero duo per ipsum regem, vel duo ex eis quorum unus per eandem Sedem, alius vero per ipsum regem fuerint deputandi, sine difficultate qualibet assignari. De illis vero que tunc collecta non erunt de dictis decimis et aliis subsidiis supradictis pro preteritis tunc terminis, rex ipse seu ejus heredes et successores predicti non remaneant nec sint in aliquo obligati, sed exigentur illa et colligentur per dictos ordinarios aut subcollectores eorum,

et collecta per eos tradentur quatuor prelatis aut duobus ex eis sicut premittitur deputandis, ut in manu Sedis Apostolice et ejus nomine conserventur ab eis et distribuentur secundum ea que in nostris aliis et regiis predictis litteris plenius continentur ». Specialiter autem quantum ad verba predicta « quoslibet alios tunc restaret etc » et illa « quicumque alii supraposita et in predictis regiis litteris contenta », modificationem et declarationem facimus infrascriptas, videlicet quod de hiis que rex forsan assignabit seu fatiet assignari nobilibus seu quibuslibet aliis secum transfretaturis forsan ad procuranda seu emenda aliqua sibi pro passagio necessaria vel etiam oportuna, seu alias ad expensas eorum quas essent facturi in prosecutione dicti passagii supportandas, habebit idem rex pro serenitate sue conscientie, et pro securitate negotii Terre Sancte inter alia precavere quod illi quibus fatiet illa tradi jurare debeant ea que sic sibi tradentur de subsidiis supradictis fideliter conservare et in utilitate dicti passagii seu preparatoriorum ipsius quanto comodius et utilius poterunt et non in aliquos usus alios convertere quovismodo, necnon quod eo casu quo regem ipsum contingeret impediri, sic quod dicta subsidia debeant reddi memoratis prelatis nomine Ecclesie conservanda secundum modum et formam qui in provisione per nos facta super hoc plenius continentur, ipsi ea que de dictis subsidiis eis fuerint ut premittitur assignata vel ea que fuerint ex eis pro predicto passagio acquisita restituent bona fide prelatis qui fuerint ad conservationem talium deputati, quodque super hoc obligent se heredes et bona sua sub firmis et validis obligationibus sub cohertione jurisdictionis regie prout de hiis qui se obligant sub sigillo Castelleti Parisius vel sigillis aliis regiis in regno predicto fieri consuevit, sic quod non restet in casu predicto nisi sola executio quam rex per ministros sue justitie temporalis facere teneatur taliter quod utilitati Terre Sancte non possit aliquid malitiose subtrahi de predictis, ad quam etiam restitutionem dictis faciendam prelatis possint tales compelli per censuram ecclesiasticam si visum fuerit expedire. Quod si rex ipse non providerit sic caveri, teneantur ipse et sui ad restitutionem predictorum faciendam prelatis eisdem, semper tamen habita ratione expensarum rationabilium si que forsan facte fuerint ab illis quibus premissa fuerint tradita in emendis vel procurandis seu conservandis de predicta pecunia ipsis ut premittitur assignata hiis que sibi pro passagio esse potuerint oportuna prout fuerit rationis, et habita etiam ratione aliorum que de jure fuerint attendenda, que dictorum prelatorum arbitrio ducimus committenda. Eo vero casu quo idem rex providerit quod illi quibus predicta fuerint ut premittitur tradita se obligaverunt ut est dictum, non teneatur rex ipse nisi ad litteras obligatorias et instrumenta super predictis confecta prefatis assignanda prelatis, et ad eos ut prefertur jurandos per ministros sue justitie temporalis. De illis autem que per receptores regios vel alios de mandato regis ejusdem mercatoribus vel aliis ad faciendum provisiones quaslibet pro passagio oportunas tradentur, tenebitur etiam idem rex ad ea vel ex eis acquisita restituenda seu restitui facienda prelatis, habita tamen ratione expensarum rationabilium et aliorum que in reddenda ratione fuerint atten[den]da prout est in proximo casu dictum, et hoc in quantum per rationem reddendam prelatis eisdem juxta modum circa redditionem rationum per nos in nostris aliis et dictis litteris regiis appositum apparuerit ipsum teneri. De hiis vero que ab aliis passagio vel Terre Sancte subsidio pro tempore tunc preterito forsitan deberentur vel que forte detinerentur a personis aliis quibuscunque non per factum regis seu mandato suo vel deputandorum ab ipso, non tenebitur idem rex ad restitutionem talium que non ad ipsum et suos pervenerint faciendam. Est tamen intentionis nostre quod idem rex ad omnia talia de quibus ceteri tenebuntur exigenda per executores sue justitie temporalis in favorem ipsius Terre Sancte prelatos habeat adjuvare. Sane circa articulum de ratione reddenda de quo in dictis agitur litteris ibi : « prelati autem etc » dixerunt prefati procuratores et nuntii dicti regis intentionem hanc esse quod scilicet illo casu quo dictum residuum debebit prelatis predictis restitui de omnibus collectis et de mandato regio expensis seu missis, quantum collectum et quantum expensatum fuerit teneantur in grosso dumtaxat, sed tamen totius residui scripturas continentes partes et particulares assignare. Nos autem hunc articulum declaramus et in eo distinguimus in hunc modum, videlicet quod postquam receptores dicti regis de receptis ab eis et expensis seu misiis prelatis ad hoc deputandis plenam reddiderint rationem partes et particulas etiam assignando, dicti prelati teneantur dumtaxat partes

et non minutas particulas assignare, scilicet declarando et exprimendo quantum receptores predicti de mandato ipsorum prelatorum expenderint, miserint seu tradiderint forsan pro navibus emendis, quotve naves inde fuerint empte et summam in grosso quantum circa hoc sit expensum, et per quos et in quo seu quibus locis facta fuerit emptio navium predictarum, et idem de galeis per se, et de equis per se, et de bladis per se, et sic de quolibet genere eorum circa que ea que processerint ex predictis subsidiis erunt tradita seu expensa. Particule vero scilicet quantum res quelibet minutatim constiterit seu quomodo minutatim circa hoc expressum fuerit non exigentur ab eis. Item si alicui vel aliquibus tradiderint iidem receptores summas aliquas forsan pro se muniendis, summas ipsas debebunt prelati exprimere in scripturis per quas reddent Sedi Apostolice rationem. Si vero illi qui deputabuntur ad emenda vel alias procuranda necessaria pro passagio faciendo, receptoribus regiis vel aliis a rege super hoc deputandis de emptis et alias a se ministratis et expensis reddiderint rationem, illi qui rationem hujusmodi receperint tenebuntur illam dictis prelatis integraliter assignare. Prelati vero in ratione quam erunt nobis seu nostris successoribus reddituri quantum prefatis deputatis in grosso traditum fuerit quantumque secundum rationem ipsis prelatis assignatum seu traditum in singulis generibus negotiationum passagium tangentium expensum in grosso fuerit per predictos ad procuranda passagii negotia deputatos, quantumque reliquum de predictis sibi traditis remanserit penes eos exprimere tenebuntur. Porro prefatas litteras regias et premissa omnia per nos circa eas ut predicitur declarata modificata distincta eisque addita vel ab ipsis detracta perinde omnino procedere volumus et valere acsi eedem littere secundum ea que ut prefertur declaravimus, modificavimus, distinximus, addidimus et detraximus et non aliter date vel misse nobis ab initio extitissent, ceteris omnibus in litteris eisdem contentis in suo per omnia robore permansuris. Nulli ergo etc... nostre declarationum modificationis, dispositionis, voluntatis, commissionis, intentionis et distinctionis infringere etc... Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo septimo. »

5223 Avignon, 26 juillet 1333.

Episcopo Vivariensi quod in sua civitate et diocesi omnes clericos et laicos qui pro violatione immunitatum et libertatum ecclesiarum et cimiteriorum excommunicationis sententiam incurrisse noscuntur ab eadem sententia absolvere et cum eis ex illis qui clerici fuerint super irregularitate dispensare valeat, dummodo dampna passis satisfecerint competenter et signum Crucis assumpserint vel assumant in generali passagio profecturi personaliter in subsidium Terrae Sanctae vel missuri propriis expensis illuc idoneos bellatores. (Reg. 104, fol. 27 v°, c. 19).

« *Venerabili fratri.. episcopo Vivariensi, salutem.* Ad Terram Sanctam — Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo septimo.

In e. m. episcopo Anitiensi. » (1).

5224 Avignon, 26 juillet 1333.

Archiepiscopo Viennensi ejusque suffraganeis ut decimam ad sex annos pro subsidio Terrae Sanctae impositam in eorum civitatibus et diocesibus colligant. (Reg. 104, fol. 29, c. 20 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 61234).

« *Johannes episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Viennensi ejusque suffraganeis salutem et apostolicam benedictionem.* Non absque grandi — Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo septimo.

In e. m. archiepiscopo Aquensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Ebredunensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Arelatensi ejusque suffraganeis. »

5225 Avignon, 26 juillet 1333.

Archiepiscopo Viennensi ejusque suffraganeis ut in singulis eorum civitatibus et diocesibus omnia legata, donata inter vivos seu in ultima voluntate, poenas, condempnationes, poenitentias impositas seu injunctas et quaecumque alia ex voto, stipulatione, pacto vel promissione passagio generali aut in Terrae Sanctae subsi-

(1) Vidimus : Arch. nat., L. 304, n. 68.

dium colligant. (Reg. 104, fol. 30 v°, c. 21 ; — *Jean XXII Lettres communes*, t. XII, n. 61235).

« *Johannes episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopo Viennensi ejusque suffraganeis salutem.* Pridem ad supplicem — Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo septimo.

In e. m. archiepiscopo Ebredunensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Arelatensi ejusque suffraganeis.

In e. m. archiepiscopo Aquensi ejusque suffraganeis. »

5226 Avignon, 26 juillet 1333.

Archiepiscopis Aquensi, Ebredunensi, Arelatensi et Viennensi eorumque suffraganeis scribit in e. m. ac archiepiscopo Januensi ut in ipsorum civitatibus et diocesibus coram populo publice praedicent verbum Crucis et signum ejusdem fidelibus volentibus imponant. (Reg. 104, fol. 33 v°, p. c. 21).

« In e. m. (1) scribitur et sub eadem data infrascriptis venerabilibus fratribus archiepiscopis eorumque suffraganeis :

Archiepiscopo Aquensi.

Archiepiscopo Ebredunensi.

Archiepiscopo Arelatensi.

Archiepiscopo Viennensi. [Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo septimo]. »

5227 Avignon, 26 juillet 1333.

Eisdem archiepiscopis eorumque suffraganeis scribit in e. m. ac archiepiscopo Rigensi ut missas cum certis orationibus, negotio passagii ultramarini durante, in ipsorum civitatibus et diocesibus celebrent cum certa indulgentia et in ecclesiis cathedralibus et collegiatis truncos ad elemosinas recipiendas ponant. (Reg. 104, fol. 34, p. c. 23). — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 61247).

« In e. m. scribitur infrascriptis archiepiscopis eorumque suffraganeis :

(1) Cf. n. 5210.

Archiepiscopo Aquensi.

Archiepiscopo Ebredunensi.

Archiepiscopo Arelatensi.

Archiepiscopo Viennensi. [Datum Avinione, VII kalendas augusti, anno decimo septimo]. »

5228 Avignon, 30 juillet 1333.

Guidoni, episcopo Lexoviensi, quod usque ad triennium ecclesias et cimiteria suae diocesis per aliquem sacerdotem idoneum reconciliare possit. (Reg. 117, fol. 100, c. 487 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60872).

« *Venerabili fratri Guidoni, episcopo Lexoviensi.* Merita tue fraternitatis — Datum Avinione, III kalendas augusti, anno decimo septimo. »

5229 30 juillet 1333.

Guillelmo de Sancta Maura Petrum de Manso qui in regali curia quaedam negotia expedire habet commendat. (Reg. 117, fol. 114 v°, c. 580).

« *Guillelmo de Sancta Maura, regis cancellario.* Cum dilectus filius nobilis vir Petrus de Manso, familiaris noster, quedam habeat sua negocia in regali curia expedire, discretioni tue ipsum Petrum dictaque negocia ut circa eorum expeditionem previa honestate sis ei favorabilis propensius commendamus. Datum III kalendas augusti, anno decimo septimo. »

5230 Avignon, 31 juillet 1333.

Archiepiscopo Aquensi et episcopo Mimatensi mandat ut quondam Guigonem dalphinum Viennensem ab excommunicationis sententia absolvant. (Reg. 117, fol. 57 v°, c. 319).

« *Eisdem* [*Armando archiepiscopo Aquensi et Alberto Mimatensi episcopo*]. Displicenter nimis audivimus quondam Guigonem dalphinum Viennensem ligatum excommunicationis seu excommunicationum sententia [vel] sententiis vita functum. Ideoque vobis et cuilibet vestrum in solidum committimus et mandamus quatinus, si signa penitencie

in eo apparuisse vobis constiterit, ipsum juxta formam Ecclesie absolvatis. Datum Avinione, II kalendas augusti, anno decimo septimo. »

5231 31 juillet 1333.

Amedaeo de Pictavia ac Rossilioni, Clayraci, Turnonis, Cassanatici et de Anio dominis, mandat ut, Guigone Dalphino defuncto, circa custodiam Dalphinatus studium adhibeant. (Reg. 117, fol. 60 v°, c. 338).

« *Nobilibus viris Amedeo de Pictavia ac .. Rossilioni, .. Clayraci, .. Turnonis, .. Cassanatici et de Anio dominis.* Displicenter nimis audivimus quondam Guigonem dalfinum Viennensem viam universe carnis ingressum. Sed quia mortis jactura restitutionis beneficium non admittit, ac dispositione seu permissione divina hoc supponimus contigisse, decet nos et vos hoc equanimiter tolerare, nobilitatem vestram affectu quo possumus deprecantes ut quousque dilectus filius vir egregius Imbertus, dalfinus Viennensis, venerit, sicut cepistis laudabiliter, ut percepimus, circa custodiam Dalfinatus sine Dei offensa et proximi, operosum studium adhibere velitis. Sane, quia dum adhuc viveret Dalfinus predictus, mittebamus venerabiles fratres nostros Armandum, archiepiscopum Aquensem, et Albertum, episcopum Mimatensem, ad occurrendum guerrarum periculis et procurandum pacem inter ipsum Dalfinum et dilectum filium virum magnificum Aymonem, Sabaudie comitem, ipsisque nunc per alias nostras litteras injungamus ut nichilominus negotium prosequantur, vos pleno cordis rogamus affectu ut circa indictionem treuge eorum salubribus exhortationibus vestros animos inclinetis. Datum II kalendas augusti, anno decimo septimo. »

5232 31 juillet 1333.

Archiepiscopo Aquensi et episcopo Mimatensi de morte Guigonis, dalphini Viennensis, et de treugis cum comite Sabaudiae. (Reg. 117, fol. 61, c. 339).

« *Eisdem archiepiscopo et episcopo.* Displicenter nimis audito Guigonem, dalfinum Viennensem, viam esse universe carnis ingressum, super absolutione ipsius, qui excommunicationis vinculo tenebatur astrictus, vobis nostras alias patentes litteras destinantes, volumus quod, pro exequendis contentis in illis ac treugis indicendis, super quibus dilecto filio nobili viro Aymoni, Sabaudie comiti, per alias litteras nostras, quas vobis cum presentibus destinamus scribimus, ad eas partes vos conferre curetis, talem super hiis adhibituri solicitudinem quod vestra exinde debeat circumspectio merito commendari. Datum ut supra. »

5233 31 juillet 1333.

Aymoni comiti Sabaudiae ut praefatorum archiepiscopi et episcopi consiliis pro pace acquiescat. (Reg. 117, fol. 61, c. 340).

« *Eidem comiti.* Displicenter nimis audivimus quondam Guigonem dalfinum Viennensem viam fuisse universe carnis ingressum. Sane quia venerabiles fratres nostros Armandum archiepiscopum Aquensem et Albertum episcopum Mimatensem pro tua, fili, et ejusdem delfini pacis concordia et treugis nichilominus interim procurandis seu etiam indicendis duxeramus antea destinandos, nobilitatem tuam rogamus et in Domino attencius exhortamur quatinus, consideranter attendens quod honori tuo nequaquam convenit Dalfinatum sic destitutum regimine hostiliter impugnare, cessare ab impugnatione hujusmodi ac treugarum indictioni velis favorabiliter consentire, ut melius et utilius inter te ac dilectum filium nobilem virum Imbertum dalfinum Viennensem valeant pacis federa, cum venerit, reformari. Datum ut supra [II kalendas augusti, anno decimo septimo]. »

5234 Avignon, 5 août 1333.

Radulpho Challoti indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 99 v°, p. c. 485 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60907).

« Item in e. m. (1) dilecto filio nobili viro Radulpho Challoti, militi, Bituricensis diocesis. Datum Avinione, nonis augusti, anno decimo septimo. »

(1) Cf. n. 5180.

5235 5 août 1333.

Andreae de Calviniaco excusationes de mora sua in arripiendo iter ad Curiam accipit. (Reg. 117, fol. 114 v°, c. 581).

« *Andree de Calviniaco, domino Castri Radulphi.* Benigne recepimus nobilitatis tue litteras per quas te super dilato tuo et sponse nepotis nostri nate tue adventu, tum propter assignationem terre nondum omnino completam, tum etiam propter estus ardorem nimium utique periculosum itinerantibus excusasti. Nos itaque, dilecte fili, excusationes ipsas veras supponentes et justas, cum etiam in hiis partibus calores intensissimi vigeant, easque favorabiliter admittentes scire te volumus quod gratus erit nobis adventus hujusmodi cum iter tuum agere comode poteris, dirigente Domino gressus tuos. Datum nonis augusti, anno decimo septimo. »

5236 5 août 1333.

Regi Siciliae nuntiat se passagium transmarinum generale VII kalendas mensis augusti proximo praeteriti indixisse et regem Franciae ducem ejusdem praefecisse, certis ei subsidiis assignatis, hortaturque eum ut pro dicto passagio ordinando cum praefato rege ad Curiam veniat. (Reg. 117, fol. 149, c. 752).

« *Regi Sicilie.* Ad regalem noticiam perferimus per presentes quod ad honorem sancte ac individue Trinitatis, exaltationem quoque nostri Salvatoris nominis gloriosi, necnon et consolationem tocius christiani populi ac confusionem blasphemorum ejusdem nominis, VII kalendas mensis augusti proxime preterito ad instanciam carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris de fratrum nostrorum consilio passagium transmarinum induximus generale, ipsumque regem ducem ejusdem preficimus, certis sibi subsidiis assignatis. Sane quia, sicut tua fili carissime circumspectio non ignorat, in procurandis necessariis et utilibus pro dicto passagio et ponendis in ordine debito multa prudencia et providencia opus erit, prefatusque rex super hiis optet tuum audire consilium et per illud dirigi in predictis, quod quidem habilius posset fieri si loci distancia non obesset, et propterea, sicut intelleximus, magnificencie tue preces per suas litteras porrigat ut quamcicius cum honore tuo et sine dispendio poteris velis ad partes Provincie te transferre, nos attendentes ad te prefatum passagium inter alios catholicos principes pertinere non mediocriter, ac sperantes quod adventus tuus, fili carissime, nedum quoad dictum passagium sed etiam quoad alia utrique vestrum oportunus existere poterit, sano consilio suademus quod si ad presens propter adventum dilecti filii incliti infantis nati carissimi in Christo filii Caroli regis illustris Ungarie preces predicte impleri per te nequeant, si subsequenter sine regni personeque tue periculo se oportunitas offerat, velis prefatis regiis desideriis cor regium coaptare. Gratia Domini cor regium dirigat et protegat ab adversis. Datum nonis augusti, anno decimo septimo. »

5237 5 août 1333.

Regi Siciliae quod matrimonium inter neptem ejus, filiam Caroli ducis Calabriae ultimogenitam, et Petrum Ludovici ducis Borbonesii filium gratum habet. (Reg. 117, fol. 149, c. 753).

« *Eidem regi* [*Sicilie*] . Quia sicut intelleximus carissimo in Christo nostro filio Philippo regi Francie gratum esset admodum quod dilecta in Christo filia inclita puella ejus et tua fili carissime neptis, filia scilicet inclite recordationis Caroli ducis Calabrie ultimo genita, dilecto filio inclito juveni Petro, dilecti filii magnifici principis Ludovici ducis Borbonesii filio, matrimonialiter oportuno tempore jungeretur, nos quidem desideranter appetimus prefatam nobilem viro suo convenienti statui copulari, attendentes quod dux predictus beati Ludovici dudum regis Francie nepos et inter principes regni Francie magnus existit diviciis et honore, Deumque timens, regis predicti omniumque regalium et principum ecclesiasticorum et secularium immo et tocius populi dicti regni gratiam habere noscitur singularem, quique ad te, dilectissime fili, tuamque domum afficitur, sicut tuam prudenciam latere non credimus, magno zelo, hiis et multis aliis in consideratione deductis convenientem predictam copulam arbitramur, ideoque [si] nichil occurrat aliud quod nos latet coaptes regio votum tuum. Gratia Domini etc... ut supra. Datum ut supra [nonis augusti, anno decimo septimo]. »

5238 Avignon, 7 août 1333.

Petro episcopo Leonensi facultatem visitandi limina apostolorum Petri et Pauli concedit. (Reg. 117, fol. 100, c. 488; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60928).

« *Venerabili fratri Petro, episcopo Leonensi.* Merita fraternitatis exposcunt — Datum Avinione, VII idus augusti, anno decimo septimo. »

5239 7 août 1333.

Regi Franciae de conflictu jurisdictionis inter officialem Parisiensem et praepositum Parisiensem scribit. (Reg. 117, fol. 114 v°, c. 582).

« *Regi Francie.* Transcriptum cujusdam monitionis a curia .. officialis Parisiensis contra prepositum regium Parisiensem emanate pro parte regia nobis exhibitum vidimus et contenta in eo intellexi-mus diligenter; ex quibus evidenter percepimus et prepositum ipsum impediendo jurisdictionem venerabilis fratris nostri .. episcopi Parisiensis excessisse graviter et .. locum tenentem officialis predicti in aggravando excommunicationis ejusdem sententiam modum debitum non servasse. Sane, quia fide digna relatione percepimus quod memoratus episcopus sic predicti locumtenentis correxit excessum quod inde fuit excellentie regie super hoc satisfactum, non est visum nobis quoad hoc super provisione alia insistendum. Sed, ut provideatur ne talia attemptentur imposterum, intendimus de fratrum nostrorum consilio salubriter, dante Domino, providere. Datum VII idus augusti, anno decimo septimo. »

5240 Avignon, 13 août 1333.

Guillelmo de Leschanello indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 99 v°, p. c. 485; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60970).

« Item in e. m. (1) dilecto filio Guillelmo de Leschanello, canonico Noviomensi. Datum Avinione idibus augusti, anno decimo septimo. »

(1) Cf. n. 5180.

5241 Avignon, 16 août 1333.

Geraldo de Albussaco indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 99 v°, p. c. 485; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60997).

« Item in e. m. (1) dilecto filio Geraldo de Albussaco, canonico Autisiodorensi. Datum Avinione, XVII kalendas septembris, anno decimo septimo. »

5242 Avignon, 16 août 1333.

Eidem Geraldo testandi facultatem concedit. (Reg. 117, fol. 99 v°, c. 486; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XII, n. 60996).

« *Eidem Geraldo.* Quia presentis vite — Datum ut supra.

In e. m. magistro Petro Arquerii, decano ecclesie Rothomagensis, capellano nostro. Datum. »

5243 Avignon, 18 août 1333.

Johanni de Mota ejusque uxori indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 57 v°, c. 320; — *Jean XXII Lettres communes*, t. XII, n. 61025).

« *Dilecto filio nobili viro Johanni, domino de Mota, militi, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Johanne de Draciaco, ejus uxori, Eduensis diocesis.* Provenit ex vestra — Datum Avinione, XV kalendas septembris, anno decimo septimo. »

5244 20 août 1333.

Regi Siciliae nuntiat se VII kalendas augusti, ad supplicationem instantem Philippi regis Franciae, indixisse passagium generale dictumque regem ejusdem ducem ordinasse, certis subsidiis ad supportandum facilius illud onus ei concessis. (Reg. 117, fol. 149 v°, c. 754).

(1) Cf. n. 5180.

« *Regi Sicilie.* Ad regalem noticiam per litteras nostras alias meminimus intimasse quomodo VII kalendas augusti ad honorem Dei consolationemque christiani populi ac ad supplicationem instantem carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris induximus passagium generale, cujus regem prefatum ducem ordinavimus, certis sibi subsidiis ad supportandum onus predictum facilius assignatis, de quibus tuam excellenciam cito curabimus reddere certiorem. Datum XIII kalendas septembris, anno decimo septimo. »

5245 20 août 1333.

Reginae Siciliae super eodem. (Reg. 117, fol. 149 v°, c. 755).

« *Regine Sicilie.* Ad regalem noticiam — Datum ut supra. »

5246 20 août 1933.

Regi Ungariae super eodem. (Reg. 117, fol. 149 v°, c. 756).

« *Carolo, regi Ungarie.* Ad regalem noticiam — Datum ut supra. »

5247 21 août 1333.

Comiti Alenconii de negotio passagii transmasini et de capitaneo ordinando. (Reg. 117, fol. 115, c. 583).

« *Comiti Alenconii.* Letanter recepimus dilectos filios nobiles viros .. de Arquiriato et .. de Arreblayo dominos, tue nuntios magnitudinis, et que continebant tue magnificentie littere per eos nobis exhibite, que quoque verbo voluerunt nuncii ipsi proponere, intelleximus diligenter. Sane quia eorum propositio verbo primo proposita et consequenter in scriptis oblata continebat quod, cum secundum ultramarinum viagium per nos ac carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem a mense presenti augusti ad triennium fuisset assumptum, secundum quod notum et publicatum fuerat publice in Romana curia, nullusque adeo teneretur eidem regi pro dicto complendo viagio quemadmodum tu, germanus ipsius, excepto dilecto filio juvene inclito Johanne de Francia ejus nato qui tamen adhuc in etate constitutus non est qua laborare valeret, tuque, fili, dum dicti tui nuncii disseserunt de Francia per litteras carissimi in Christo filii nostri .. regis Sicilie illustris tui avunculi accepisses quod Turci contra Christianos tam per mare quam per terram adeo invaluerant quod burgos Athenienses combusserant, et verebatur admodum, nisi provideretur aliter, scandalum et pericula graviora, supplicabant nobis ex parte tua premissis ex causis prefati nuncii ut, in casu quo per nos ordinaretur de capitaneo aliquo pro reprimendis Turcis prefatis, placeret nobis te, fili, capitaneum hujusmodi deputare, quia hoc sperabant profuturum sancto viagio, ex quo apparet quod germanus regius previet eundem, eorum tamen, ut dixerunt, non erat quod aliquid super hoc fieret nisi secundum consensum et beneplacitum dicti regis. Ad que, fili, taliter respondemus quod cum prefatus rex Francie germanus tuus factus sit dux exercitus generalis passagii transmarini, non est intencionis nostre sicut nec esse debet circa dicti passagii negotium vel ipsum tangencia de duce vel capitaneo aliquo aliquid ordinare. Ceterum, si placeret regi prefato ad obviandum dictis Turcis intendere, quod generali passagio multipliciter oportunum existeret, immo multorum judicio necessarium, quia si factum Turcorum prosperetur ut cepit, transitus generalis passagii nimium dificilis redderetur, expediret ut cum illis quos maxime tangit dictum Turcorum negotium, utpote cum carissimis in Christo filiis (1) nostris .. Sicilie et .. Cipri regibus illustribus et cum Venetis ac .. Hospitalis magistro aliisque magnatibus et comunitatibus illarum partium haberetur tractatus, quos speramus et supponimus libenter facere posse suum. Et si rex vellet subsidium facere, non credimus quod pro negotio aliquo posset ad presens circa hoc aliquid utilius facere nec per quod posset sic prompta via ad dictum passagium prosequendum utiliter procurari. Quo facto, si tractatus premissus procederet, posset rex prefatus de capitaneo dicti exercitus cum premissorum beneplacito ordinare. Nos autem sine assumptione dicti negocii intendimus manum

(1) Reg. : *fratribus.*

nostrum dicto negocio in casu premisso sicut bono modo poterimus extendere adjutricem. Et si te, fili, premisso exercitu contra Turcos ordinando vellet rex ipse preficere, nobis quantum in nobis est gratum existeret pariter et acceptum. Datum XII kalendas septembris, anno decimo septimo .»

5248 21 août 1333.

Rex Franciae de eisdem. (Reg. 117, fol. 115 v°, c. 584).

« *Regi Francie.* Celsitudinis regie litteras in quibus recommendabant nobis negocia dilecti filii magnifici viri Caroli comitis Alenconii, fratris sui, per dilectos filios nobiles viros .. de Arquiriaco et .. de Arreblayo dominos dicti comitis nuntios una cum ejusdem comitis litteris nobis exhibitas benigne recepimus, et que continebant littere ipse queque verbo etc... ut in alia, mutatis mutandis. Datum ut supra [XII kalendas septembris, anno decimo septimo].»

5249 24 août 1333.

Regi Franciae de errore facti intervento in arresto per Parlamentum lato super causa inter dalphinum Alverniae et quondam Robertum fratrem ejus vertente. (Reg. 117, fol. 115 v°, c. 585).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Cum ex parte dilecti filii nobilis viri Johannis dalphini Alvernie asseratur quod in quodam arresto lato dudum in parlamento regio Parisius super quadam causa, que inter ipsum, ex parte una, et quondam Robertum Dalphini, fratrem suum, ex altera, vertebatur ibidem, extitit multipliciter in ejus magnum prejudicium erratum in facto, de quo quidem errore apparere, si audiatur in suis rationibus, manifeste poterit, sicut dicit, excellentiam regiam attentius deprecamur quatinus ut, dicto nonobstante arresto, idem dalphinus audiatur in suis rationibus et defensionibus hujusmodi ad finem quod error facti possit per viam veritatis et justicie, si reperiatur intervenisse, corrigi, velit eadem regalis benignitas de gratia concedere speciali. Datum VIIII kalendas septembris, anno decimo septimo.»

5250 24 août 1333.

Regi Franciae ut litem quae inter Carolum, comitem Alenconii, et Johannem, dalphinum Alverniae, super quibusdam bonis hereditariis in regali curia ventiletur, celeriter expediri faciat. (Reg. 117, fol. 115 v°, c. 586).

« *Eidem regi.* Cum inter dilectos filios nobiles viros Carolum, comitem Alenconii, germanum tuum, fili carissime, ex parte una, et Johannem, dalphinum Alvernie, ex altera lis super quibusdam bonis hereditariis in regali curia, sicut accepimus, ventiletur, magnificenciam regiam attencius deprecamur quatinus ad parcendum utriusque partis expensis et laboribus quos litium produxere prolixitas consuevit, litem ipsam examinari et expediri celeriter facere velit regalis providencia, sua utrique parti justicia observata. Datum ut supra [VIIII kalendas septembris, anno decimo septimo].»

5251 25 août 1333.

Johanni duci Duracii notificat se passagium generale ad Terram Sanctam indixisse. (Reg. 117, fol. 5 v°, c. 27, et 149 v°, c. 757).

« *Johanni, nato clare memorie Caroli regis Siciliae, duci Duracii.* Ad tue nobilitatis noticiam deducimus per presentes quod nos ad honorem Dei et consolationem fidelium ac supplicationem instantem carissimi in Christo filii Philippi, regis Francie illustris, VII kalendas augusti passagium indiximus generale, rege prefato duce dicti passagii certis sibi nichilominus concessis subsidiis ad facilius supportandum onus hujusmodi deputato. Datum VIII kalendas septembris, anno decimo septimo.»

5252 28 août 1333.

Arnaldo episcopo Regensi mandat ut ad Curiam veniet cum omnibus documentis dissentionem inter eum et praepositum ecclesiae Regensis motam tangentibus. (Reg. 117, fol. 61, c. 341).

« *Arnaldo, episcopo Regensi.* Super certis tractandis que te tangere dinoscuntur volentes ad nostram presenciam personaliter te conferre, fraternitati tue presencium tenore mandamus qua-

tinus id efficere sublata cunctatione qualibet non postponas, tecum omnia documenta et munimenta quecumque quibus te super dissensione quam inter te et dilectum filium de Lercio, prepositum ecclesie Regensis, capellanum nostrum, ut dicitur, suborta juvare intendis nichilominus delaturus. Datum V kalendas septembris, anno decimo septimo. »

5253 Avignon, 31 août 1333.

Archiepiscopo Aquensi et episcopo Mimatensi, de observatione treugarum inter Aymonem, comitem Sabaudiae, et defensores Dalphinatus indictarum. (Reg. 117, fol. 58, c. 321).

« *Venerabilibus fratribus Armando, archiepiscopo Aquensi, et Alberto episcopo Mimatensi, Apostolice Sedis nunciis.* Intelleximus quod, licet pridem post obitum quondam Guigonis dalphini Viennensis, inter dilectum filium nobilem virum Aymonem, comitem Sabaudie, pro se ac valitoribus adherentibus et subditis suis ex parte una, et certos nobiles qui defensionem Dalphinatus Viennensis assumpserunt pro se ac omnibus sibi adherentibus et subditis Dalphinatus predicti ex altera, treuge inite seu indicte vestra mediante solicitudine fuerint usque ad certi temporis spacium durature, tamen dilectus filius nobilis vir Amedeus, comes Gebennensis, et quidam alii de parte dicti Saubaudie comitis existentes ad violationem treugarum hujusmodi non absque magna turbatione status partium illarum pacifici se disponunt. Nos igitur, attendentes quod ex guerrarum commotionibus, si nunc in partibus illis quod absit insurgerent, tractatus pacis inter predictum Sabaudie comitem et dilectum filium nobilem virum Imbertum dalphinum Viennensem pacis Actoris suffragante gracia reformande, ad quam desideriis aspiramus intensis, impediri seu ad eam pertingendam via difficilior multipliciter possit reddi, et alia non facile numeranda incommoda, ex quibus irritaretur graviter Altissimus, sequerentur, fraternitati vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus prefatos comites et nobiles ac alios quos negocia contingunt hujusmodi de quibus videritis expedire, ut easdem observent treugas et per suos facient inviolabiliter observari, quodque si forsan violate fuerint, reductis ad statum pristinum que forent intantum attemptata, ad easdem redeant observandas moneatis et efficaciter inducatis. Et si ipsi vel eorum aliqui vestris inductionibus et monitionibus obtemperare recusaverint in hac parte, dicteque treuge per vos penis et sententiis promulgatis adversus infringentes vel non servantes easdem extiterint roborate, ad earundem penarum et sententiarum executionem et aggravationem contra illos qui supradictas treugas infringerent vel etiam non servarent prout ipsorum et cujuslibet eorum rebellionis inobediencia exegerit ratione previa procedatis; alias autem, cum omnino expediat eos a guerris et agressionibus hostilibus abstinere, indicendi de novo auctoritate nostra inter ipsas partes ac ipsarum et cujuslibet earum valitores, adjutores, fautores et adherentes generaliter vel singulariter, ut melius et utilius cognoveritis faciendum, treugas usque ad aliquem certum terminum de quo vobis videbitur duraturas ipsasque penis, sentenciis spiritualibus et temporalibus oportunis vallandi et roborandi ac omnia et singula faciendi, gerendi gerendi (*sic*) et exercendi que circa hec fuerint quomodolibet oportuna, ita tamen quod pene et sentencie per vos contra illos qui hujusmodi treugas per vos indicendas infringerent vel etiam non servarent promulgande sic postquam treuge ipse indicte fuerint ac etiam publicate, violatores et fractores earum vel non servantes easdem afficiant quod alios penas observantes vel observare paratos treugas in aliquo non contingant, plenam vobis concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione, II kalendas septembris, anno decimo septimo. »

5254 31 août 1333.

Aymoni, comiti Sabaudiae, ut treugas cum nobilibus Dalphinatus initas observet et ab Amedeo, comite Gebennensi, observari faciat. (Reg. 117, fol. 61, c. 342).

« *Aymoni, comiti Sabaudie.* Infausti rumoris insinuatio perduxit ad nostri apostolatus auditum quod, licet pridem post obitum quondam Guigonis dalfini Viennensis inter te, fili, pro te tuisque adherentibus, valitoribus et subditis ex parte una, et certos nobiles qui Dalfinatus deffensionem assumpserunt pro se suisque valitoribus adherentibus et subditis Dalfinatus ejusdem ex altera, treuge, instantibus et cooperantibus venerabilibus fratribus nostris Armando archiepiscopo Aquensi et Alberto

episcopo Mimatensi Apostolice Sedis nunciis per nos ad partes illas propter hoc destinatis, indicte seu inite fuerint usque ad certi temporis spacium durature, tamen dilectus filius nobilis vir Amedeus, comes Gebennensis, nepos tuus, et quidam alii de parte tua existentes predictas treugas te id paciente moliuntur infringere, de quo mirari non sufficimus si est ita. Cum autem treugarum ipsarum violacio reformacioni pacis inter te ac dilectum filium nobilem virum Imbertum dalfinum Viennensem, ad quam desideriis aspiramus intensis, plurimum obviaret seu viam difficiliorem, preter alia incommoda varia que inde sequerentur, redderet ad pertingendum ad eam, nobilitatem tuam rogamus et in Domino attencius exhortamur quatinus treugas ipsas observans et faciens ab eodem Gebennensi comite et aliis tuis adherentibus et subditis inviolabiliter, reductis ad statum debitum si qua forsan attemptata fuerint, observari, eorundem nuntiorum persuasionibus salubribus super hiis et ea tangentibus taliter acquiescas quod tua exinde prudencia debeat merito commendari. Datum II kalendas septembris, anno decimo septimo. »

5255 31 août 1333.

Ademaro de Pictavia super eodem. (Reg. 117, fol. 61 v°, c. 343).

« *Nobili viro Ademaro de Pictavia.* Intelleximus quod licet pridem post obitum quondam Guigonis dalfini Viennensis inter dilectum filium nobilem virum Aymonem, comitem Sabaudie, pro se suisque valitoribus, adherentibus et subditis ex parte una, et te ac alios nobiles qui defensionem Dalfinatus assumpsistis pro vobis vestrisque valitoribus, adherentibus et subditis Dalfinatus ejusdem ex altera, treuge, instantibus et cooperantibus venerabilibus fratribus nostris Armando archiepiscopo Aquensi et Alberto episcopo Mimatensi etc. usque : quatinus ipsas treugas observes quantum in te fuerit et per alios inviolabiliter observari procures, prefatis nunciis circa ea que negocia contingunt hujusmodi auxiliis, consiliis et oportunis favoribus nichilominus assistendo. Datum ut supra.

In e. m. Amedeo de Pictavia. »

5256 31 août 1333.

Beatrici dominae de Arlaco de quibusdam periculis eam tangentibus scribit. (Reg. 117, fol. 61 v°, c. 344).

« *Beatrici, domine de Arlaco.* Benigne receptis nobilitatis tue litteris et contentis in eis diligencius intellectis, ecce, filia, quod periculis et scandalis de quibus fiebat in ipsis litteris mentio cupientes paterne diligencie (1) obviare studiis, tam venerabilibus fratribus nostris Armando archiepiscopo Aquensi et Alberto, episcopo Mimatensi nunciis nostris, quam dilecto filio nobili viro .. comiti Sabaudie et aliis de quibus expedire vidimus litteras dirigimus oportunas. Datum ut supra [II kalendas septembris, anno decimo septimo]. »

5257 Avignon, 4 septembre 1333.

Officiali Caturcensi, ut cogat priorem domus de Francorio ordinis Grandimontensis, Caturcensis diocesis, ad restituendum vicariam parrochialis ecclesiae de Montejustino, dictae diocesis, Geraldo de Lasucas, vicario perpetuo ipsius ecclesiae. (Reg. 117, fol. 100, c. 489).

« *Dilecto filio .. officiali Caturcensi.* Quamvis excessus quibusvis personis illati Sedi Apostolice que justiciam et equitatem diligit sint infesti, ex illis tamen qui redundant in ipsius contumeliam et injuriam gravius non immerito provocatur. Sane dilectus filius Geraldus de Lasucas, vicarius perpetuus parrochialis ecclesie de Montejustino, Caturcensis diocesis, nobis sua gravi conquestione monstravit quod nos dudum ecclesiam supradictam cum omnibus juribus et pertinenciis suis monasterio Beate Marie Caturcensis ordinis [Cartusiensis] ac .. priori et conventui predicti monasterii uniendam auctoritate apostolica duximus perpetuo ac etiam annectendam, eadem auctoritate nichilominus ordinantes quod in ecclesia ipsa perpetuus esset perpetuis temporibus vicarius qui curam animarum ibidem gereret et alias in divinis officiis ibidem laudabiliter deserviret, quodque ad ipsum medietas fructuum reddituum et proventuum ejusdem ecclesie pro sua et suorum familiarium necessariis et ipsius ecclesie supportandis oneribus, alia vero medietas ad eosdem priorem et conven-

(1) Reg. : *diligencia.*

tum pro eorum ac monasterii predicti utilius relevandis necessitatibus pertineret. Ac deinde vicariam predictam eidem conquerenti auctoritate predicta contulimus, et de ea sibi duximus providendum, certis sibi executoribus per nostras litteras super hoc deputatis. Adjecit etiam ulterius quod licet ipse auctoritate collationis hujusmodi dicte vicarie fuisset corporalem possessionem adeptus ipsamque per tempus aliquod pacifice possedisset, dilectus filius .. prior domus de Francorio, ordinis Grandimontensis, dicte diocesis, non obstante quod inter ipsum priorem ex parte una et dictos priorem et conventum dicti monasterii Beate Marie Caturcensis ipsumque conquerentem [ex altera] super eadem ecclesia in Romana curia lis penderet, ipsum conquerentem spoliari possessione sua predicta per potentiam laicalem non sine contumelia dicte Sedis procuravit et fecit, ipsi conquerenti variis aliis dampnis et injuriis per eundem priorem de Francurio et suos nichilominus irrogatis. Quare nobis humiliter supplicarat ut providere sibi super hiis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur nolentes eidem in justicia deficere in qua sumus omnibus debitores, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus super hiis informationem summariam vocato dicto priore de Francorio recipiens, si ea repereris veritate fulciri, priorem ipsum ex parte nostra moneas et inducas ut infra certum peremptorium terminum competentem quem eidem duxeris super hoc prefigendum eidem conquerenti possessionem dicte vicarie plene restituat, ac de dampnis et gravaminibus sibi super hoc illatis satisfaciat competenter; quod si forsan recusaverit adimplere, ipsum ..priorem de Francorio peremptorie citare procures ut infra certum alium peremptorium terminum per te sibi super hoc prefigendum apostolico conspectui personaliter se presentet, super predictis facturus et recepturus quod justicia suadebit ac nostris et apostolicis mandatis et beneplacitis humiliter pariturus. Diem autem hujusmodi citationis et formam etc... Datum Avinione, II nonas septembris, anno decimo septimo. »

5258 Avignon, 4 septembre 1333.

Officiali Baionensi ut contra Geraldum Aymerici, clericum Lemovicensis diocesis, homicidam et sacrilegum, in locis religiosis civitatis Baionensis latitantem procedat. (Reg. 117, fol. 102 v°, c. 497).

« *Dilecto filio .. officiali Baionensi* (1). Insinuatio displicibilis et infesta perduxit ad nostri apostolatus auditum quod Geraldus Aymerici, clericus Lemovicensis diocesis, qui diabolico exagitatus spiritu hiis diebus preteritis quondam Aymericum de Labisturre militem ejusdem diocesis prodicionaliter et insidiose interfecisse crudeliter in quodam itinere publico, ac de diversis ecclesiis et locis ecclesiasticis ejusdem Lemovicensis et Petragoricensis diocesis nonnullas res sacras et alias violenter extrahendo et asportando, aliaque in eis horribilia non absque violatione temeraria inmunitatis ecclesiarum ipsarum et divine majestatis contumelia perpetrando nefanda sacrilegia dicitur commisisse, ad civitatem Baionensem et partes illas se transtulit, sicut asseritur, ibidem in domibus religiosis et locis tam sacris quam aliis, exemptis et non exemptis, ut ultionem effugiat justicie latitando. Cum autem reipublice utilitati expediat quod maleficia per viam justicie corrigantur, nec ab Ecclesia defendi debeat qui talia committere non veretur, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si de premissis summarie simpliciter et de plano ac sine figura et strepitu justicie fueris informatus, prefatum clericum ubicumque reperiri poterit capi facias et fideliter custodiri, ut per te vel illum ad quem ratione delictorum hujusmodi pertinuerit exhiberi de ipso valeat justicie complementum, invocato ad hoc si necesse fuerit auxilio brachii secularis. Contradictores etc... Datum Avinione, II nonas septembris, anno decimo septimo. »

5259 Avignon, 4 septembre 1333.

Priori et conventui Beatae Mariae de Carmelo Baionensibus ne dictum Gerardum defendant. (Reg. 117, fol. 102 v°, c. 498).

« *Dilectis filiis .. priori et conventui fratrum ordinis Beate Marie de Monte Carmeli Baionensibus.* Nuper displicibili et infesta relatione percepimus quod Geraldus Aymerici etc. ut supra usque sicut asseritur, ibidem in domo vestra ut ultionem effugiat justicie latitando. Quocirca discretionem vestram requirimus et hortamur attente, vobis

(1) Index : *Bayocensi.*

nichilominus districtius injungentes quatinus, si per dilectum filium .. officialem Baionensem cui per alias nostras certi tenoris litteras super hoc scribimus fueritis requisiti, dare opem et operam efficaces quod idem clericus, qui si commisit ea que premissa sunt ab Ecclesia nequaquam debet defendi, ad manus ejusdem .. officialis puniendus per ipsum vel alium ad quem pertinuerit prout exegerit equitatis ratio perveniat puniendus. Datum ut supra.»

JOHANNIS XXII LITTERARUM SECRETARUM

ANNUS DECIMUS OCTAVUS

5260 5 septembre 1333.

Regi Navarrae, de subsidio petito per eum ratione passagii transmarini. (Reg. 117, fol. 245 v°, c. 1250).

« *Philippo, regi Navarre.* Litteras regias nobis per dilectum filium Philippum de Meleduno, archidiaconum Remensem, presentatas benigne recepimus et que idem archidiaconus sub data per litteras easdem credencia super subsidio tibi, fili carissime, ratione passagii transmarini prestando, pro parte regia curavit prudenter exponere et in scriptis etiam tradere intelleximus diligenter. Sed quia circa negocium transmarinum predictum [quod] carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris nuncii prosequebantur, eramus multipliciter occupati, eo pendente non potuimus hiis que petebantur pro parte tua, sicut premittitur, nisi eo expedito primitus tunc vacare. Verum expeditis predicti regis nunciis sicut commodius fieri poterit super negocio antedicto, ad ea que, ut fertur, per eundem archidiaconum proposita et in scriptis data fuerant cum certis fratribus nostris intendere curavimus diligenter, super quibus matura deliberatione prehabita, eidem archidiacono de fratrum predictorum consilio duximus, sicut ipse tue celsitudini referre plenius poterit, respondendum. Et quia hec nequiverunt ex causis expressis superius citius expediri, super mora prolixa habeat nos et ipsum archidiaconum regalis magnificencia excusatos. Datum nonis septembris, anno decimo octavo. »

5261 Avignon, 7 septembre 1333.

Alberto Laudunensi, Johanni Belvacensi, Andreae Atrebatensi episcopis, ac Theobaldo electo Tornacensi quasdam declarationes de justo ac legitimo passagii impedimento faciendas committit. (Reg. 106, fol. 6, c. 16 ; Reg. Avin. 46, fol. 152 v°, c. XXX ; — Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 677, n. 3462 ; *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63871).

« *Venerabilibus fratribus Alberto Laudunensi et Johanni Belvacensi ac Andree Atrebatensi episcopis, et dilecto filio Thebaldo electo Tornacensi, salutem.* Occupationem gemebundam et — Datum Avinione, VII idus septembris, anno decimo octavo. »

5262 Avignon, 7 septembre 1333.

Petro Rothomagensi et Guillelmo Senonensi archiepiscopis ordinationem et dispensationem tam pecuniae collectae decimae quam pecuniae donatorum et legatorum in subsidium Terrae Sanctae passagii causa committit. (Reg. 106, fol. 7-8, c. 17 ; Reg. Avin. 46, fol. 154, c. XXX ; *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63872.

« *Petro Rothomagensi et Guillelmo Senonensi archiepiscopis, salutem.* Gerentes cordi specialiter — Datum Avinione, VII idus septembris, anno decimo octavo. »

5263 10 septembre 1333.

Carolo comiti Alenconii ut ad celeriter terminandum litem inter eum et Johannem Arverniae dalphinum in

curia Parisiensi pendentem velit amicabiliter concordare. (Reg. 117, fol. 189 v°, c. 945).

« *Carolo, comiti Alenconii.* Cum sicut accepimus inter te, fili, ex parte una et dilectum filium nobilem virum Johannem dalfinum Arvernie ex altera super certis bonis lis in curia Parisius pendeat et diu fuerit agitata, tue nobilitatis magnificentiam attentius deprecamur quatinus ut sublatis nocivis prolixitatibus causa examinetur hujusmodi et utrique sua celeriter reddatur justicia velit tua prudentia consentire, vel pocius quod dicta questio amicabiliter terminetur. Datum IIII idus septembris, anno decimo octavo. »

5264 Avignon, 11 septembre 1333.

Cancellario ecclesiae Parisiensis ut Arnaldum de Claromonte ordinis Minorum, ad magisterii theologicae facultatis honorem recipiat. (Reg. 117, fol. 164, c. 835).

« *Dilecto filio .. cancellario ecclesie Parisiensis.* Habet fidedigna relatio quod dilectus filius Arnaldus de Claromonte, ordinis fratrum Minorum, in sacre theologie facultate bacallarius, de quo Tutellensi ecclesie tunc vacanti de fratrum nostrorum consilio duximus providendum, adeo in facultate ipsa laudabiliter divina sibi gratia suffragante profecit quod ad recipiendum magisterii honorem in eadem facultate ydoneus reputatur. Nos igitur domum Domini viris insignitis virtutibus ac in opere potentibus et sermone, qui resistere valeant assendentibus ex adverso, ad divini nominis laudem et gloriam ipsius decorem domus cupientes Domino dirigente fulciri, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus dictum Arnaldum, si ad hujusmodi magisterii honorem ydoneum fore repereris, ad ejusdem magisterii statum, non obstante quod aliqui bacallarii in facultate predicta in ordine recipiendi magisterium hujusmodi precedunt precedunt (*sic*) eundem, studeas promovere. Nos enim bacallariis ipsis nullum per hoc volumus prejudicium generari, quin ipsi ad ejusdem magisterii honorem post promotionem hujusmodi ordine debito valeant promoveri. Datum Avinione, III idus septembris, pontificatus nostri anno decimo octavo. »

5265 Avignon, 12 septembre 1333.

Jacobo Balbiaci tabellionatus officium concedit. (Reg. 117, fol. 164, c. 836).

« *Dilecto filio Jacobo Balbiaci, clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto, Castrensis diocesis.* Ne contractuum memoria — Datum Avinione, II idus septembris, anno decimo octavo. »

5266 Avignon, 13 septembre 1333.

Guidoni Elnensi et Johanni Magalonensi episcopis ut contra nobilem virum Ademarum de Mosseto, de haeresi suspectum, simul cum inquisitore procedant. (Reg. 117, fol. 185, c. 919).

« *Venerabilibus fratribus Guidoni, Elnensi, et Johanni, Magalonensi episcopis.* Intelleximus nuper quod tu, frater Elnensis episcope, contra nobilem virum Ademarum de Mosseto tue diocesis super certis capitulis heresim et errores tangentibus, de quibus ipse suspectus dicebatur existere, volens procedere ut debebas, eundem nobilem tam vigore litterarum nostrarum inde tibi directarum quam jure potestatis ordinarie citari fecisti ut certo sibi prefixo termino coram te responsurus dictis capitulis compareret; sed ipse moliendo declinare absque justa et rationabili causa forum tuum, parere citationi hujusmodi non curavit. Nos igitur volentes quod super eodem negocio pure ac juste cessante suspitione qualibet procedatur, te frater episcope Magalonensis in eodem negocio tenore presentium duximus adjungendum. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus vocato dilecto filio .. inquisitore heretice pravitatis in eis partibus auctoritate apostolica deputato vel ejus vicesgerente ac una cum ipso, in loco seu locis de quibus vobis videbitur non suspectis (*sic*), etiam extra vestras vel alterius vestrum civitates et dioceses, super dicto negocio juxta statuta canonum et privilegia concessa officio inquisitionis pravitatis predicte solerter et fideliter procedere ac exhibere complementum justicie solum Deum habendo pre oculis studeatis. Datum Avinione, idibus septembris, anno decimo octavo. »

5267 13 septembre 1333.

Arnaldo de Claromonte ut gubernationem ecclesiae Tutellensis per mortem Arnaldi episcopi vacantis dispositionique apostolicae ea vice reservatae sibi commissam suscipiat. (Reg. 117, fol. 190, c.948).

« *Arnaldo de Claromonte, electo Tutellensi.* Pridem ecclesia Tutellensi per obitum bone memorie Arnaldi episcopi Tutellensis vacante, nos eidem ecclesie, cujus provisionem ea vice certis causis racionabilibus nobis duxeramus specialiter reservandam, volentes de pastore ydoneo providere et ad te, ordinem fratrum Minorum professum bacallarium in sacre theologie facultate, dirigentes intuitum mentis nostre, de persona tua nobis et fratribus nostris accepta eidem ecclesie duximus de fratrum predictorum consilio providendum, te illi preficientes in episcopum et pastorem ; quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus hujusmodi onus impositum tibi suscipiens reverenter, ad ejusdem ecclesie gubernationem providam cures dirigere studia mentis tue ita quod sub tuo fructuoso regimine assistente tibi divina gratia votiva incrementa in spiritualibus et temporalibus suscipiat, tuque proinde divinam et Apostolice Sedis gratiam uberius merearis. Datum idibus septembris, anno decimo octavo. »

5268 Avignon, 15 septembre 1333.

Petronillae, relictae Arnaldi Guillelmi de Vidilhaco indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117. fol. 185 v°, c. 920).

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Petronille, relicte quondam Arnaldi Guillelmi de Vidilhaco militis vidue, Agennensis diocesis.* Provenit ex tue — Datum Avinione, XVII kalendas octobris, anno decimo octavo. »

5269 Avignon, 15 septembre 1333.

Archiepiscopo Rothomagensi ut proponat verbum Crucis et signaculum Crucis imponat regi Franciae et aliis nobilibus ad passagium dispositis, si fuerit requisitus. (Reg. 117, fol. 164, c. 837).

« *Venerabili fratri Petro, archiepiscopo Rothomagensi* (1). Magni gaudii et ingentis exultationis materia nobis in Domino ministratur dum infra mentis secreta revolvimus et aliis publicamus quod ille Rex, in cujus manibus regum corda consistunt, carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris interne cor tetigit, et sic ad subveniendum personaliter innumeris necessitatibus Terre Sancte ipsius accendit affectum quod ultramarinum generale passagium ad supplicum suarum precum instantiam per nos de consilio fratrum nostrorum indictum in persona propria manuque forti et corde humili prosequendum assumpsit, et ejusdem passagii ac totius exercitus christiani qui transfretabit in illo capitaneatum generalem et rectoriam ad quod eum assumpsimus acceptavit, iter ejusdem passagii in certo per nos statuto termino cessante impedimento legitimo arrepturus ; nosque preterea pro eodem passagio plenius et celebrius peragendo ipsius regis precibus inclinati verbum Crucis ordinavimus universaliter predicari, et in regno Francie tibi et aliis venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis ejusdem regni per apostolica scripta commisimus et mandavimus quod in singulis vestris civitatibus et diocesibus per vos et alios viros ecclesiasticos quos ad hoc ydoneos fore noveritis proponatis hujusmodi verbum Crucis et venerabile signum ejus devote petentibus concedatis. Verum quia, sicut accepimus, prefatus rex et cum eo multi duces, comites, barones et nobiles pluresque alie diversarum conditionum persone intendunt breviter et intense desiderant pretextu dicti passagii Crucis caractere insigniri, nos, considerantes personam tuam gratam existere ipsi regi, et indubitanter sperantes quod sermonem tuum et ministerium idem rex et alii supradicti ad fructum devotionis et gratiam seu effectum exauditionis admittent, auctoritate tibi presentium committimus et mandamus quatinus quando et ubi per regem ipsum super hoc fueris requisitus, sibi et aliis supradictis verbum Crucis juxta datam tibi a Deo prudentiam ferventer proponas et eorum humeris ipsius Crucis signaculum imponas, nichilominus quoque per totum regnum predictum generaliter tibi committimus predicande concedendeque Crucis officium per temetipsum dumtaxat extra tuam diocesim exequendum. Sane gratias et indulgentias

(1) Index : *episcopo Parisiensi.*

crucem sumentibus, transfretantibus et aliter subvenientibus necessitatibus dicte Terre in pretacte commissionis litteris poteris intueri, cujus quidem commissionis formam circa hujusmodi tibi commissum officium te per omnia volumus observare. Porro dicte commissioni per istam aut isti per illam non intendimus aliquatenus derogare. Datum Avinione, XVII kalendas octobris, anno decimo octavo. »

5270 15 septembre 1333.

Regi Franciae persuadet quod non sit aliqua simulatio in se et suis nec oporteat etiam omnes praelatos Franciae signum Crucis assumere, nec expediat in aliquo simulare. (Reg. 117, fol. 187, c. 927).

« *Philippo, regi Francie.* Si vis, fili carissime, veritati placere in verbis et factis, oportet te, repulsa simulatione presertim in negociis Domini, veritatem servare. Christus enim veritas est sicut Ipse testatur; Terre quoque Sancte negocium noscitur esse suum, unde in ipso simulationem decet prorsus et expedit exulare, nec obviat si dicatur quod, si Crux a prelatis simulate sumatur ita quod per Crucis sumptionem hujusmodi non ligentur, multi Crucem assument alias non sumpturi, quia, et si hoc esset verum, cum non sint facienda mala ut bona veniant, non est malum simulationis hujusmodi propterea committendum. Ideoque circumspectionem regiam in Domino exhortamur, eidem nichilominus sano consilio suadentes ut precipue in ipso sancto negocio omnem simulationem in te et alios studeas evitare. Veremur quidem quod per talia tuo Redemptori displiceres nimium nec transires impune sicut forsan aliquis ex tuis predecessoribus simulationem in Terre Sancte commissam negocio ut a multis creditur impune nequaquam transivit. Non ergo expedit omnes prelatos regni tui simulate crucem assumere certe, nec etiam cum animo transfretandi; ex hoc enim dispendia gravia quodad regnum et Ecclesiam possent sequi. Quare habeat nos tua prudentia si hoc non concedimus excusatos. Gratia Domini Nostri cor tuum juxta suum beneplacitum dirigat et protegat ab adversis. Amen. Datum XVII kalendas octobris, anno decimo octavo. »

5271 15 septembre 1333.

Regi Franciae quod translatio episcopi Leodiensis ad Maguntinam ecclesiam in praesentiarum fieri non potest. (Reg. 117, fol. 187 v°, c. 928; — Fayen, *Lettres de Jean XXII*, t. II, p. 678, n. 3466).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Noverit circumspectio regia quod ista Sedes in translatione prelatorum duo precipue consuevit servare, videlicet quod status transferendi minui quoad gradum honoris non debeat, et ex translatione hujusmodi ecclesiarum, scilicet a qua et ad quam fit translatio, melior [efficiatur] conditio. Profecto, fili carissime, in translatione pro qua hiis diebus serenitas regia supplicavit, videlicet quod venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Leodiensem transferremus ad ecclesiam Maguntinam ista concurrere non videmus. De Maguntina quidem qui est archiepiscopus fieret episcopus, sicque status ejus minueretur quoad gradum honoris; nec speramus ex hoc statum Leodiensis ecclesie fieri meliorem, immo formidamus admodum quod non leviter lederetur ille qui illi in presentiarum presidet, cum tota sua et amicorum potentia, que noscitur esse magna, multa in ejus regimine habuit facere, et per multos annos propter potentiam populi a civitate habuit exulare. Tandem tamen, post multos conflictus periculosos habitos inter ipsum et prefatum populum, pax fuit per Dei gratiam reformata, quam speramus servari suo tempore; sed an ejus successori servetur, nisi assit potentia, formidamus. Ideoque nos excusatos super translatione postulata habeat regia celsitudo. Ad hanc enim, nisi de utriusque prelati beneplacito, non decet nos procedere, et nisi nobis constaret quod capitula ecclesiarum ad quas translatio fieret, consentirent. Gratia Domini Nostri etc. ut supra. Datum ut supra [XVII kalendas octobris, anno decimo octavo]. »

5272 15 septembre 1333.

Reginae Franciae de ejus discrasia scribit et de quibusdam sermonibus libellisque erroneis. (Reg. 117, fol. 187 v°, c. 929; — Denifle et Chatelain, *Chartularium*, t. II, p. 245, n. 976; Vidal, *Bullaire de l'Inquisition*, p. 198, n. 133).

« *Regine Francie.* Quod te, filia carissima, diebus aliquibus febrilis discrasia gravaverat quodque ab ea fueras liberata simul ad nostrum pervenit auditum. Sane de convalescentia Ei a quo omnis procedit sanitas gratias studuimus exolvere non indigne. Profecto, benedictionis filia, et tu discrasias tales tanquam debes letanter recipere nuncios summi regis, nec ipsos remittere vacuos, nec sine honore, quod utique facies si disciplinam Domini non abiciens agensque inter verbera gratias, patrem verberantem intellexeris qui filium illum quem diligit percutit ad salutem. Rursus in quot errores predicator ille qui captus fuit Avinione ab inquisitoribus pravitatis heretice in suo sermone inciderit, et in quot.. episcopus Meldensis in libello quem scripsit, et per quot magistros in theologia articuli extracti de sermone et libello predictis erronei fuerint judicati, venerabilis frater noster P., Rothomagensis archiepiscopus, si audire libuerit, magnificentie regie explicabit, cui in hiis que ex parte nostra circa premissa retulerit placeat fidem indubiam adhibere. Ad hoc regiam rogamus excellentiam toto cordis affectu ut, quantum Deo sit gratum, quantumque expediat ecclesiis precipue majoribus, quantumque nos deceat quod in eis, presertim in dignitatibus, instituantur litterate persone, cum instare voluerit pro talibus, dignetur instare, quia hoc erit utique Deo gratum et contrarium esset sibi displicibile et ingratum. Gratia Domini Nostri Jhesu Christi te ad salutaria dirigat et protegat ab adversis. Amen. Datum ut supra [XVII kalendas octobris, anno decimo octavo]. »

5273 15 septembre 1333.

Regi Franciae Geraldum Othonis et Arnaldum de Sancto Michaele, nuncios ad partes Angliae destinatos, commendat eumque hortatur ut, ratione passagii transmarini, exequatur quod expediens videatur. (Reg. 117, fol. 187 v°, c. 930).

« *Regi Francie.* Fili carissime, considerantes attente dispendia gravia que dissensio inter carissimos in Christo filios E. Anglie et David Scotie reges illustres suborta intulit, et que comminatur inferre, necnon et impedimenta que ex ea si procedat possent quod absit transmarino passagio provenire, ecce quod pro reformanda pace inter reges ipsos dilectos filios Geraldum Odonis, ordinis fratrum Minorum generalem ministrum, et Arnaldum de Sancto Michaele, ordinis fratrum Predicatorum, sacre theologie magistrum et penitentiarium nostrum, ad partes Anglie destinamus. Et quia si regalis providentia specialiter ratione passagii transmarini interponeret partes suas multum conveniens et expediens videretur, et advertat magnitudo regia quid sibi videatur expediens et illud quod sibi placuerit exequatur. Nuncios autem predictos regie benivolentie commendamus. Datum XVII kalendas octobris, anno decimo octavo. »

5274 15 septembre 1333.

Regi Franciae, ut Petro, Rothomagensi archiepiscopo qui errores Meldensis episcopi explicabit, fidem adhibeat. (Reg. 117, fol. 188, c. 931 ; — Vidal, *Bullaire de l'Inquisition*, p. 199, n. 134).

« *Eidem regi* [*Francie*]. In quot errores in suo sermone heretice pravitatis quotque etiam .. Meldensis episcopus dogmatizaverit in quodam libello quem hiis diebus preteritis ordinasse dicitur et a quot magistris sint errores predicti dampnati, venerabilis frater noster P. Rothomagensis archiepiscopus circumspectioni regie si audire libuerit latius explicabit, cui placeat excellentie regie fidem indubiam adhibere. Datum ut supra [XVII kalendas octobris, anno decimo octavo]. »

5275 15 septembre 1333

Regi Franciae de gratiis factis Arnaldo de Trian et Petro de Via, nepotibus suis, gratias refert. (Reg. 117, fol. 188, c. 932).

« *Eidem regi* [*Francie*]. De gratiis factis dilectis filiis nobilibus viris Arnaldo de Trian, vicecomiti Talardi, Romane curie marescallo, et Petro de Via, domino Villemuri, nepotibus nostris, gratias referimus, et alias nos meminimus retulisse. Sane, quia in dictis nostris aliis litteris quedam verba erant inserta que, ut intelleximus, regie prudentie fuerunt ingrata, placeat super hoc celsitudini regie venerabilem fratrem nostrum P. Rothoma-

gensem archiepiscopum, cui transcriptum dicte littere tradidimus, audire benigne. Credimus enim quod, ipsa exposita fideliter, nichil in ea reperire poterit quod regie prudentie debeat displicere. Datum ut supra [XVII kalendas octobris, anno decimo octavo]. »

5276 15 septembre 1333.

Regi Franciae, de facto Turcorum. (Reg. 117, fol. 188, c. 933).

« *Eidem* [*regi Francie*]. De facto Turcorum magnitudini regie alias meminimus nos scripsisse, quod factum utique pre aliis que se ad presens nostre memorie offerunt, plus videtur in bonum vel malum tangere negocium transmarinum. In bonum siquidem si eorum occurratur concepte malicie et superbia reprimatur. In malum si sine remedio dimittatur. Commoda que possent pro passagio subsequi nunciis exposuimus regiis, ac dilecto filio inclito principi Ludovico, Borbonesii duci; quos velit audire benigne benivolencia, quesumus, regia, et pensatis commodis que possunt ex provisione subsequi ac dispendiis gravibus que negocio predicto possint afferre neglecta, providere, prout viderit expedire. De facto autem illorum regnorum ipsis respondimus quod nobis visum fuit expediens prout ipsi celsitudini regie poterunt explicare. Mora autem multum illi negotio affuit, ex qua conditio negotii durior nimium facta fuit. Datum ut supra [XVII kalendas octobris, anno decimo octavo]. »

5277 15 septembre 1333.

Regi Francie negocia Arnaldi vicecomitis Caramanni et Petri de Via commendat. (Reg. 117, fol. 188, c. 934).

« *Eidem* [*regi Francie*]. Negocia dilectorum filiorum nobilium virorum Arnaldi vicecomitis Caramanni et Petri de Via domini Villemuri nepotum nostrorum, que venerabilis frater noster P. Rothomagensis archiepiscopus regie celsitudini explicabit si audire libuerit, excellentie regie affectu quo possumus commendamus. Datum ut supra. »

5278 15 septembre 1333.

Regi Franciae exponit quod Petrus, tituli Sancti Stephani in Coelio monte cardinalis, minime reprehensibilis erga eum videtur. (Reg. 117, fol. 188, c. 935).

« *Eidem* [*regi Francie*]. Quia, sicut intelleximus, contra venerabilem fratrem nostrum P., tituli Sancti Stephani in Celio monte presbiterum cardinalem, excellentie regie scriptum fuerat vel dictum quod in quadam nota, quam super certis articulis inter nos et nuncios regios concordatis (1) de nostro mandato ordinaverat, quoad partem regiam in ordinando illam se habuerat minus bene, optamus circumspectionem regiam pro veritate tenere quod in ea ordinanda talem diligentiam adhibere curavit quod nichil ponderis in ea corrigendum secundum concordata predicta repertum extitit, licet nos ex gratia aliqua ad nuntiorum regiorum instantiam immutanda duxerimus seu addenda, quodque in illa et aliis que tuam, fili carissime, in aliquo tangunt excellentiam continuo diligentiam oportunam exhibet et interdum etiam inportunam. Datum ut supra [XVII kalendas octobris, anno decimo octavo]. »

5279 15 septembre 1333.

Regi Franciae, de facto soldani. (Reg. 117, fol. 188, c. 930).

« *Eidem* [*regi Francie*]. Super facto soldani venerabili fratri nostro P., Rothomagensi archiepiscopo, imposuimus aliqua serenitati regie exponenda, quem benigne, quesumus, audiat, quidque sibi super illis exponendis per ipsum celsitudini regie videbitur expediens nobis scribat. Datum ut supra [XVII kalendas octobris, anno decimo octavo]. »

5280 15 septembre 1333.

Regi Franciae, de vocatione praelatorum regni Parisiis occasione reliquiarum festi. (Reg. 117, fol. 188 v°, c. 937).

(1) Reg. : *concordatis quam de.*

« *Eidem* [*regi Francie*]. Mandatum regium super vocatione prelatorum regni Francie, ut in festo reliquiarum debeant Parisiis interesse, ad venerabiles fratres nostros .. Caturcensem, .. Agatensem, .. Lodovensem, .. Rivensem, .. Redonensem episcopos, moram trahentes in curia, tarde multum pervenit, sic quod ad dictam diem non possent sine eorum magno incommodo Parisiis interesse. Dilectus autem filius .. abbas Sancti Saturnini Tholose nullum adhuc mandatum super hoc receperat regium, qui, si illud reciperet, illuc commode pervenire nequiret. Quare benivolenciam regiam rogamus attente ut ipsos, presertim cum multorum ex ipsis egeamus presentia, habeat excusatos. Datum ut supra [XVII kalendas octobris, anno decimo octavo]. »

5281 15 septembre 1333.

Reginae Franciae de negocio transmarino. (Reg. 117, fol. 188 v°, c. 938).

« *Regine* [*Francie*]. Quid super negocio transmarino factum hiis diebus in Romana curia fuerit ad regiam noticiam credimus pervenisse, nosque illa carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francie illustri, per nostras litteras seriosius explicamus, quarum tenor de toto negocio circumspectionem regiam poterit reddere certiorem, quem propter prolixitatem nimiam omisimus serenitati regie intimare. Gratia Domini Nostri Jhesu Christi sit tecum que in ejus te beneplacito dirigat et protegat ab adversis. Datum ut supra [XVII kalendas octobris, anno decimo octavo]. »

5282 15 septembre 1333.

Episcopo Morinensi mandat ut quasdam litteras regi Franciae praesentare faciat. (Reg. 117, fol. 188 v°, c. 939 ; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 679, n. 3467).

« .. *episcopo Morinensi*. Cum carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francie illustri, certas litteras destinemus, tuam prudentiam exhortamur ut ad ipsius regis earum exhibitor introducatur presentiam ac ut presentate eidem littere per bonum sibi exponantur interpretem impendas operam oportunam. Datum ut supra [XVII kalendas octobris, anno decimo octavo].

In e. m. Philippo de Meduno (1), archidiacono Remensi.

In e. m. Remigio de Sancta Margareta, canonico Parisiensi.

In e. m. Galtero de Divione, confessori regine Francie. »

5283 15 septembre 1333.

Regi Franciae negocia Arnaldi, vicecomitis Caramanni et Petri de Via, nepotum ipsius, commendat. (Reg. 117, fol. 188 v°, c. 940).

« *Eidem* (2). Negocia dilectorum filiorum nobilium virorum Arnaldi vicecomitis Caramanni et Petri de Via domini Villemuri, nepotum nostrorum, que serenitati regie venerabilis frater noster P., Rothomagensis archiepiscopus, lacius si audire libuerit explicabit, benivolencie regie affectione qua possumus commendamus. Datum ut supra. »

5284 15 septembre 1333.

Regi Franciae nuntiat se legatum ad Franciae regnum mittere ad praesens non posse. (Reg. 117, fol. 188. v°, c. 941).

« *Regi Francie*. Novit excellentia regia quod a presidentibus est cavendum ne subditis imponant varia onera nisi necessitas vel multum evidens utilitas hoc exposcat, nec ignorat quod ratione transmarini passagii varia onera ecclesiis imposita sunt et indicta. Ideoque, quantum in bono possumus, debemus a variis imponendis ipsis oneribus abstinere. Hoc considerantes attente, visum est nobis quod abstinere ab onere legati imponendo regni tui ecclesiis debeamus, ideoque habeat nos providentia regia excusatos, loco enim et tempore oportunis parati erimus concedente Domino legatum pro passagio ordinare. Datum ut supra. »

(1) *Sic*. Corr : *Meleduno* ?
(2) *Sic*. Corriger : *Eidem regi*. Cf. n. 5277.

5285 15 septembre 1333.

Regi Franciae scribit se ad officium praedicationis Crucis et concessionis ejusdem P. archiepiscopum Rothomagensem deputandum aestimasse. (Reg. 117, fol. 188 v°, c. 942).

« *Eidem* [*regi Francie*]. Ex causis certis nobis visum est expedire ad officium predicationis Crucis et concessionis ejusdem venerabilem fratrem nostrum P., Rothomagensem archiepiscopum, pocius quam aliquem deputare. Ideoque si alium non deputaverimus habeat nos excusatos circumspectio regia ipsumque propensius commendatum. Datum ut supra [XVII kalendas octobris, anno decimo octavo]. »

5286 15 septembre 1333.

Nicolao Boneti qui de quadam collatione nepoti suo facienda scripserat, respondet. (Reg. 117, fol. 188 v°, c. 943).

« *Nicolao Boneti, ordinis fratrum Minorum.* Scripta que misisti vidimus responsionesque omissas alias recepimus ; sicut lator presentium explicabit, nomen nepotis tui omisisti scribere et ideo pro ipso non potuit aliquid ordinari. Mitte nomen et ad cujus (?) provideri sibi collationem intendis ; solicitudinem tuam nobis acceptam multipliciter in Domino commendamus. Datum ut supra [XVII kalendas octobris, anno decimo octavo]. »

5287 Avignon, 17 septembre 1333.

Nicolao, abbati monasterii Crassensis, quod munus benedictionis a quo mavult antistite recipere possit. (Reg. 117, fol. 164 v°, c. 838 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 61426).

« *Dilecto filio Nicolao, abbati monasterii Crassensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Carcassonensis diocesis.* Cum pridem monasterio — Datum Avinione, XV kalendas octobris, anno decimo octavo. »

5288 17 septembre 1333.

Regi Franciae ut Baldum Spinulae, Leonis regis Armeniae nuntium, qui ad eum licet litteras domini sui non deferat proficisci voluit, benigne recipiat. (Reg. 117, fol. 190, c. 947).

« *Regi Francie.* Ad regalem noticiam deducimus per presentes quod dilectus filius nobilis vir Baldus Spinule per carissimum in Christo filium nostrum Leonem, regem Armenie illustrem, nuncius destinatus nobis tam verbo quam scripto prudenter exposuit pericula varia quibus in presentiarum subjacet propter crudelitatem infidelium, in quorum quasi medio situm noscitur dictum regnum. Et quia sicut vir fidelis qui novit quod tota spes domini sui in tuo et Ecclesie consilio ac subsidio toto consistit, licet litteras domini sui ad excellentiam non deferat regiam, ut eadem excellentie exponeret regie ad tuam presenciam non vitatis laboribus voluit proficisci ; nos attendentes quia vox viva forcius ac plenius quam mortua imprimere consuevit, serenitatem rogamus regiam ut ipsum nuncium benigne audiat et intelligat, sibique responsum congruum prebeat prout viderit expedire. Cum eo siquidem, cum sit vir prudens et sapiens quique diu in illis est partibus conversatus, de statu illius regni ac illarum partium poterit plenius informari. Datum ut supra [XV kalendas octobris, anno decimo octavo]. »

5289 17 septembre 1333.

Reginae Franciae commendat nuntios ad partes Angliae missos. (Reg. 117, fol. 189 v°, c. 946).

« *Regine Francie.* Filia carissima, considerantes attente quod dispendia gravia que dissentio inter carissimos in Christo filios nostros E. Anglie et David Scotie reges illustres suborta intulit et que comminatur inferre, necnon et impedimenta que ex ea si procedat possent quod absit transmarino passagio provenire, ecce quod nos dilectos filios Geraldum Othonis, generalem ministrum Minorum, et Arnaldum de Sancto Michaele, penitentiarium nostrum, Predicatorum ordinum fratres, sacre pagine professores, Apostolice Sedis nuncios ad partes Anglie, prout carissimo in Christo filio nostro Philippo regi Francie illustri viro tuo scribimus,

destinamus. Et quia si reginalis providentia specialiter ratione passagii transmarini mittendo cum ipsis nunciis ad partes ipsas aliquem vel aliquos et alios prout expedire cognosceret, partes suas curaret interponere, pium et expediens videretur, prefatos autem nuncios tue sublimitatis benivolentie commendamus. Datum XV kalendas octobris, anno decimo octavo. »

5290 Avignon, 20 septembre 1333.

Nicolaum, abbatem monasterii Sancti Medardi Suessionensis qui diversis criminibus irretitus ad curiam apostolicam citatus erat, ab eadem citatione, intuitu Philippi regis Franciae, liberat. (Reg. 117, fol. 164 v°, c. 839 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 61451).

« *Dilecto filio Nicolao, abbati monasterii Sancti Medardi Suessionensis, ordinis sancti Benedicti.* Dudum ad audientiam nostri apostolatus fidedigna relatione perducto quod tu diversis eras irretitus criminibus tunc expressis, et quod aliquos similiter tunc expressos paciebaris defectus, nos ex hiis certisque causis aliis rationabilibus excitati, quibusdam discretis dedimus inter cetera per nostras litteras in mandatis ut ex parte nostra te peremptorie citare curarent quod infra certi temporis spacium conspectui apostolico te personaliter presentares, pro meritis recepturus ac nostris et apostolicis beneplacitis et mandatis humiliter pariturus ; tuque ad hujusmodi spacium jamdiu elapsum citatus fuisti auctoritate hujusmodi litterarum. Interim autem nos certis causis rationabilibus terminum citationis hujusmodi usque ad certos alios terminos diversis vicibus duximus per nostras litteras, sicut in eisdem continetur plenius, prorogandum. Demum vero adhuc earumdem prorogationum ultimo termino non elapso nos carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie supplicationibus inclinati citationem predictam tenore presentium relaxantes te dumtaxat ab ipsa liberamus de gratia speciali. Nulli ergo etc... Datum Avinione, XII kalendas octobris, anno decimo octavo. »

5291 21 septembre 1333.

Regi Franciae, de tractatu habendo inter regem et Viennensem archiepiscopum ratione villae Sanctae Columbae. (Reg. 117, fol. 188 v°, c. 944).

« *Regi Francie.* Innotuere nobis regie littere nobis per dilectum filium nobilem virum Hugonem Quereti, militem et consiliarium tuum, oblate quod pro bono et securitate patrie et transeuntium par eandem, ac pro vitandis et impediendis multis maleficiis que comitti (1) consueverant in partibus ville Sancte Columbe, ex opposito civitatis Viennensis site, inter venerabilem fratrem nostrum .. archiepiscopum Viennensem ex parte una gentesque tuas ex altera certi habiti sunt tractatus qui ad magnam utilitatem cedebant Viennensis ecclesie patrieque securitatem predicte, necnon ad regni tui honorem, sicut nobis prefatus miles plenius explicavit cui (*sic*) eumque secundum supplicationes quas nobis ex parte tua super hiis faceret, exaudiri excellentia regia per easdem litteras supplicavit. Qui quidem miles in nostra et fratrum nostrorum quorundam cardinalium presentia constitutus, tractatum ipsum verbo nobis exposuit et in scriptis nichilominus presentavit, nobis ex parte regia supplicando quatinus prefato archiepiscopo consentiendi dicto tractatui ac ipsum et contenta in ipso perficiendi et confirmandi impertiri licentiam dignaremur. Pro parte quoque prefati archiepiscopi per procuratorem suum ad hoc legitime constitutum fuerunt nobis eadem postulata. Nos autem contentis in scriptura predicta per prefatum militem nobis oblata perlectis, volentes abreviare negocium, plures ex fratribus nostris inter ceteros honoris et status regii zelatores duximus evocandos, cum quibus collationibus pluribus, premissis quasi negociis omnibus aliis super predictis, pluribus diebus habitis ac deliberatione cum eisdem prehabita diligenti, tum quia de contentis in scriptura predicta nec de eorum circumstantiis, nec nos nec ipsi certitudinem habeamus, tum propter considerationes et circumstantias varias quarum alique partem unam, alie vero contrariam suadebant, concors non fuit deliberatio, sed potius divisa in plures. Videntes itaque quod sic deliberationes hujusmodi ad expeditionem prefati negocii procedere nequibamus, cum eisdem deliberavimus quid pro expeditione dicti negocii facere potuerimus. Quorum concors pro majori parte fuit deliberatio quod istud negotium ad consistorium reducere deberemus, quia interdum revelatur pluribus quod clauditur paucis, hoc autem intelligebant, si hoc gratum crederemus regie majestati ;

(1) Reg. : *comiti.*

vel quod cum nobis de contentis in scriptura predicta veritas non pateret, deberemus committere aliquibus personis non suspectis, ut de predictis et ea tangentibus deberent se in dictis partibus informare, nobisque quid reperissent scripto vel verbo referre. Nos autem milite predicto in nostra fratrumque predictorum presentia evocato, eidem exposuimus quomodo super contentis in scriptura oblata per ipsum non poteramus habere deliberationem concordem, eidem offerentes quod parati eramus negocium hujusmodi ad consistorium revocare, si hoc crederet circumspectioni regie gratum esse, vel committere informationem personis non suspectis super contentis et ea tangentibus in scriptura predicta. Qua completa, nobis verbo vel scripto quid invenerant referre deberent, ut super ipsis deliberatione cum fratribus nostris prehabita, quod ad Dei gloriam honoremque regium ac ecclesie Viennensis utilitatem et patrie cederet, super supplicatis predictis pro parte regia et archiepiscopi ordinare possemus. Miles autem predictus, velut vir cautus, providus et discretus, respondit quod super hoc deliberare volebat. In crastinum vero, in nostra et fratrum predictorum presentia constitutus respondit quod ipse super hiis nullum mandatum habebat, sed tantummodo ad reportandum excellentie regie id quod per nos super predictis existeret ordinatum, nec sciebat utrum aliqua duarum viarum per nos ei propositarum existeret circumspectioni regie accepta seu grata. Quo audito, fuit dictorum fratrum deliberatio quod nec nos sine consciencia et beneplacito regio procederemus ad exequendum viam aliquam premissarum. Quare reddat nos, si placuerit, prudentia regia de suo super predictis beneplacito certiores, prout viderit expedire. Sane regalem providentiam volumus non latere quod nobis fratribusque nostris predictis eq[u]um videtur et justum quod excellentia regia ab illis articulis in quibus agitur quod archiepiscopus, in te parte predicte ville de Sancta Columba translata, partem alteram quam retinere debet a te in feudum recipiat seu illam a te se tenere cognoscat, vel propter hoc tibi fidelitatis prestare juramentum debeat, prorsus debeat abstinere. Quod enim de re libera partem in te transferret, aliamque partem immo se successoresque suos pro ea feudali seu fidelitatis subiciat servituti, equitati et rationi consentaneum non videtur, presertim cum hoc sit sub penis gravibus a canonibus interdictum ne[c] nostre nec alicujus ex fratribus nostris predictis occurrebat memorie simile factum fore. Item nobis et eisdem fratribus videtur quod necessarium sit ecclesie Viennensi quod, cum probabiliter presumatur quod, si procedat tractatus predictus, multos archiepiscopo successoribusque suis dictequeViennensi ecclesie tractatus ipse inimicos et inimicicias suscitabit, propter quos nec in civitate Viennensi nec in sua provincia in parte quam obtinet extra regnum tute residere poterit, nec justiciam libere exercere, cum et in presenti, licet tractatus perfectus non fuerit, occasione ipsius gentibus ecclesie Viennensis injurie, tam in rebus quam in personis, sicut procuratori quem habet in curia idem nunciavit archiepiscopus per suas litteras, sint illate, idem archiepiscopus ejusque successores possint habere in villa Sancte Columbe predicta, velut in loco securo et tuto, domum propriam pro se et suis ad morandum ibidem suamque ac officialis sui inibi tenere curiam, si sibi visum fuerit expedire, quod utique honori regio suorumque indempnitati subditorum, necnon et ad plenius et facilius populandam et multiplicandam villam Sancte Columbe predictam pertinere videtur : eodem siquidem archiepiscopo per se vel officialem suam curiam in dicta civitate tenente, illi de regno Francie, pro hiis que in curia archiepiscopi vel officialis predicta habebunt pro tempore expedire, non oportebit regnum exire, quod forsitan si oporteret eos facere a periculo persone vel bonorum non essent immunes. Hoc proculdubio multum suadet quod in dicto tractatu pro parte regia retinetur expresse quod balivus Matisconensis regius in dicta villa de Sancta Columba causas aliunde quam de dicta villa seu ejus territorio audire et etiam terminare valeat quotiens ei videbitur expedire. Pari igitur ratione videtur quod hoc ipsum liceat archiepiscopo et ejus officiali predicto. Adhuc videtur nobis nostrisque fratribus supradictis quod in dicto tractatu sunt quedam alia que etiam circa omnem informationem super predictis habendam, declaratione egent, et forsan sunt addenda nonnulla que pro nunc explicare non curavimus, quia non magni sunt ponderis et credimus quod benivolentia regia si tractatus processerit, hec admittet. Datum XI kalendas octobris, anno decimo octavo. »

5292 Avignon, 22 septembre 1333.

Prioribus Hospitalis in Francia constitutis, mandat ut regi Franciae pro Terrae Sanctae succursu in subsidiis et armatis subveniant. (Reg. 117, fol. 164 v°, c. 840).

« *Dilectis filiis universis prioribus domorum Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani in regno Francie constitutis.* Circa negotium et statum lugubrem miserabilis Terre Sancte occurrentia eo plenius circumspectio vestra novit quo evidentius vos in illis scientia sicut credimus experimentalis instruxit, nec etiam ignoratis quomodo Ille cujus res geritur et causa tractatur ad predictam Terram Sanctam eripiendam de manibus inimicorum fidei et persecutorum nominis christiani sibi ministrum pro sua voluntate delegit, carissimum videlicet in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem, qui Ejus sicut pie credi debet spiritu inspiratus pro dicte Terre Sancte subsidio instanter institit et obtinuit per nos indici passagium generale, ac imperterrito constanti et forti animo serviendi personaliter illi Terre onus devotione ferventi assumens, capitaneatum et rectoriam prefati passagii generalis per nos ad ejus etiam instantiam sibi commissum per suos procuratores et nuncios ad hoc missos accensus zelo fidei gratanter assumpsit; quod, etsi ad totius christianitatis et specialiter regni Francie laudem et gloriam cedere dinoscitur, potissime tamen cedit ad bonum statum, exaltationem et commodum milicie Hospitalis ordinis Sancti Johannis Jerosolimitani cujus estis precipui professores, cum idem ordo et a Jerosolimis exordium et nomen assumpserit et pro defensione fidei contra infideles illarum partium sit fundatus. Igitur attendite, dilecti filii, attentis auribus et devotis mentibus quid vos deceat in hac parte; tangat veritatis Spiritus corda vestra et ea sui luminis illuminans claritate patenter ostendat quid dictet ratio, quid debitum exigat et ad quid vos maxime consideratio singularis vestre professionis invitet, ut hiis in discussionis debite introductis examine in promptum et plenum adjutorium quatenus patientur ipsius ordinis facultates vos et ceteri professores ejusdem ordinis fortiter et viriliter concurratis, exurgentes promptius in auxilium cause Christi, communicantes sibi que recepistis ab Ipso et tenetis et defenditis per eundem, ad quod vos considerationis specialitas non solum ut prefertur invitat sed evidenti potius ratione compellit. Si enim debita meditatione revolvitis professionem et condicionem ejusdem ordinis, et quomodo omnes facultates ipsius sunt debite et ordinate specialiter et peculiariter in hunc usum, reperietis evidenter ad hoc pre ceteris vos teneri. Vos igitur et vestrum singulos rogamus, exhortamur et obsecramus in Domino Jesu Christo quatinus premissis et aliis que patenter suggerunt hujus negocii circumstantie manifeste diligenti examinatione pensatis per eundem regem Francie, qui etiam vobis ut credimus est super hiis locuturus, ad subveniendum eidem Terre Sancte de tali et tanto numero armatorum et de subsidiis aliis in quantum possibile quomodolibet vobis erit vos affectu ardenti et effectu evidenti taliter offeratis quod oblatio ipsa suppletione vel adjectione non egeat nec coactionem exigat per quam meritum liberalitatis amittat, sed se potius meritoriam apud Deum et a nobis prosequendam gratiis et favoribus cunctisque audientibus exhibeat commendandam, scituri quod si secus, quod absit, vos agere contingeret, dissimulare non possemus quin sicut ex debito apostolatus officii nobis incumbit super hoc provideremus prout est ad honorem Dei et utilitatem dicti negocii et debitam decenciam ejusdem ordinis faciendum. Datum Avinione, X kalendas octobris, anno decimo octavo. »

5293 Avignon, 25 septembre 1333.

Guillelmo, prius abbati monasterii Crassensis, Carcassonensis diocesis, electo Electensi, ut fructus et redditus ejusdem monasterii a tempore dictae assumptionis perceptos, pro oneribus supportatis retinere possit. (Reg. 117, fol. 165, c. 841; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 61539).

« *Dilecto filio Guillemo, electo Electensi.* Clara tue devotionis — Datum Avinione, VII kalendas octobris, anno decimo octavo.

Judicibus. Quocirca mandamus quatinus — Datum ut supra in proxima nota. »

5294 Avignon, 28 septembre 1333.

Guillelmo de Soyris, subdiacono, ecclesiae de Bolhaco rectori, quod ad superiores ordines usque ad unum annum se facere promoveri non teneatur. (Reg. 117, fol. 165 v°, c. 842).

« *Dilecto filio Guillelmo de Soyris, ecclesie parrochialis de Bolhaco, Ruthenensis diocesis, rectori, familiari nostro.* Exposcunt grata tue — Datum Avinione, IIII kalendas octobris, anno decimo octavo. »

5295 28 septembre 1333.

Bermundo de Mari ut Petrum de Montegrosso, ordinis fratrum Praedicatorum, quem captivum detinet, sub fida custodia mandet. (Reg. 117, fol. 190, c. 949).

« *Nobili viro Bermundo de Mari, vicario et castellano de Aquismortuis et Lunello.* Operosam quam adhibere curasti diligentiam super hiis que nobis per tuas litteras intimasti plurimum in Domino commendantes, nobilitatem tuam requirimus et in Domino attencius exhortamur quatinus illum Petrum de Montegrosso, ordinis fratrum Predicatorum, quem tuis detines carceribus mancipatum, nobis quamtotius studeas sub fida custodia destinare. Datum IIII kalendas octobris, anno decimo octavo. »

5296 7 octobre 1333.

Reservationem fructuum et redditum unius anni omnium beneficiorum ecclesiasticorum in diocesi Metensi vacantium aut vacaturorum usque ad unum annum prorogat, personasque religiosas dictae diocesis rogat ut praedictos fructus et redditus libere levari permittant. (Reg. 117, fol. 216, c. 1093; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 554, n. 1627; — Sauerland, *Vatikanische Urkunden*, p. 312, n. 694).

« *Venerabili fratri episcopo Metensi et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatis et rectoribus, capitulis quoque collegiis et conventibus Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Grandimontensis, Cartusiensis, Vallisumbrose, Camaldulensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum ceterisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, necnon Sancti Johannis Jerosolimitani, beate Marie Theutonicorum et Calatravensis ac Humiliatorum magistris, prioribus et preceptoribus eorumque locatenentibus per civitatem et diocesim Metenses constitutis.* Multiplicium necessitates onerum — Datum nonis octobris, anno decimo octavo. »

5297 7 octobre 1333.

Petro Guigonis de Castronovo et Raymundo de Valeaurea ut praedictos fructus et redditus exigant et recipiant. (Reg. 117, fol. 216 v°, c. 1094; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 554, n. 1627; Sauerland, *Vat. Urkunden*, p. 313, n. 695).

« *Petro Guignonis de Castronovo, archidiacono de Vico, Metensis, et Raymundo de Valleaurea canonico Lingonensis ecclesiarum, Apostolice Sedis nunciis.* Multiplicium etc. — Datum ut supra.

Item similes due littere pro fructibus in civitate et diocesi Tullensibus.

Item similes due in civitate et diocesi Virdunensibus.

Item similes due in civitate et diocesi Bisuntinis.

Item similes due in civitate et diocesi Bellicensibus. »

5298 7 octobre 1333.

Regi Majoricarum de negocio inquisitionis contra Ademarum de Mosseto incepto. (Reg. 117, fol. 245 v°, c. 1248; — Vidal, *Bullaire de l'Inquisition*, p. 200, n. 135-136).

« .. *regi Majoricarum.* Ut inceptum per venerabilem fratrem nostrum Guidonem, episcopum Elnensem, contra nobilem virum Ademarum de Mosseto inquisitionis negocium pure ac sine suspitione procedat, venerabilem fratrem nostrum Johannem, episcopum Magalonensem, eidem Elnensi episcopo ac inquisitori pravitatis heretice duximus adjungendum. Quocirca regiam excellentiam rogamus attente quatinus ipsum nobilem ne inferatur sibi injuria, sed potius quantum sine prejudicio ejusdem inquisitionis negocii fieri poterit, tractetur favorabiliter, benivolentia regia habeat commendatum. Datum nonis octobris, anno decimo octavo. »

5299 Avignon, 7 octobre 1333.

Episcopo Elnensi ut in inquisitionis negotio contra Ademarum de Mosseto inceptum pure et juste procedat (Reg. 117, fol. 245 v°, c. 1249; Vidal, *op. cit.*, n° 135-136).

« *Eidem episcopo Elnensi.* Cum sicut novit tua fraternitas in negocio fidei puritas sit servanda,

fraternitatem hortamur eandem quatinus ne super negocio inquisitionis per te contra nobilem virum Ademarum de Mosseto incepte sibi aliqua inferatur per te aut collegam tuum vel inquisitorem injuria sed pure procedatur et juste studeas precavere. Datum ut supra.»

5300 Avignon, 14 octobre 1333.

Archiepiscopo Viennensi, episcopo Valentino ac Michaeli Ricomanni canonico Valentino ut contra Guillelmum de Tornono, ratione necessariorum ad usum cardinalium Avinione residentium destinatorum procedant. (Reg. 106, fol. 1 v°, c. 3; Reg. Avin. 46, fol. 136 v°; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63879).

« *Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Viennensi et .. episcopo Valentino, ac dilecto filio Michaeli Ricomanni canonico ecclesie Valentine, provintie Tarraconensis, salutem.* Ad reprimendum pernitiosam — Datum Avinione, II idus octobris, anno decimo octavo.»

5301 Avignon, 15 octobre 1333.

Comiti Sabaudiae gratias agit de traditione bastidae de Viry archiepiscopo Lugdunensi. (Reg. 117, fol. 294 v°, c. 1549).

« *Dilecto filio nobili viro Aymoni, comiti Sabaudie.* Pridem venerabiles fratres nostri Armandus, archiepiscopus Aquensis, et Albertus, episcopus Mimatensis, de partibus illis ad quas ipsos miseramus pro sedanda discordia quam inter te, fili, ex parte una, et quondam Guigonem, dalfinum Viennensem, ex altera, hostis pacis suscitaverat, ad nostram presentiam redeuntes nobis exponere curaverunt quod eis, post obitum dalfini predicti, tractantibus inter te, ex parte una, et certos nobiles Dalfinatus Viennensis regimini presidentes, ex altera, inite fuerunt treuge usque ad festum nativitatis beati Johannis Baptiste futurum proximum durature. Verum, quia quedam bastida quam in ecclesia Sancti Johannis de Vyri prope castrum de Varey, Lugdunensis diocesis, construi de novo feceras, asserebatur occasionem quodammodo predicte discordie prestitisse, tu, pro nostra et Apostolice Sedis reverentia dictam bastidam ad eorundem archiepiscopi et episcopi instantiam in manibus nostris, eisdem archiepiscopo et episcopo nomine nostro recipientibus, sub infrascriptis modis et conditionibus posuisti, videlicet quod ipsi, aut ille vel illi cui vel quibus bastida ipsa custodienda dicto nomine traderetur, eam taliter custodirent quod ab aliquibus capi, ledi vel offendi non posset, quodque ipsi aut ille cui traderetur dicta bastida custodienda, sicut premittitur, ipsam per octo dies ante finem termini treugarum predictarum, nisi esset medio tempore per viam pacis vel aliam accomodam aliter ordinatum, eam in eo statu et cum eisdem munimentis in quo et cum quibus per te traderetur, tibi restituere ac reddere tenerentur seu teneretur cum effectu, dilationibus et exceptionibus cessantibus quibuscunque. Subsequenter vero tu, quod verbo promiseras volens realiter adimplere, bastidam ipsam, memoratis archiepiscopo et episcopo volentibus, venerabili fratri nostro Guillelmo, archiepiscopo Lugdunensi, custodiendam et regendam eodem nomine ac restituendam, prout expressum est superius, tradidisti. Nos igitur devotionem tuam super predictis multipliciter in Domino commendantes eaque rata et grata habentes pariter et accepta, volumus, mandamus et concedimus ea secundum ordinationis jamdicte seriem compleri et inviolabiliter observari, sic tamen quod nulli propter hoc quoad proprietatem vel possessionem prejudicium generetur. Datum Avinione, idibus octobris, anno decimo octavo.»

5302 Avignon, 15 octobre 1333.

Archiepiscopo Lugdunensi, ut bastidam de Viry, durantibus treugis inter comitem Sabaudiae et gubernatores Dalphinatus Viennensis initis, custodiat. (Reg. 117, fol. 295, c. 1550).

« *Venerabili fratri Guillelmo, archiepiscopo Lugdunensi.* Pridem et cetera, usque observari (1) ,verbis competentibus mutatis. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus eandem bastidam tenere, custodire ac regere fideliter et solerter dictoque tempore memorato comiti, nisi aliud ordinatum interim sicut premittitur existeret,

(1) Cf. n. 5301.

juxta modum et formam comprehensos superius restituere non postponas. Datum ut supra.»

5303 Avignon, 15 octobre 1333.

Poliae uxori Johannis Grandis de Vinsobriis indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 295, c. 1551).

«*Dilecte in Christo filie nobili mulieri Polie, dilecti filii nobilis viri Johannis Grandis domini de Vinsobriis, Vasionensis diocesis, uxori.* Provenit ex tue — Datum Avinione, idibus octobris, anno decimo octavo.»

5304 15 octobre 1333.

Regi Franciae litteras tam patentes quam clausas super indictione generalis passagii ei per archiepiscopum Rothomagensem destinandas iterum transmittit. (Reg. 117, fol. 190, c. 950).

«*Regi Francie.* Licet litteras nostras tam patentes quam clausas super indictione generalis transmarini passagii ac Crucis predicatione, quas expedire credidimus tam oportuno tempore regie celsitudini per venerabilem fratrem nostrum P. Rothomagensem archiepiscopum seu ejus messagerum qui eum fuit secutus post recessum ipsius in crastinum, duxerimus destinandas, quod ad prefixam diem dicte predicationis nisi casus alius impediverit illuc oportune potuerint pervenisse, tamen verentes casum hujusmodi, eas providimus ad cautelam iterum per portitorem presentium exhibitorem hujusmodi transmittendas. Datum idibus octobris, anno decimo octavo.»

5305 15 octobre 1333.

Petrum abbatem monasterii Cluniacensis de diligentia ejus commendat. (Reg. 117, fol. 190, c. 951).

«*Petro, abbati monasterii Cluniacensis.* Sinceritatis tue diligentiam quam in notificando nobis ea que continebantur in tuis missis nobis litteris adhibere curasti admodum nobis gratam multipliciter in Domino commendantes, tuam prudenciam rogamus attente quatinus illa que nuncianda de partibus illis imposterum tibi occurerint nobis scribere quotiens oportunum cognoveris non omittas. Datum ut supra [idibus octobris, anno decimo octavo].»

5306 15 octobre 1333.

Rogerio episcopo Lemovicensi mandat ut contra Geraldum Aymerici, clericum suae diocesis, qui Aymericum de Bisturre occidit, procedat eique Geraldum de Bisturre, decanum Andegavensem, commendat. (Reg. 117, fol. 190, c. 952).

«*Rogerio, episcopo Lemovicensi.* Cum expedire rei utilitati publice dinoscatur quod delinquentium excessus et crimina media justicia corrigantur, fraternitati tue presentium tenore mandamus quatinus super eo quod Geraldus Aymerici, clericus tue diocesis Lemovicensis, una cum quibusdam suis complicibus quondam Aymericum de Bisturre, militem ejusdem diocesis, dicitur pensatis et paratis insidiis occidisse, tam super eodem clerico, qui aufugisse tamquam male sibi conscius asseritur, perquirendo, quam de ipso justiciam si ad manus tuas pervenerit exhibendo, sedulam adhibere diligentiam prout ad tuum spectat officium non omittas, habiturus nichilominus dilectum filium magistrum Geraldum de Bisturre, decanum ecclesie Andegavensis, capellanum nostrum, germanum quondam militis antedicti, super hiis et aliis suis negociis prout cum Deo poteris favorabiliter commendatum. Datum idibus octobris, anno decimo octavo.»

5307 15 octobre 1333.

Duci Britanniae negotia Geraldi de Bisturre, decanum Andegavensem, commendat. (Reg. 117, fol. 190 v°, c. 953).

«*Johanni, duci Britannie.* Dilectum filium magistrum G. de Bisturre, decanum Andegavensem, capellanum nostrum, ut eum super suis agendis pro nostra et Apostolice Sedis reverentia quantum

cum Deo fieri poterit prosequaris favorabiliter, nobilitatis benivolentie propensius commendamus. Datum ut supra [idibus octobris, anno decimo octavo].»

5308 Avignon, 24 octobre 1333.

Ludovico de Petragrossa testandi facultatem concedit. (Reg. 117, fol. 295, c. 1552; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 61920).

«*Dilecto filio magistro Ludovico de Petragrossa, canonico et archipresbitero ecclesie Vivariensis.* Quoniam humane fragilitatis — Datum Avinione, IX kalendas novembris, anno decimo octavo.»

5309 Avignon, 29 octobre 1333.

Duci Borbonesii sex milia florenorum auri super fructibus ecclesiae Auxitanae percipienda concedit. (Reg. 117, fol. 165 v°, c. 844).

«*Dilecto filio nobili viro Ludovico, duci Borbonesii.* Dudum tibi, certis causis et considerationibus que ad id nostrum animum induxerunt, viginti quinque milia florenorum auri colligenda et recipienda de legatis et elemosinis tunc factis et in antea faciendis in regno Francie subsidio passagii Terre Sancte sub certis modis formis et conditionibus duximus concedenda, et deinde attendentes quod forsan dictam viginti quinque milium florenorum auri summam de predictis legatis et elemosinis adeo celeriter sicut tibi expediret habere non posses, eandem summam de fructibus, redditibus et obventionibus ecclesie Auxitane qui obvenerunt tempore vacationis ejusdem per obitum bone memorie Amanevi, archiepiscopi Auxitani, dispositioni nostre certis causis rationabilibus reservatis, tibi per dilectos filios Arnaldum de Verdala, archidiaconum tunc canonicum Mirapiscensis, et Raymundum de Picapollo rectorem de Cinctagavella tunc Sancti Michaelis ad Castellum rectorem Mirapiscensis et Tholosane diocesum ecclesiarum collectores eorundem fructuum, reddituum et obventionum deputatos a nobis exolvi per litteras nostras certi tenoris mandavimus ac etiam assignari, sicut in litteris ipsis super predictis confectis plenius continetur. Sane cum, sicut tua nobis nuper exhibita [littera] continebat, licet tu de dicta summa viginti quinque milium florenorum per nos tibi sicut premittitur concessorum per manus collectorum predictorum viginti duo milia et quingentos florenorum auri vel circa collectos de dictis fructibus, redditibus et obventionibus in diversis assignationibus receperis inde factis, tamen circa exactionem dictorum viginti duorum milium et quingentorum florenorum procurandam ac expectationem solutionum inde tibi factarum et etiam propter minorem valorem florenorum quos de predictis, ut premissum est, recepisti, habendo respectum ad valorem in quo illos si locus restitutioni existeret pro tempore oporteret (*sic*) necnon et ex certis causis aliis expositis coram nobis, cum nec sic celeriter et plene ut speravimus solutiones de predictis tibi facte fuisse dicantur, usque ad valorem sex milium florenorum auri et ultra dampnificatus ut asseris extitisti. Quare nobis humiliter supplicasti ut tibi de residuo dicte viginti quinque milium florenorum auri summe, quod tibi adhuc solvendum dicis restare, et ultra hoc pro dampnis predictis usque ad summam sex milium florenorum auri satisfieri de benignitate solita faceremus. Nos igitur nolentes tecum per viam calculi et exacte rationis super predictis agere sed erga te potius nostre liberalitatis gratiam, tuis meritis exigentibus, ampliare, tibi ultra dictos viginti duo milia et quingentos florenos et illud quod adhuc de summa predicta viginti quinque milium florenorum auri exolvendum reperietur restare, sex milia florenorum auri de predictis fructibus, redditibus et obventionibus ejusdem ecclesie Auxitane, qui prefate vacationis tempore ut premittitur obvenerunt quique adhuc deberi reperientur legitime ac recuperari et haberi licite poterunt, in recompensationem expensarum et dampnorum predictorum de gratia speciali concedimus exolvenda, volentes et concedentes quod predicta sex milium florenorum auri summa una cum duobus milibus et quingentis florenorum auri, si forsan de supradicta viginti quinque milium florenorum summa tibi per verum et legitimum computum inter procuratorem tuum ex parte una et eosdem collectores ex altera jam habitum vel habendum tibi reperiantur deberi, alias illud quod sacra, legitima et fideli calculatione per ipsos collectores inde restabit in suppletionem omnium illorum que propter expensas et dampna predicta minus quam tibi per nos concessum extiterat forsitan habuisti, tibi tradantur et etiam

assignentur; que quidem sex milia florenorum includi et computari nolumus infra summam dictorum viginti quinque milia florenorum auri superius expressorum, ita quod ex hoc ultra dictam summam viginti quinque milium florenorum in aliquo casu quicquam expendere vel restituere minime tenearis, nec ad plus quam eras ante concessionem nostram presentem tibi factam, ut premittitur, sis astrictus; per hoc autem nolumus remissioni quam tibi sub certis modo et forma fecimus de predictis viginti quinque milibus florenorum auri prout in nostris aliis litteris inde confectis continetur plenius in aliquo derogare, sed eam potius in et sub ea dictorum sex milium florenorum auri summa predicta inclusa (1) in suo volumus robore permanere. Nostre tamen intentionis existit et volumus quod si forsan de hujusmodi fructibus, redditibus et obventionibus ejusdem ecclesie Auxitane que tempore sepedicte vacationis ipsius ecclesie ut premittitur obvenerunt et adhuc colligendi restare noscuntur, predicta summa sex milium florenorum auri ac illud quod adhuc tibi solvendum de supradicta viginti quinque milium florenorum summa restare asseris, in toto vel in parte non deberentur seu recuperari vel haberi non possent licite, ac pro illis expensas te facere vel dampna sustinere contingeret, nichil a nobis aut successoribus nostris et Ecclesie Romane possis propterea petere tibi reddi seu deduci vel alias compensari, cum non intendamus tibi dicta sex milia florenorum auri quoquo modo concedere nec alias tibi teneri pro premissis in aliquo, nisi dumtaxat si et in quantum de predictis fructibus, redditibus et obventionibus ejusdem ecclesie Auxitane ultra tibi primo concessa ut premittitur reperirentur deberi et in quantum etiam de sic adhuc debitis usque ad quantitatem hujusmodi exigi licite poterunt et haberi. Nulli ergo etc... Datum Avinione, IIII kalendas novembris, anno decimo octavo.»

5310 29 octobre 1333.

Johanni de Alis, Arnaldo de Verdala, Guillelmo Rolandi et Raymundo de Picapollo mandat ut Borbonesii duci summam sex milium florenorum auri solvant. (Reg. 117, fol. 166 v°, c. 845).

(1) Corr. : inclusam ?

«*Dilectis filiis Johanni de Alis, decano Meldensis, et Arnaldo de Verdala, archidiacono Mirapiscensis, ac Guillelmo Rolandi, canonico Lectorensis et Raymundo de Picapollo, rectori de Cinctagavella, Mirapiscensis diocesum ecclesiarum.* Dudum certis causis etc... verbis competentibus mutatis (1). Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus vos omnes simul aut vos, filii archidiacone et rector, quos alias collectores dictorum fructuum, reddituum et obventionum dudum per nostras certi tenoris litteras deputavimus, vel tu, archidiacone predicte, una vobi cum, filii decane et Guillelme Rolandi, vel altero vestrum de predictis fructibus, redditibus et obventionibus quos adhuc deberi legitime repereritis usque ad dictam sex milium auri florenorum summam exigatis, recuperetis ac etiam colligatis, contradictores etc..., non obstante si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem quod vos summam hujusmodi sex milium florenorum auri et insuper vos, predicti archidiacone et rector, illud quod de summa predicta viginti quinque milium florenorum auri dicto duci exolvendum restare per computum legitimum inter vos et procuratorem ejusdem ducis habitum vel habendum noveritis etiam per partes singulas et diversas, sicut et prout de dictis fructibus, redditibus et obventionibus adhuc, ut prefertur, debitis collegeritis usque ad complementum dictorum sex milium florenorum et illius etiam quod, ut premittitur, de priori summa predicta solvendum restabit, memorato duci vel ejus certo procuratori exolvere et assignare curetis, faciendo super singulis solutionibus et assignationibus hujusmodi duo confici consimilia publica instrumenta, quorum altero penes vos retento, reliqum nobis fideliter transmittatis Ceterum nostre intentionis existit quod vos, prefati decane et Guillelme Rolandi, super exactione ac collectione dictorum fructuum redditum et obventionum nisi usque ad summam dictorum sex milium florenorum auri nullatenus intromittere presumatis, sed vos, archidiacone et rector, super hiis, sicut expressum est superius, et aliis juxta priorum vobis directarum continenciam

(1) Cf. n. 5309.

litterarum, per quas presentibus aut illis per presentes quoad alia derogare non intendimus, procedatis. Datum ut supra [IIII kalendas novembris, anno decimo octavo]. »

5311 Avignon, 31 octobre 1333.

Amalrico Aymerici, vicecomitis Narbonensis filio, et Mariae de Caneto quod, non obstante quarto consanguinitatis gradu, matrimonium contrahere possent indulget. (Reg. 117, fol. 167, c. 846 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 61997).

« *Dilecto filio nobili viro Amalrico, primogenito dilecti filii nobilis viri Aymerici, vicecomitis Narbonensis, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie de Caneto, Elnensis diocesis.* Romani pontificis precellens auctoritas nonnunquam rigorem justicie mansuetudine temperans, quod negat juris severitas de gratia benignitatis indulget, cum id secundum Deum salubriter prospicit expedire. Sane petitio pro parte vestra nobis exibita continebat quod vos, ad nutriendum inter utriusque vestrum consanguineos et amicos pacis et unitatis federa, de communi parentum et amicorum vestrorum consensu intenditis invicem matrimonialiter copulari. Verum quia in quarto consanguinitatis gradu invicem estis conjuncti, hujusmodi vestrum desiderium non potestis absque dispensatione apostolica adimplere. Quare nobis fuit humiliter supplicatum ut providere vobis super hoc de oportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos igitur, qui in unitate pacis et concordie inter cunctos nutrienda christicolas delectamur, cupientes quod inter eosdem consanguineos et amicos amoris et caritatis gratia vigeat et unitatis federa jugiter divina favente clementia perseverent, et ex certis aliis causis rationabilibus que ad hoc nostrum animum induxerunt vestris supplicationibus inclinati, vobiscum ut impedimento quod ex consanguinitate hujusmodi provenit non obstante matrimonium invicem contrahere valeatis auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus. Nulli ergo etc... Datum Avinione, II kalendas novembris, anno decimo octavo. »

5312 7 novembre 1333.

Guillelmo episcopo Montisalbani suae et Sancti Stephani de Tescone ecclesiarum Montisalbanensium capitula quae pro quibusdam dissentionibus eum ut arbitrum elegerunt, commendat. (Reg. 117, fol. 197 v°, c. 988).

« *Guillelmo, episcopo Montisalbani.* Cum dilecti filii tue et Sancti Stephani de Tescone ecclesiarum Montisalbanensium capitula super quibusdam dissensionibus et controversiis quas habebant adinvicem in te compromittendum duxerint, sicut fertur, ne mora pronunciationis tui arbitrii eisdem partibus dispendia inferat, ut ad pronunciationem hujusmodi quavis cunctatione postposita justicia procedat previa fraternitatem tuam in Domino exhortamur, eosdem capitulum ecclesie Sancti Stephani qui velut novella plantacio favoribus egere noscuntur tibi sine cujusquam offensa propensius commendantes. Datum VII idus novembris, anno decimo octavo. »

5313 9 novembre 1333.

Regi Franciae scribit ne detractionibus et dictis contra Arnaldum vicecomitem Caramanni, praetextu auxilii dati regi Angliae et Roberto de Atrebato, fidem adhibeat. (Reg. 117, fol. 194, c. 968).

« *Regi Francie.* Sicut habet Sacre Scripture testimonium ex veteribus ystoriis et ex hiis que geruntur cotidie comprobatur (1), multi sic bonitate principum abutuntur ut penes ipsos eos etiam qui fidelitatem et innocenciam diligenter observant, etiam si ita cuncta agant ut omni laude digni sint, mendaciorum funiculis conentur subvertere, dum aures principum simplices et ex sua natura alios similes extimantes callida fraude decipiunt, supprimentes que vera sunt et insontes fraudulenta mendacia suggerentes. Sane, fili carissime, non sine stupore et admiratione non mediocri noviter ad nostrum pervenit auditum aliquem vel aliquos sinistra quedam auribus regiis dolosis labiis instillasse contra dilectum filium nobilem virum Arnaldum, vicecomitem Caramanni, nepotem nostrum, tuum fidelem militem ac devotum servitorem tuique nominis, status et honoris pro sue potestatis

(1) *Sic* : Corriger : *comprobatum* ?

modulo fervidum zelatorem, in ejus innocentiam, quantum in eis est, tue celsitudinis clementiam provocando, eidem celsitudini regie sicut dicitur suadentes quod idem Arnaldus carissimo in Christo filio nostro E., regi Anglie illustri, et gentibus suis, necnon et nobili viro Roberto de Atrabato contra te et honorem tuum dederit auxilium, consilium et favorem, quodque cum prefato R. sit vel fuerit alligatus. Quibus auditis, etsi totum oppositum satis nobis poterat esse notum, ex eo quod indubitanter nunquam dictis aut factis percipere potuimus quod prefatus vicecomes, nedum non dederit prefatis regi et suis seu prefato R. aut gentibus ejus contra te seu te vel tuum honorem quovis modo contingentia auxilium, consilium vel favorem, quinimmo semper tuum honorem sive predicta sive quelibet (1) negocia concernerent, quantum sibi affuit oportunitas seu facultas penes nos promoverit ardenter et fideliter toto posse. Nec pro certo, fili carissime, per ipsum vel alios, quantum in nobis esset, aliter fieri pateremur. Nichilominus adhuc curavimus, quantum potuimus, fieri certiores, et in presentia plurium de fratribus nostris cardinalibus exegimus, tactis ab eo sacrosanctis evangeliis, juramentum an fecisset premissa vel aliqua de premissis. Qui respondit quod non, sub virtute prestiti juramenti, sicut in instrumento quodam inde confecto plenius continetur. Et utinam, princeps inclite, animi sui tibi secretiora paterent atque posses intuitu nudo ipsius interiora conspicere, necnon et intentionem illorum qui fingunt talia contra ipsum et fictionis eorum originem et ipsorum singulorum maliciam cerulata fide videre! Nam etsi tantum de tua bonitate speremus quod eorum falsis suggestionibus non des fidem, adhuc firmius teneremus quod si premissa tibi paterent, nunquam ipsorum sinistris suasionibus qualencumque preberes auditum. Significamus autem celsitudini regie quod postquam idem vicecomes audivit premissa de se falso tibi relata, gravi percussus amaritudine, ad tuam presenciam accedere pro sua innocentia ostendenda totis precordiis aspiravit; tamen licenciam, hoc presertim tempore, ex causis pluribus pro quibus supponimus quod regalis benignitas, si sciret eas, ipsum si viam aggressus esset ab itinere revocaret, non potuimus sibi dare. Quare benivolenciam regiam affectuose rogamus quatinus ipsum super hoc habeat excusatum, quodque innocentiam suam super premissis detractionibus benigne digneris audire, et excusationes suas pro quibus ad excellentiam tuam mittit gratiose recipere, sic quod circa eum, pretextu talis inique persuasionis non succrescat in te suspicio qualiscunque, nec erga ipsum decrescat ex talibus favor tuus vel eorum occasione vel causa a solitis tue benignitatis semitis quovismodo declinare digneris, sed quod sue devotionis ardore quem ad tuum, ut tenetur, super omnibus pro sue potestatis modulo toto corde gerit honorem, et nostri contemplatione, si placet, ad ipsum gratia tua potius augeatur. Hortamur insuper et rogamus tuam magnificentiam in Illo qui flatui et fluctibus maris terminum imposuit ut ultra non intumescerent, quod penes te status talium detractorum presertim contra ipsum ulterius invalescere non permittas, sed eorum verba venenosa sic contempnendo negligas et negligendo contempnas ut in ipsa sui origine prefocentur, hoc enim modo detractoribus ipsis fraudandi claudes aditum, et tui nominis constantie et honoris ac devotionis tuorum fidelium ad Dei beneplacitum et tue salvationis meritum adicies incrementum. Datum V idus novembris, anno decimo octavo. »

(1) Reg. : sive predictos sive quoslibet.

5314 Avignon, 10 novembre 1333.

Petro Andreae, quod jura civilia usque ad triennium audire possit. (Reg. 117, fol. 165 v°, c. 843; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, p. 62058).

« *Dilecto filio Petro Andree, cancellario ecclesie Caturcensis, bacallario in legibus.* Desiderantium imbui scientia — Datum Avinione, IIII idus novembris, anno decimo octavo. »

5315 11 novembre 1333.

Ancello domino de Jonivilla de venatione transmissa regratiatur. (Reg. 117, fol. 191, c. 958).

« *Ancello, domino de Jonivilla.* De venatione quam nobis copiose misit tua nobilitas eidem gratiarum referimus uberes actiones, prompti quantum cum Deo poterimus ad ea que tuum respiciant

commodum et honorem. Datum III idus novembris, anno decimo octavo. »

5316 S.d. (1) [12 novembre 1333-23 juillet 1334 ?].

Guillelmo, principi Aurasicensi, ut ad Curiam veniat. (Reg. 117, fol. 300 v°, c. 1575).

« *Guillelmo, principi Aurasicensi.* Cum super certis de quibus loqui tecum intendimus tua nobis sit presentia oportuna, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente quatinus ad nostram velis presentiam conferre. Datum etc... »

5317 12 novembre 1333.

Imberto, dalphino Viennensi, qui Januam prospere applicuit, dat consilium tutissimam viam ad Dalphinatum eligendi. (Reg. 117, fol. 300 v°, c. 1576, et f. 301, c. 1583).

« *Imberto, dalfino Viennensi.* Leta manu jocundoque recepimus animo nobilitatis tue litteras per quas [te] una cum consorte ac parvulo applicuisse prospere Januam, exinde disponens quiescentibus maris turbinibus et ventorum flatibus contrariis mitigatis ad presentiam nostram antequam Dalfinatum tuum ingrediaris, quamvis tibi propinquior de Janua existeret, te continuatis conferre gressibus nunciasti. Sane, dilecte fili, licet te videre desideramus intense, quia tamen propter marini difficultatem et prolixitatem itineris veremur gravamen predicti parvuli, quem tibi conservari a Domino devote petimus et rogamus, quod viam tutiorem et breviorem prosequendam eligeres, si hoc tamen tibi expediens videretur, nobis existeret multum gratum. Datum II idus novembris, anno decimo octavo. »

5318 12 novembre 1333.

Guillelmo episcopo Dalfinensi (?), de eodem. (Reg. 117, f. 300 v°, c. 1576, et f. 301, c. 1577).

(1) Acte transcrit entre le c. 1574 (23 juillet 1334) et le c. 1576, n. 5317, 12 novembre 1333).

« *Guillelmo, episcopo Dalfinensi* (1). Diligenter intelleximus que tue fraternitatis littere grata nobis admodum tam de adventu dilecti filii nobilis viri Imberti dalfini Viennensis una tecum suisque consorte ac parvulo, quam [de] nonnullis aliis insertis in eisdem litteris continebant, tuam super eis prudentiam multipliciter in Domino commendantes. Sane quia per tuas et dalfini predicti litteras percepimus ipsum antequam Dalfinatum suum ingrediatur velle ad nostram presentiam se conferre, sibi rescribimus quod licet eum videre desideremus intense, quia tamen propter marini difficultatem et prolixitatem itineris veremur gravamen dicti parvuli quem sibi conservari a Deo petimus et rogamus, gratum nobis multum accederet si viam tutiorem et breviorem eligeret prosequendam, super quo una cum ipso tua providentia videat quid agendum. Datum ut supra. »

5319 15 novembre 1333.

Regi Franciae, quare Johannem de la Bordunere, ordinis Praedicatorum, ad magisterium sacrae theologiae non promovit, exponit. (Reg. 117, fol. 196, c. 975).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Quia ex litteris nostris que a nobis per importunitatem sepius super promovendis in sacre theologie facultate ad honorem magisterii hactenus sunt obtente sequi seu committi multas audivimus indecentias, et nonnullis meritis et sufficientibus injurias per fraudes que committebantur circa hoc irrogatas, disposuimus de cetero a concessione litterarum talium abstinere. Quare si pro dilecto filio Johanne de La Bordunere, ordinis Predicatorum, litteras tales non concedimus, habeat nos excellentia regia quesumus excusatos. Datum Avinione, XVII kalendas decembris, anno decimo octavo. »

5320 15 novembre 1333.

Regi Franciae ut magistrum Petrum de Marculfo, juris civilis professorem, Rostagnum Cavalerii et Johannem Audaguerii milites, nuntios a senescallo Provinciae et communi civitatis Avinionensis destinatos benigne audiat. (Reg. 117, fol. 197, c. 976).

(1) *Sic.* Corriger : *Gratianopolitano* ?

« *Eidem regi.* Cum dilecti filii nobilis vir Philippus de Sangineto miles, pro carissimo in filio nostro Roberto rege Sicilie illustri senescallus Provincie et Forcalquerii, et commune civitatis Avinionensis dilectos filios magistrum Petrum de Marculfo, juris civilis professorem, et nobiles viros Rostagnum Cavalerii et Johannem Audaguerii milites nuncios et ambaxiatores suos exhibitores presentium ad regalem presentiam super certis negociis ab ipsis lacius exponendis providerint destinandos, magnificentiam regiam attentius deprecamur quatinus nuncios ipsos velit providentia regalis benigne recipere, audire favorabiliter et celeriter prout honestatis equitas suaserit expedire. Datum ut supra proxime [XVII kalendas decembris, anno decimo octavo]. »

5321 18 novembre 1333.

Regi Franciae ne aliquibus falsis de Roberto de Atrebato relatis fidem adhibeat et facta potiusquam verba consideret. (Reg. 117, fol. 192 v°, c. 966).

« *Regi Francie.* Utinam, fili carissime, plene intelligeres nostri animi erga te puritatem, quia profecto obstruerentur ora iniqua loquentium ac detrectatori non panderetur aditus, nec prestaretur auditus. Sed ecce, princeps inclite, non desunt ut audivimus qui apud tuam excellentiam contra nos sine causa non tamen sine malicia submurmurent, multaque falsissima contra nos auribus regiis audeant instillare. Ad nos quidem alicujus non contempnenda relatio pertulit hiis diebus quod in presentia nonnullorum prelatorum ac principum et baronum aliorumque multorum tua magnificentia verba protulit que secuntur, scilicet quod nos multum Anglicis in eorum negociis etiam contra tuam excellenciam favebamus, majoremque inimicum quem habeas scilicet virum nobilem R. de Atrabato sustinebamus, de quo amplius turbaris, subjuncto quod tua fuerat excellentia super hoc informata quod dictus R. nobis fecerat juramentum quodque aliquando dixeramus quod quamdiu ipse R. tecum fuit in statu omnia nostra et nostrorum negocia expediebantur ad votum, quod non ita postmodum est secutum. Ne igitur hec nequam lingua tibi vera supprimens et falsa suggerens ulterius circa premissa perturbet animi tui pacem, sed revelata super premissis nostre solicitudinis erga te puritate cujuslibet inquiete solicitationis et solicite inquietudinis cesset occasio, ecce qualiter nos habuerimus in premissis. In principio quidem tui regiminis, quia carissimus in Christo filius noster E., rex Anglie illustris, non sic devote ut utrique vestrum erat expediens se habebat, non siluimus sed operam dedimus exhortationibusque ac precibus instare curavimus apud eum consiliariosque suos ut ad te sicut cognatus ad cognatum sic inclitum et vassallus ad dominum se haberet. Et ut firmiter credimus, si nostre exhortationes et solicitudo sedule defuissent, subsecuta eo tempore que secuta sunt non fuissent. Ex tunc autem reconciliatione predicta perfecta, nostre non occurrit memorie quod rex ipse aliqua coram nobis vel nobiscum habuerit facere que tuam in aliquo contingerent majestatem, hoc tamen salvo quod super duobus nobis dicti regis nuncii supplicarunt : primo ut nos de jure quod in partibus Vasconie dictum regem habere asserunt per eos informationem ad finem illum vellemus recipere quod nos tuam possemus super illo jure magnificentiam informare securius, tibique pro expeditione negociorum dicti regis efficacius porrigere preces nostras, quibus presentibus nonnullis ex nostris fratribus respondimus quod informationem hujusmodi non reciperemus aliquatenus cum ad te specialiter dicti juris cognitio pertineret. Secundo supplicarunt nobis quod ad diem quandam eis per tuam prefixam excellentiam cardinalem aliquem deberemus mittere qui pro justicia et gratia regi predicto per te fienda deberet instare, quibus respondimus quod nequaquam hoc sine tuo beneplacito faceremus. Hec sunt que habuerunt nobiscum agere que aliqualiter tuam tangere poterant majestatem. Nec revera nostre occurrunt in presenti memorie alia, nec credimus quod ab aliquo veraciter valeant reperiri. Exponat ergo illa lingua maledicta factum si habeat aliud quod nobiscum habuerit dictus rex facere quod te tangeret, in quo eidem contra te potuerimus favorabiles esse ; quod si non fecerit, noli ulterius ejus lingue nequam credere, sed factis pocius fidem prebere. Si vero proponant factum aliud in quo nos eidem regi asserat contra te favorabiles extitisse, placeat tue celsitudini illud nobis innotescere ut eandem possimus de veritate reddere certiorem. Judicet itaque

excellentia regia si premissa faciendo veridica, possit dici quod nos regi predicto contra te faverimus in premissis. Verum est autem quod inter mundi principes rex prefatus magnus est et utique devotus Ecclesie filius, unde non decet nec expedit quin nos ei exhibeamus favorabiles sine juris cujusque et tui precipue lesione. Quantum ad factum illius nobilis R. de Atrabato supradicti, dicimus quod postquam contra ipsum lata fuit sententia, ad nos quendam cum suis litteris transmisit nuncium per quas petebat eidem nuncio fidem credulam adhiberi. Qui quidem nuncius, presente quodam ex nostris fratribus, suam credentiam ad duas conclusiones restrixit, una quarum tangebat ipsum et Bavarum qui eidem offerebat, ut dicebat nuncius, gratiam aliquam impertiri. Secunda vero nos tangebat et prefatum Bavarum, per quam offerebat quod ad reconciliandum ipsum nobis paratus erat interponere partes suas; quibus respondimus ut continet cedula presentibus interclusa. Postremo autem idem nobilis nobis misit quandam litteram sua manu conscriptam quam propter malam litteram plene nescivimus legere. Hoc tamen recollegimus ex precedentibus et sequentibus aliquibus que legere poteramus quod ut apud tuam clementiam deberemus pro sibi facienda gratia intercedere suplicabat, cui profecto nec verbo, quia nuncius prorsus videbatur ignarus et inscius, nec scripto responsum dedimus, quia nostris aliis salubribus consiliis acquiescere non curavit; nec, quod nostra memoria teneat, litteram seu nuncium alium seu nuncios ab eodem recepimus nec a nobis consilium aliud seu auxilium, cum nec illud petierit, verbale habuit nec reale. Attendat igitur circumspectio regia si predictum nobilem sustinuimus contra te per predicta. Profecto credimus quod nullus veritatis amicus diceret quod per predicta ipsum contra te sustinuerimus, sed potius quod ut ipsum ad beneplacitum prorsus revocaremus regium adhibuimus studium oportunum. Ad illud quod dicitur quod idem nobilis nobis prestitit juramentum in veritate, dicimus quod non tenet nostra memoria quod ipse nec aliquis alius de domo regia vel quisvis officialis seu familiaris regius nobis aliquod prestiterit juramentum nisi forsan prelatus fuerit, qui illud ratione sue prelationis prestiterit, ut est moris, cum nec a nobis petitum fuerit nec ab ipsis oblatum. Rursus ad illud quod dicitur nos aliquando dixisse quod quamdiu dictus nobilis cum tua celsitudine fuit in statu omnia nostra negocia expediebantur ad votum, quod non ita postmodum est secutum, dicimus quod revera nostre non occurrit memorie in quo suo tempore melius, immo eque bene quam postea ad votum nostra seu nostrorum apud tuam excellentiam negocia fuerint expedita; unde tenemus indubie quod premissa verba nunquam a nobis prolata fuerint, quia nec potuerint cum veritate proferri. Rogamus igitur excellentiam regiam ut a quo sibi proferantur verba vel contra nos vel contra alios attente consideret factisque potius quam verbis fidem debeat adhibere. Datum XIIII kalendas decembris, anno decimo octavo. »

Sequitur tenor cedule de qua superius fit mentio.

« *Roberto de Atrebato* (1). Audivimus que retulit nuncius eaque intelleximus diligenter que utique ad duas conclusiones restrixit, quarum prima te, fili, et illum Ecclesie emulum concernebat. Ad quam respondemus et tunc respondimus quod mirabamur nec certe sufficimus admirari quomodo super illo potuerit tua prudentia cum suis consilium postulare, cum illum exequendo notorie Deum offenderes, contra te provocares Ecclesiam penisque variis illaqueareris et gravibus contra attemptantes talia promulgatis. Secunda vero conclusio te ipsumque emulum ac nos insimul contingebat. Ad quam respondimus et adhuc respondemus quod, cum teste Sapiente in omni negocio tempus sit et oportunitas attendenda, si consideranter statum presentis attenderis temporis, aperte reperies quod status ipse non sinit quod per te salubre posset in premissis aliquod procurari. Sed preter hec, ad ea que te contingunt propinquius quibusque est attentius providendum nostra eloquia convertentes, subjungimus quod per te nostro judicio sit agendum. In primis igitur nobis videtur expediens quod super eo quod a multis sepius asseruisse diceris, videlicet per carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem injuste multipliciter te gravatum, filiamque nostram in Christo carissimam Johannam reginam Francie illustrem hec omnia procurasse, que profecto ipsorum animos provocant multipliciter, sicut audivimus, non immerito et perturbant, te debeas ut sequitur excusare. Nosti quidem, fili, et notum noscitur toti regno quam mature quantaque deli-

(1) Reg. 117, fol. 193 v., c. 967.

beratione et consilio de multorum prelatorum pariumque Francie ac aliorum tam nobilium quam peritorum in utroque jure, scilicet scripto et consuetudinario, per regem prefatum in tuo negocio sit processum, ex quibus videtur quod de ipso non possis habere justam materiam conquerendi. Si enim velis dicere quod testes falsa deposuerint hoc nequaquam regi predicto probabiliter imputari [potest], cum illos tam secreto quam publice per personas Deum timentes zelatricesque justicie examinari fecerit et audiri. De regina autem predicta audivimus a magno viro qui te dilexit et diligit cuique status tuus miserabilis est exosus, quod cum forent contra te quedam tibi prejudicialia per aliquos ordinata, quousque fuerunt revocata nec pacem habuit nec quievit. Si (1) verba predicta non dixeris, stude quia ea non pretuleris apud regem et reginam predictos te humiliter excusare. Si autem forsan interdum verba premissa protuleris, cura insinuare ipsis humiliter quod sicut homo turbatus nimium et anxietate repletus ea improvide et absque deliberatione provida protulisti, humiliter ipsis supplicans et devote ut hec in corde suo non teneant, sed ob Illius reverentiam qui probra nostra ferre non erubuit ea tibi dignentur misericorditer indulgere. Post hec vero vias et modos querere sedule satage per quos, divino non offenso beneplacito, eorum possis gratiam impetrare, ad memoriam reducturus quam benigne te hactenus tractaverunt, te etenim cum consorte tua et liberis in suo hospicio receperunt, teque quasi omnibus aliis pretulerunt, nec de ipsis quorum os et caro nosceris, quibusque tot consanguinitatis et affinitatis vinculis jungeris non diffidas omnino, sed potius preterite ipsorum memor gratie ac benivolentie confidentie spiritum assumere non omittas. »

5322 18 novembre 1333.

Regi Franciae de passagio transmarino novas litteras mittit, prioribus litteris quas papa regi miserat non lectis ab eodem rege. (Reg. 117, fol. 194 v°, c. 969 et 197 v°, c. 986).

« *Regi Francie.* Letanter audivimus te fecisse, fili carissime, die prima preteriti mensis octobris cum multitudine principum aliorumque nobilium regni tui vivifice Crucis signaculo insigniri. Sane quia, sicut ad nostrum non absque admiratione relatio fidedigna perduxit auditum, dicta die nulla fuit apostolica littera presentata nec lecta, excellentiam regiam volumus non latere quod XVII die mensis septembris proxime preteriti venerabili fratre nostro Petro Rothomagensi archiepiscopo de Romana curia recedente, propriumque pro certis apostolicis recipiendis litteris in dicta curia nuncium dimittente, eidem nuncio per manum dilecti filii Bernardi Stephani nostri notarii certas apostolicas litteras, quarum una clausa recitans succincte que acta dictaque per nos ac tuos nuncios fuerant die qua passagium induximus generale, alia vero aperta que principibus regni Francie alii que nobilibus mittebantur, alie vero diversas alias materias concernebant, in crastinum recessus ejusdem archiepiscopi fecimus assignari. Qui quidem nuncius easdem litteras in villa Montisferrandi, Claromontensis diocesis, assignavit manualiter dicto archiepiscopo sicut hiis diebus remissus ad Curiam dictus nuntius eidem notario recognovit. Verentes igitur quod dicte littere ex quo non fuerint exhibite sint ammisse, ecce quod unam clausam et [aliam] apertam que dirigebatur principibus et nobilibus aliis supradictis bullatas duximus transmittendas, quia ut credimus decet et expedit ut tue celsitudini principumque prudentie nota sint contenta in litteris supradictis. Insuper expedire credimus ad minus quod apertas principibus qui adesse poterunt per fidelem interpretem facias publicari. Speramus enim quod eis plenius intellectis ardentiores reddentur ad dictum negotium exequendum. Hec autem scribimus ne nobis tanta imputari possit negligentia quod pro tanto negocio nichil duxerimus excellentie regie dictique regni principibus rescribendum, Illi cujus perfecta sunt opera cernui supplicantes ut quod cepisti det tibi prosequi et perficere ad sui nominis gloriam, tue salutem anime consolationemque tolius christiani populi et augmentum tue glorie in resurrexione justorum. Datum XIIII kalendas decembris, anno decimo octavo. »

(1) Reg. : *Sed.*

5323 S.d. [18 novembre 1333 ?] (1).

Regi Franciae de eodem. (Reg. 117, fol. 194 v°, c. 970).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Non absque admiratione, fili carissime, ad nostrum pervenit auditum in die predicationis Crucis nullam litteram apostolicam fuisse exhibitam neque lectam, cum tamen litteram unam patentem principibus ac nobilibus aliis regni directam Francie, et aliam clausam tue destinatam magnificentie breviter recitantes quicquid die qua indiximus generale passagium per nos tuosque nuncios dictum extitit atque factum, necnon et plures alias super diversis materiis missas per nos tue magnificentie in crastinum recessus venerabilis fratris nostri Petri Rothomagensis archiepiscopi, per ejus nuncium quem adhuc dimiserat, duxerimus destinandas. Sane quia nobis decens videtur et expediens [quod] contenta in prefata tibi designata littera celsitudo regia, ac contenta in premissa principibus littera eorum prudencia non ignoret, ecce prefatas litteras regali magnificentie per exhibitorem presentium duximus destinandas, quas ut credimus expedit quod tibi et principibus qui adesse poterunt per fidelem interpretem facias publicari. Speramus enim quod, eis plenius intellectis, ardentiores reddentur ad dictum negocium exequendum. Super diversis autem materiis aliis archiepiscopus predictus habet excellencie regie presentare litteras et aliqua exponere oraculo vive vocis, super quibus nullum pervenit responsum. Inter alia autem quedam soldanum tangentia habebat exponere, nobisque tue rescribere beneplacitum voluntatis, super quibus mora posset esse nociva. »

5324 18 novembre 1333.

Regi Franciae de negotio Turcorum. (Reg. 117, fol. 194 v°, c. 971).

« *Eidem regi*. Heri recepimus litteras regias super facto Turcorum, super quo, fili carissime, nos plures dies sunt certum [nuntium] ad Venetos et alios quos tangit dictum negocium magis de prope duximus destinandum, ad ipsos inducendum ut ad dictorum Turcorum reprimendam superbiam taliter se disponant taliaque studia faciant quod tua magnificentia ad faciendum tam pio negocio subsidium moveatur, quod te speramus facere, si tuum cum eorum subsidium extimari possit probabiliter profuturum. Unde videtur expediens quod quid intendant facere sciatur antequam tua intentio propaletur. Quod autem alicui noviter concesserimus quod navem unam onustam mercibus possit ad partes ducere interdictas, hoc non tenet nostra memoria, nec illud intendimus facere, Domino concedente. Datum XIIII kalendas decembris, anno decimo octavo. »

(1) Cette lettre est transcrite entre le c. 969 et le c. 971, tous les deux datés du 18 novembre. Elle semble faire double emploi avec l'acte 5322 (c. 969).

5325 18 novembre 1333.

Regi Franciae de quaestione visionis animarum. (Reg. 117, fol. 195, c. 972 ; — Denifle, *Chartularium*, t. II, p. 426, n. 978).

« *Eidem regi*. Regalem noticiam volumus non latere quod dudum ad nostrum auditum relatio fidedigna perduxit quod nonnullos magistros in theologia audiveras asserentes quod, fili carissime, tua magnificencia illos induxerat ut quod anime sancte ante suorum resumptionem corporum videbant clare divinam essentiam predicarent, immo plus eorum aliqui seu aliquis asserebant seu asserebat quod illum seu illos, quia hoc facere renuebant seu renuebat capitulaveras satis dure. Ab aliis vero audivimus, quibus fidem prorsus indubiam adhibemus, quod preceptum tale seu inductio ab ore regio non processit, sed ut princeps zelator veritatis, quam diligis et in tuo regno predicari desideras et servari, aliquibus, qui forsan dicebant seu fingebant se propter metum aliquem non audere talia predicare, dixisti quod metu cujusquam persone non desinerent (1) veritatem in premissis vel aliis predicare. Hoc profecto dicere decebat et decet regiam majestatem. Cum autem hanc questionem beatus Augustinus interdum in scriptis suis reputaverit valde dubiam, et circa eam variasse dicatur, et nedum ipse sed et multi doctores alii circa istam materiam variunt, propter hoc ut veritas possit melius aperiri, nos interdum in nostris sermonibus mentionem habuimus, non

(1) Reg. : *sinerent*.

proferendo verbum de nostro capite sed dicta Scripture sacre et sanctorum, precipue illorum quorum scripture ab Ecclesia sunt recepte, multique tam cardinales quam alii coram nobis et alibi in suis sermonibus pro et contra de ista materia sunt locuti, et nedum in sermonibus immo publice prelatis ac magistris in theologia presentibus est in Curia pluries questio hujusmodi, ut sic plenius posset inveniri veritas, disputata. Et quia, fili dilectissime, forsan dicitur quod nos non sumus in theologia magister, audi quod unus sapiens dicat: « Non quis, inquit, sed quid dicat intendite. » Utinam, fili, sicut et alias meminimus nos scripsisse, vellet audire que in nostris sermonibus diximus regia celsitudo, et, ut superius prediximus, unum verbum de capite nostro nos non protulisse reperies, sed que vel Christus vel apostoli vel sancti patres et doctores Ecclesie protulerunt. Hoc venerabili fratri nostro Petro Rothomagensi archiepiscopo tradidimus, ut ea, si tibi liberet intendere, duceret exponenda, cui et nunc scribimus ut hoc impleat, si tue placuerit majestati. Profecto, amantissime fili, si [que] circa istam materiam aliqui scripserint et dixerint sciret tua magnificentia, merito miraretur. Interdum quidam hoc scripserunt et dixerunt quod hec questio erat tua, quod tua prudentia per totum regnum partem illam predicari tamquam veram faceres, et aliam ut hereticam reprobari; multisque comminati sunt religiosis et secularibus, sub umbra tui culminis, si partem illam quod anime separate divinam essentiam non videant visione (1) quam vocat apostolus facialem [non predicarent], quia de illa procedit questio, illos capi facerent per inquisitores heretice pravitatis. Hec, fili carissime, licet veritate, ut supponimus, careant, quanquam bene credamus quod ad hec facienda et dicenda tuam excellentiam (2) duxerint stimulandam, ad honorem regium nequaquam pertinere noscuntur. Et quia, amantissime fili, scimus quod in hiis vel aliis ut elucidetur veritas intendes (3), rogamus benivolentiam regiam ut per fidelem seu fideles nuntios magistris in theologia et bacallariis Parisius legentibus et degentibus facias nunciari quod talibus minis illatis ipsis non obstantibus quilibet docere et disputare et predicare valeat, quod sibi juxta doctrinam evangelicam et apostolicam disputandum videbitur et etiam predicandum, donec aliud ordinatum per Sedem fuerit Apostolicam vel etiam declaratum. Sic enim ad veritatem questionis predicte poterit promptius perveniri. Datum ut supra [XIIII kalendas decembris, anno decimo octavo]. »

(1) Reg. : *visionem.*
(2) Reg. : *tua excellentia.*
(3) Reg. : *non intendes.*

5326 18 novembre 1333.

Regi Franciae quod ejus interventionis obtentu cum fratre Thoma, ordinis Praedicatorum, propter nonnullas haereses captivo detento, benigne intendit agere. (Reg. 117, fol. 195 v°, c. 973 ; — Vidal, *Bullaire de l'Inquisition*, p. 201, n. 138 ; Denifle, et Chatelain *Chartularium*, t. II, p. 428, n. 980).

« *Eidem regi.* Fili carissime, per plures dies, antequam ad nos regie littere super facto fratris Thome ordinis Predicatorum, qui Avinione detinebatur ab inquisitoribus pravitatis heretice, pervenissent, audito quod conquerebatur de dictis inquisitoribus, ipsum de ipsorum liberavimus manibus ad nostrum palacium facientes adduci. Sane, fili carissime, circa factum illius excellentie tue suppressa fuit veritas, et falsitas in multis subjecta. Non enim propter hoc, quod de animabus sanctorum dixerat quod ante resumptionem corporum videbant facie ad faciem divinam essentiam, fuerat detentus a supradictis inquisitoribus, sed quia in eodem sermone plura predicare presumpserat, que per plures magistros in theologia sunt judicata sic erronea quod ea pertinaciter asserens hereticus est censendus, prout venerabilis frater Petrus Rothomagensis archiepiscopus debuit excellentiam regiam informare. Nec hiis contentus, dum detineretur a dictis inquisitoribus, quendam libellum composuit in quo ultra xvi^cim dicuntur hereses contineri, de quibus archiepiscopus predictus, cui et libellum et errores in eo contentos mittimus, circumspectionem regiam poterit si libuerit lacius informare. Ideoque non miretur regia benivolentia si sic cito ejus expediri negotium nequeat, cum in eo de pertinentibus ad fidem catholicam questio ventiletur. Et quia nonnulli de Curia, qui cum suis superioribus quiete nesciverunt vivere, nec a via illa adhuc sciunt recedere, sed in ea potius perseverare non cessant juxta illud : « sordibus imbuti nequeunt dimittere sordes », de quibus Sapiens

loquitur dicens : « adolescens juxta viam suam cum senuerit non recedet ab ea », non cessant falsa et mendosa super hiis et multis aliis tue magnificentie scribere, regalem rogamus excellentiam ut ipsorum facta potius velit considerare quam verba. Si enim hoc feceris, tenemus indubie quod eorum verbis perfidis nequaquam fidem dabit. Cum fratre autem predicto precipue tue interventionis obtentu benigne intendimus et misericorditer, si eguerit, agere, offensa vitata divina. Datum XIIII kalendas decembris, anno decimo octavo. »

5327 18 novembre 1333.

Reginae Franciae consolatur eamque ad patientiam hortatur. (Reg. 117, fol. 196, c. 977, et 197 v°, c. 987).

« *Regine Francie.* Obtamus in Christo, carissima filia, ut in hac valle miserie, in hoc mari magno et pleno procellis et turbinibus sic tuum premunias animum quod nec elevetur in prosperis nec concidat in adversis, sed in omnibus divinis beneplacitis te conformans, in illis largitori bonorum omnium gratias referens, in istis serves pacienciam que opus perfectum habere nescitur, cum beato Job dicens : « Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum ». Quod tibi dignetur concedere Qui scit, potest ac consuevit suis servitoribus in omnibus tribulacionibus consolationis solacia ministrare. Datum XIIII kalendas decembris, anno decimo octavo. »

5328 18 novembre 1333.

Reginae Franciae ut detractionibus contra Arnaldum vicecomitem Caramanni insinuatis non credat. (Reg. 117, fol. 196, c. 978).

« *Eidem regine* [*Francie*]. Ad tuam audientiam, carissima filia, supponimus pervenisse quomodo quidam diaboli filii pacis et concordie inimici piis carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris instillaverunt auribus quod nos et dilectus filius nobilis vir Arnaldus vicecomes Caramanni, nepos noster, multum Anglicis in eorum negociis etiam [contra] ipsius excellentiam favebamus majoremque inimicum quem habeat scilicet virum nobilem Robertum de Atrabato sustinebamus, de quo amplius turbabatur; quodque Robertus predictus nobis juramentum fecerat, nosque aliquando dixisse quod quamdiu prefatus Robertus cum ipso rege in statu fuerat, omnia nostra et nostrorum ad votum expediebantur negocia, quod non ita sunt postmodum expedita. Ad que clare ac veridice eidem regi per nostras litteras respondimus, prout in eisdem litteris quas tue celsitudini communicari non ambigimus plenius poteris informari. Tuam itaque benivolentiam exhortamur in Domino et rogamus quatinus talibus detractoribus fidem non adhibeat sed tenere velit indubie que continent littere supradicte. Datum ut supra [XIIII kalendas decembris, anno decimo octavo]. »

5329 18 novembre 1333.

Archiepiscopo Rothomagensi de libello a fratre Thoma Anglico, ordinis Praedicatorum composito, de quaestione visionis animarum, de Arnaldo, vicecomite Caramanni ac de Turcorum facto. (Reg. 117, fol. 196 v°, c. 979 ; — Denifle et Chatelain, *Chartularium*, t. II, p. 427, n. 979 ; Vidal, *Bullaire de l'Inquisition*, p. 201, n. 137).

« *Petro, archiepiscopo Rothomagensi.* Fraternitatem tuam volumus non latere quod frater Thomas Anglicus, ordinis Predicatorum, qui propter aliqua erronea que in suo sermone dogmatizaverat captus fuit Avinione ab inquisitoribus heretice pravitatis, existens detentus a dictis inquisitoribus quendam libellum composuit ad sustinendum aliqua que dixerat in predicto sermone, in quo continentur errores certi, ut nonnulli magistri in theologia asserunt, quos tibi una cum libello predicto transmittimus per presentium portitorem. Item quod filio nostro in Christo carissimo Philippo regi Francie illustri scribimus, quod tibi auctoritates sacre Scripture et sanctorum, quas in nostris sermonibus induximus in questione illa, utrum anime separate a corporibus purgate videant divinam essentiam illa visione quam vocat apostolus facialem, ut ejusdem questionis, quam Augustinus interdum in scripturis suis reputavit difficilem, et in qua tam ipse quam alii doctores variasse dicuntur, veritas posset reperiri potius ad illum finem ut sibi illas si placeret audire, expo-

neres, duximus assignandas. Ideoque tuam prudentiam exhortamur in Domino et rogamus, ut ad exponendum auctoritates predictas sibi exhibeas te paratum. Et si dictas auctoritates, ut in recessu tuo nobis te facturum dixisti, vulgarizaveras, eidem regi ac filie nostre in Christo carissime Johanne regine Francie illustri ipsas vulgarizatas studeas assignare, tibi duximus transmittendas ac in premissis et aliis Dei Ecclesiam tangentibus juxta morem te habeas diligenter. Super favore [exhibito] per nos et dilectum filium nobilem virum Arnaldum vicecomiten Caramanni nepotem nostrum, illis principi et nobili regi et regine predictis scribimus quorum insinuatio admodum extitit nobis grata. Super facto Turcorum nobis scripsit rex predictus quid intendat facere, super quo nos sibi scribimus quod fecimus circa illud et quid nobis expediens videatur. Datum ut supra [XIIII kalendas decembris, anno decimo octavo]. »

5330 18 novembre 1333.

Archiepiscopo Rothomagensi, de praesentatione regi quarundam litterarum passagium transmarinum tangentium. (Reg. 117, fol. 196 v°, c. 980).

« *Eidem archiepiscopo.* Non absque admiratione percepimus quod in die predicationis Crucis nulla fuit apostolica littera presentata, cum, sicut nosti, tuo nuncio littera patens que mittebatur principibus et aliis nobilibus super passagio transmarino, necnon et littera clausa recitativa processus habiti super indictione generalis passagii et aliorum que per nos et nuncios regios dicta fuerunt et facta, in crastino recessus tui de Curia, cum multis clausis litteris aliis per ipsum tibi fuerint assignate, de quibus quod eas assignaveris vel quid super illis feceris nec nobis intimare curasti. Ideoque litteras illas, scilicet patentem que principibus nobilibus ac clausam que regi dirigebantur predictis, regi mittimus per presentium portitorem, super quibus quid feceris et propter quid presentate non fuerint cura nos reddere certiores. Datum ut supra [XIIII kalendas decembris, anno decimo octavo]. »

5331 18 novembre 1333.

Guillelmo de Sancta Maura de devotione sua gratias agit. (Reg. 117, fol. 196 v°, c. 981).

« *Magistro Guillelmo de Sancta Maura, cancellario regio.* Devotionem ac benivolentiam quam ad Sanctam Ecclesiam, nos et nostros geris et in futurum constanter intendis gerere, tuarum nobis hec audientibus placide innotuit lectio litterarum, in quibus, fili, si constanter perstiteris et Dei ac Apostolice Sedis gratiam promereberis ampliorem nostraque gratia que te ut nosti prevenit in benedictionibus subsequetur. Nec te volumus ignorare quod grata nobis extitit admodum insinuatio quam dilecto in Christo Arnaldo vicecomiti Caramanni nepoti nostro per dilectum filium Bertrandum de Mier militem familiarem nostrum latorem presentium facere curavisti. Fac que cepisti et continua et Dominus erit tecum. Datum ut supra [XIIII kalendas decembris, anno decimo octavo]. »

5332 Avignon, 21 novembre 1333.

Berengario, abbati Vallismagnae indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 167, c. 847; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62140 et 62139).

« *Dilecto filio Berengario, abbati monasterii Vallismagne, Cisterciensis ordinis, Agathensis diocesis.* Sincere devotionis affectus — Datum Avinione, XI kalendas decembris, anno decimo octavo.

Item in e. m. Petro de Superatio, priori de Vallepompiniani, ordinis sancti Benedicti, Nemausensis diocesis. Datum ut supra. »

5333 Avignon, 30 novembre 1333.

Guichardo, domino Clariacii ejusque uxori indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 295, c. 1553; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62192).

« *Dilecto filio nobili viro Guichardo domino Clariacii, militi, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Guigone, dicte Humilie, ejus uxori, Vien-*

nensis diocesis. Provenit ex vestre — Datum Avinione, II kalendas decembris, anno decimo octavo.

In e. m. ut in proxima dilecto filio nobili viro Alberto, domino de Cassanatico, militi, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Margarite ejus uxori, Gratianopolitane diocesis. Datum ut supra. »

5334 Avignon, 30 novembre 1333.

Miloni, domino de Noeriis, negotia nobilis viri Domicelli familiaris sui commendat (Reg. 117, fol. 200 v°, c.954)

« *Miloni, domino de Noeriis.* Cum dilectus filius nobilis vir Domicellus familiaris noster quedam habere se asserat negocia in regali curia expedire, nos tam ipsum quam eadem negocia tue nobilitatis benivolentie propensius commendamus. Datum II kalendas decembris, anno decimo octavo. »

5335 1er décembre 1333.

Hugoni, episcopo Cabilonensi, ut quamdam pecuniae summam a Guillelmo episcopo Cabilonensi, praedecessore suo, Jacobo de Travano debitam Nicolao de Travano, civi Placentino, ejusdem Jacobi heredi, solvat. (Reg. 117, fol. 197, c. 982).

« *Hugoni, episcopo Cabilonensi.* Exposuit nobis dilectus filius Nicolaus de Travano, civis civitatis nostre Placentine, quod quondam Jacobus de Travano, patruus suus, cujus ipse heres existit, septuaginta et decem libras turonensium parvorum bone memorie Guilelmo Cabilonensi [episcopo] predecessori tuo pro certis ecclesie ac episcopatus tui Cabilonensis utilibus causis et necessariis negociis [mutuavit] gratis et liberaliter, sicut in litteris inde confectis plenius contineri dicitur. De qua quidem summa pecunie nec eidem civi nec dicto patruo suo dum viveret extitit ut asserit satisfactum. Nostre igitur provisionis remedio per eundem civem humiliter super hiis implorato, fraternitatem tuam requirimus attencius et in Domino exhortamur quatinus diligenter attendens quod, si premissa veritate nituntur, tu et ecclesia tua tenemini solvere dictam summam, de illa prefato civi quem tue benivolentie propensius commendamus satisfacias vel componas amicabiliter cum eodem, ita quod tua prudentia commendan[da] merito debeat super hoc, nec per nos, qui prefato civi non possemus in justicia deficere, sibi providere de alio in hac parte remedio sit necesse. Datum kalendis decembris, anno decimo octavo. »

5336 Avignon, 3 décembre 1333.

Arnaldo, electo Tutellensi, tempus recipiendi munus consecrationis usque ad tres menses prorogat. (Reg. 117, fol. 167, c. 848; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62220).

« *Dilecto filio Arnaldo, electo Tutellensi* (1). Tue devotionis sinceritas — Datum Avinione, III nonas decembris, anno decimo octavo. »

5337 Avignon, 3 décembre 1333.

Raymundo filio Bernardi de Valle concedit ut quoddam hospicium quod Avinione acquisivit, a taxationibus sit exemptum. (Reg. 117, fol. 296, c. 1555; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62216).

« *Dilecto filio Raymundo, nato dilecti filii Bernardi de Valle, clerico Caturcensis diocesis.* Proposita coram nobis tua petitio continebat quod tu quoddam hospicium situm prope ecclesiam Avinionensem, confrontatum cum cimiterio ejusdem ecclesie, carreria publica seu quibusdam habitationibus factis in eadem carreria intermediis ex parte una, et ex alia parte cum quadam alia carreria publica ab alia carreria inferius descendente, ac cum domo heredum quondam Johannis de Sadone, et ex altera parte cum domibus dilecti filii Johannis Dominici notarii acquisivisti, illudque reparatione indigens non modicum sumptuosa reparare intendis. Quare nobis humiliter supplicasti quod, ut melius et securius hospicium predictum construere, reparare ac manutenere ad tuum comodum valeas, ipsum ab assignationibus et taxationibus que de hospiciis et domibus solite sunt in Romana curia fieri de benignitate solita eximere dignaremur. Nos autem premissis diligentius intellectis, hospicium predictum ab assignationibus et taxationibus prelibatis auctoritate

(1) Reg. : *Tutellensis*.

apostolica eximimus, de gratia speciali taxatoribus hospiciorum Romane curie presentibus et futuris ac quibusvis aliis districtius inhibentes ut, quavis consuetudine contraria non obstante, dictum hospicium fratribus nostris Sancte Romane Ecclesie cardinalibus vel quibuscumque aliis personis nequaquam assignare aut taxare presumant absque tua tuorumque heredum et successorum voluntate seu licencia speciali. Nulli ergo etc... Datum Avinione, III nonas decembris, anno decimo octavo. »

5338 5 décembre 1333.

Arnaldo, antea abbati monasterii Belliloci, Cisterciensis ordinis, Ruthenensis diocesis, ut gubernationem monasterii Fontisfrigidi, ejusdem ordinis, Narbonensis diocesis, sibi post Petri quondam abbatis mortem commissam, suscipiat. (Reg. 117, fol. 190 v°, c. 955).

« *Arnaldo, abbati monasterii Fontisfrigidi, Cisterciensis ordinis, Narbonensis diocesis.* Pridem monasterio Fontisfrigidi Cisterciensis ordinis, Narbonensis diocesis, per obitum quondam Petri abbatis ejusdem monasterii, qui nuper in partibus illis diem clausit extremum, vacante, nos de provisione ipsius monasterii quam nobis certis causis rationabilibus reservaveramus ea vice specialiter cogitantes, et ad te tunc abbatem monasterii Belliloci ejusdem ordinis, Ruthenensis diocesis, dirigentes intuitum mentis nostre, ac sperantes in Domino quod per tuam solertem prudentiam utiliter dirigi poterat et in spiritualibus et temporalibus assistente tibi divina gratia prosperari, de te monasterio predicto Fontisfrigidi de consilio fratrum nostrorum providimus, teque illi prefecimus in abbatem. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus impositum tibi onus hujusmodi suscipiens reverenter, ad gubernationem prelibati monasterii Fontisfrigidi providam sic cures dirigere studia mentis tue quod spe nostra non frustremur hujusmodi, sed monasterium ipsum sub tuo fructuoso regimine bonis spiritualibus et temporalibus pocius amplietur, tuque preter perennis retributionem premii nostram et Apostolice Sedis benedictionem et gratiam ulterius merearis. Datum nonis decembris, anno decimo octavo. »

5339 Avignon, 8 décembre 1333.

Petro de Castaneto perficiendi permutationem quam Guillermus de Arenis, ebdomadarius Biterrensis, et Petrus Rebolli, parrochialis de Bassano, Biterrensis diocesis ecclesiarum, invicem facere intendunt facultatem concedit. (Reg. 117, fol. 167, c. 849 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62257).

« *Dilecto filio magistro Petro de Castaneto, archidiacono Belvacensi, capellano nostro, ducatus Spoletani rectori.* Cum sicut accepimus dilecti filii Guillermus de Arenis, ebdomadarius Biterrensis, ebdomadariam et Petrus Rebolli, parrochialis de Bassano Biterrensis diocesis ecclesiarum perpetuus vicarius, perpetuam vicariam quas in eisdem ecclesiis obtinent ex certis rationabilibus causis cupiant invicem permutare, nos votis eorum in hac parte favorabiliter annuentes, discretioni tue recipiendi auctoritate nostra ab eisdem Guillelmo et Petro vel eorum procuratoribus ad hoc plenum et speciale mandatum habentibus resignationem ebdomadarie et perpetue vicarie predictarum ex causa permutationis hujusmodi faciende eaque recepta conferendi eadem auctoritate perpetuam vicariam Guillelmo et ebdomadariam predictas Petro prefatis, cum omnibus juribus et pertinentiis eorumdem, ac inducendi per te vel alium seu alios Guillelmum in perpetue vicarie et Petrum predictos vel procuratores suos eorum nomine in ebdomadarie ac jurium et pertinentium predictorum corporalem possessionem, et defendendi inductos, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, faciendi quoque dictum Petrum ad ipsam ebdomadariam in dicta Bitterrensi ecclesia ut est moris admitti, ac Guillelmo de perpetue vicarie et Petro predictis de ebdomadarie prefatarum fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis integre responderi, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie Biterrensis contrariis juramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate vallatis, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in ecclesia seu diocesi prefatis speciales vel in illis partibus generales Sedis Apostolice vel legatorum ejus litteras impetrarint, etiam si per eas ad inibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus Guillelmum in perpetue vicarie et Petrum prefatos in ebdomadarie prelibatarum assecu-

tionem volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem hujusmodi vel aliorum beneficiorum prejudicium generari; seu si venerabili fratri nostro ..episcopo et dilectis filiis capitulo Biterrensibus seu quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, seu quod de hujusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem conjunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, seu si dictus Guillelmus presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie Biterrensis solitum juramentum, dummodo in absencia sua per procuratorem idoneum, et cum ad eccle iam ipsam advenerit corporaliter illud prestet plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Ceterum attentius provideas ne in permutatione hujusmodi ex parte resignantium predictorum vel alias aliqua pravitas quomodolibet intercedat. Volumus etiam quod ex collatione per te ut premittitur facienda nullum jus eisdem Guillelmo et Petro in perpetua vicaria et ebdomadaria prefatis quomodolibet acquiratur nisi ipsi tempore resignationis predicte jus habuerint in perpetua vicaria et ebdomadaria prefatis taliter resignatis; nos etiam ex nunc irritum decernimus et inane si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attemptari. Datum Avinione, VI idus decembris, anno decimo octavo.»

5340 Avignon, 9 décembre 1333.

Arnaldo de Verdala, ne Stephanum de Rocavilla, sacristam monasterii Psalmodiensis, ordinis sancti Benedicti, Nemausensis diocesis, ratione fructuum ejusdem sacristiae tempore vacationis perceptorum molestet (Reg. 117, fol. 167 v°, c. 850).

«*Dilecto filio magistro Arnaldo de Verdala, archidiacono Mirapiscensi, collectori fructuum beneficiorum ecclesiasticorum apud Sedem Apostolicam vacantium in civitate et diocesi ac provincia Narbonensibus auctoritate apostolica deputato.* Cum dilecto filio Stephano de Rocavilla, sacriste monasterii Psalmodiensis ordinis sancti Benedicti Nemausensis diocesis, fructus annales sacristie dicti monasterii quam ipse obtinet dudum apud Sedem Apostolicam vacantis per obitum bone memorie Bertrandi episcopi Tusculani, vigore reservationis per nos de fructibus beneficiorum ecclesiasticorum apud dictam Sedem vacantium sub certis modis et formis olim facte duxerimus certis considerationibus de speciali gratia remittendos, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus occasione dictorum annalium fructuum eundem sacristam vel obligatos pro eo super hoc non molestes. Datum Avinione, V idus decembris, anno decimo octavo.»

5341 Avignon, 9 décembre 1333.

Caercino Senhorelli perpetuam capellaniam ecclesiae de Sancto Remigio, Avinionensis diocesis, per mortem Petri Manescot vacantem dispositionique apostolicae reservatam, illa quam in ecclesia Sancti Agricoli Avinionensis tenebat dimissa, confert. (Reg. 117, fol. 295 v°, c. 1554; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62265).

«*Dilecto filio Caercino Senhorelli perpetuo capellano ecclesie collegiate de Sancto Remigio Avinionensis diocesis.* Ex tuis meritis — Datum Avinione, V idus decembris, anno decimo octavo.

Judicibus. Mandamus quatinus [vos] vel — Datum ut supra.»

5342 Avignon, 10 décembre 1333.

Vitali de Prinhaco, quod in ecclesia Parisiensi residendo fructus aliorum beneficiorum suorum ecclesiasticorum usque ad triennium, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, recipere possit. (Reg. 117, fol. 171, c. 863; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62267).

«*Dilecto filio magistro Vitali de Prinhaco, cantori ecclesie Parisiensis.* Litterarum scientia et —

Datum Avinione, IIII idus decembris, anno decimo octavo.

Judicibus. Quocirca mandamus quatinus — Datum ut supra.»

5343 Avignon, 13 décembre 1333.

Guillelmo, episcopo Electensi, quod fructus ecclesiae Electensis tempore vacationis post mortem Bartholomei, praedecessoris sui, perceptos a quibuscumque detentoribus recipiat et de eisdem Camerae respondet. (Reg. 117, fol. 168, c. 851).

« *Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Electensi.* Cum nos velimus de fructibus, redditibus, proventibus et obventionibus tue ecclesie Electensis, qui tempore vacationis ipsius per obitum bone memorie Bartholomei episcopi Electensis predecessoris tui obvenerunt, quomodolibet prout nobis videbitur ordinare, fraternitati tue, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, committimus et mandamus quatinus fructus, redditus, proventus et obventiones hujusmodi tam a dilectis filiis capitulo predicte ecclesie tue quam quibuscumque personis aliis ad quarum manus devenerint exactis super hoc rationibus legitimis facias assignari, ut de illis per te nomine nostro receptis possis nobis et nostre Camere prout inter te et Cameram ipsam condictum et ordinatum extiterit respondere, contradictores etc.. Volumus autem quod assignantes tibi dictos redditus, fructus, obventiones et proventus de hiis que tibi inde duxerint assignanda valeas absolvere plenius et quitare. Datum Avinione, idibus decembris, anno decimo octavo.»

5344 Avignon, 13 décembre 1333.

Guillelmo, episcopo Electensi, recipiendi ea quae de bonis quondam Bartholomei, episcopi Electensis, colligenda sunt solventesque quittandi facultatem concedit. (Reg. 117, fol. 168, c. 852).

« *Eidem episcopo.* Volentes dudum de bonis mobilibus bone memorie Bartholomei, episcopi Electensis, predecessoris tui, ex certis causis rationabilibus ad id nostrum animum moventibus prout nobis videretur expediens ordinare, dispositionem bonorum ipsorum in quibuscumque rebus consisterent nobis duximus specialiter reservandam, dilecto filio magistro Arnaldo de Verdala, archidiacono Mirapiscensi, collectore bonorum hujusmodi per nostras certi tenoris litteras deputato. Et licet idem archidiaconus aliqua de bonis ipsis auctoritate litterarum collegerit et receperit predictarum, quia tamen adhuc nonnulla de ipsis tam in debitis et creditis quam rebus aliis consistentia restant sicut accepimus colligenda, nos de tua fidelitate et circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, colligendi et recipiendi bona predicta quecumque sint et in quibuscumque rebus consistant, que adhuc colligenda restare noscuntur, necnon solventes, restituentes seu assignantes tibi bona predicta quitandi et absolvendi de hiis que inde receperis ab eisdem, restituendo eis quorum interest seu cancellari faciendo instrumenta obligationum super predictis factarum post integram exinde tibi satisfactionem impensam, plenam fraternitati tue concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione, idibus decembris, anno decimo octavo.»

5345 Avignon, 13 décembre 1333.

Arnaldo de Verdala, archidiacono Mirapiscensi, ut praefata bona ab eorum detentoribus dicto Guillelmo assignari faciat. (Reg. 117, fol. 168, c. 853).

« *Eidem archidiacono* [*Arnaldo de Verdala, archidiacono Mirapiscensi*]. Volentes etc — Datum ut supra [Avinione, idibus decembris, anno decimo octavo].»

5346 Avignon, 13 décembre 1333.

Eidem archidiacono ut quaedam bona dicti Bartholomei percepta praefato Guillelmo ad dispositiones praedecessoris sui complendas restituat. (Reg. 117, fol. 168 v°, c. 854).

« *Eidem archidiacono.* Volentes (1) etc... Sane cum prefatus Bartholomeus, episcopus de licencia Sedis Apostolice sibi sub certa forma concessa disposuerit nonnulla de bonis ipsis in pios usus erogari et dispensari, et inde suos servitores re-

(1) Cf. n. 5344.

munerari decenter, nos volentes quod ea que restant complenda de dispositione hujusmodi rationabiliter compleantur, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus quedam vasa argentea, libros, pecunias et alia per te de bonis per te collecta predictis in quibuscunque rebus consistant, que nobis tamen non assignaveris, venerabili fratri nostro Guillelmo, episcopo Electensi, ut exinde compleri dispositionem predictam faciat et de residuo prout sibi conscientia dictaverit ordinet, studeas assignare, faciendo exinde duo consimilia publica instrumenta confici res per te assignatas particulariter et distincte continentia, quorum uno penes te retento reliquum ad nostram mittere Cameram non postponas. Datum ut supra [idibus decembris, anno decimo octavo]. »

5347 13 décembre 1333.

Arnaldum de Verdala de certis bonis mobilibus quondam Bartholomei episcopi Electensis reservatis, quos Camerae assignaverat, quittat. (Reg. 117, fol. 310 v°, c. 1637).

« *Dilecto filio magistro Arnaldo de Verdala, archidiacono Mirapiscensi, Apostolice Sedis nuncio.* Cum de bonis — Datum Avinione, idibus decembris, anno decimo octavo. »

5348 18 décembre 1333.

Duci Britanniae, quod petitiones suae exaudiri non potuerunt. (Reg. 117, fol. 190 v°, c. 957).

« *Johanni, duci Britannie.* Nobilitatis tue litteras et nuncios exhibitores earum solita benignitate recepimus, et que continebant ipse littere dictique nuncii tam in Camera nostra quam in consistorio pro parte tua prudenter et eleganter curaverunt proponere intelleximus diligenter. Et licet ad ea que tuum commodum et honorem concernerent intenderemus libenter, quia tamen super propositis hujusmodi matura deliberatione cum fratribus nostris habita non valemus commode annuere votis tuis, habeat nos dictosque fratres et ipsos etiam nuncios qui circa hec apud nos diligenter et sedule institerunt tua prudentia, quesumus, excusatos. Datum XV kalendas januarii, anno decimo octavo. »

5349 Avignon, 23 décembre 1333.

Episcopo Vapincensi quod usque ad triennium loca ecclesiastica suae diocesis per aliquem sacerdotem idoneum reconciliare possit. (Reg. 117, fol. 298 v°, c. 1566 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62357).

« *Venerabili fratri Dragoneto, episcopo Vapincensi.* Desideriis tuis libenter — Datum Avinione, X kalendas januarii, anno decimo octavo ».

5350 Avignon, 1er janvier 1334.

Guillelmo episcopo Redonensi solemnisandi tempore prohibito matrimonium inter Johannem, vicecomitem Bellimontis, et Margaritam natam Ademarii de Pictavia, facultatem concedit. (Reg. 117, fol. 168 v°, c. 855 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62381).

« *Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Redonensi.* Cum super contrahendo matrimonio inter dilectum filium nobilem virum Johannem, vicecomitem Bellimontis, et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Margaritam, natam dilecti filii nobilis viri Ademari de Pictavia, certus tractatus habitus fuisse dicatur, nos, devotionis ipsorum exigentibus meritis, porrectis pro parte eorum nobis supplicationibus favorabiliter annuentes, fraternitati tue solennizandi dictum matrimonium si illud inter dictos Johannem et Margaritam contingat contrahi, etiam citra octabas festi Epiphanie Domini futuri proximo ac bannis publice non editis, in quavis parrochiali ecclesia seu capella vel extra in loco alio publice vel secrete prout tibi videbitur expedire, constitutionibus Romanorum pontificum predecessorum nostrorum ac statutis provincialibus seu sinodalibus quibuscumque in contrarium editis nequaquam obstantibus, liberam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione, kalendis januarii, anno decimo octavo. »

5351 Avignon, 1er janvier 1334.

Raymundo de Caruelis concedit ut fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad triennium percipere

possit, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (Reg. 117, fol. 185 v°, c. 922; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62383).

« *Dilecto filio Raymundo de Caruelis, canonico Agennensi.* Vite ac morum — Datum Avinione, kalendis januarii, anno decimo octavo.

Judicibus : venerabili fratri episcopo Carpentoratensi, ac Raymundo de Casetis, Caturcensis, et Viviano de Montealto, Ruthenensis canonicis ecclesiarum. Mandamus quatinus vos — Datum ut supra. »

5352 Avignon, 5 janvier 1334.

Arnaldo de Verdala et Raymundo de Picapollo ut bona quondam Amanevi, Auxitani archiepiscopi, recollecta ab aliis commissariis exigant. (Reg. 117, fol. 168 v°, c. 856).

« *Dilectis filiis magistris Arnaldo de Verdala, archidiacono Mirapiscensis, et Raymundo de Picapollo, rectori de Cinctagavella, Mirapiscensis diocesis ecclesiarum.* Dudum exactionem et collectionem bonorum mobilium bone memorie Amanevi archiepiscopi Auxitani, que ipse habebat tempore mortis sue, quorumcumque dispositionem nobis certis causis rationabilibus ad id nostrum inducentibus animum reservavimus, dilectis filiis Petro Jausencii, olim officiali Tholosano, et Raymundo de Duroforti, procuratori generali ordinis fratrum Predicatorum, tunc priori fratrum ejusdem ordinis Tholosanorum, per nostras certi tenoris litteras duximus deputandas, vobis quoscumque detentores seu debitores bonorum ipsorum ad illa predictis Petro et Raymundo restituenda et assignanda compellendi ratione previa per alias nostras litteras nichilominus potestate concessa, sicut in eisdem litteris plenius continetur. Sane cum prefati Petrus et Raymundus ac dilectus filius Aymericus Porterii junior, civis et campsor Tholosanus, quem ipsi tandem deputaverunt super recipiendis bonis hujusmodi loco sui plures pecuniarum summas de bonis receperint, sicut accepimus, antedictis, quas nondum Camere nostre vel alicui ejus nomine assignarunt nec de illis reddiderunt etiam rationes, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus vos et vestrum quilibet in solidum ab eisdem Petro et Raymundo ac Aymerico et quolibet ipsorum rationem legitimam nomine nostro et ejusdem Camere de receptis hujusmodi exigentes, eos et eorum quemlibet ad assignandum nobis dicto nomine pecunias quas ipsos per rationem hujusmodi vel alias summarie, simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii vobis constiterit recepisse per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis, nonobstante si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; super quibus omnibus necnon recipiendi ea que de bonis predictis adhuc restant colligenda vobis et vestrum cuilibet in solidum concedimus tenore presentium potestatem. Volumus autem quod de premissis omnibus que quomodolibet egeritis et receperitis prefatam Cameram clare, particulariter et distincte curetis reddere certiorem, quodque illos qui vobis assignaverint bona predicta possitis absolvere plenius et quitare de hiis que inde receperitis ab eisdem, faciendo super singulis assignationibus hujusmodi duo confici consimilia publica instrumenta quorum uno penes assignantes eosdem dimisso reliquum ad prefatam Cameram transmittatis. Datum Avinione, nonis januarii, anno decimo octavo. »

5353 Avignon, 9 janvier 1334.

Bertrando episcopo Ostiensi, Apostolicae Sedis legato, ut procuret quod fratres monasterii Sancti Antonii, ordinis sancti Augustini, Viennensis diocesis, non convertant in usus illicitos ea quae in questis largiuntur. (Reg. 117, fol. 254 v°, c. 1301).

« *Eidem [Bertrando, episcopo Ostiensi, Apostolice Sedis legato].* Cum fratres monasterii Sancti Antonii, ordinis sancti Augustini, Viennensis diocesis, in domibus ejusdem monasterii consistentibus infra tue legationis terminos commorantes, ea que in questis per eos solitis facere largiuntur eisdem et fidelibus in usus frequenter illicitos convertere seu consumere asserantur, nos de illo cupientes provideri remedio per quod in hac parte fratribus ipsis delinquendi subtrahatur materia, domorum ipsorum provideatur indempnitatibus ac divino beneplacito votisque fidelium satisfiat, fraternitati

tue per apostolica scripta mandamus quatinus in partibus tue legationis predicte procures per ordinationem tuam salubrem providere quod omnia que de questis eisdem fratribus ipsis provenient, aut in constructionibus vel reparationibus domorum ipsarum seu in acquirendis redditibus et possessionibus ad opus domorum earundem perpetuis, vel in alendis, pascendis et sustentandis infirmis et pauperibus ad ipsas domos convenientibus diligenter et fideliter fraude cessante qualibet expendantur. Datum Avinione, V idus januarii, anno decimo octavo.»

5354 Avignon, 12 janvier 1334.

Petronillae, relictae Aymerici Radulphi, indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 167, p. c. 847).

« Item in e. m. (1) dilecte in Christo filie Petronille, relicte quondam Aymerici Radulphi, Caturcensis diocesis, verbis competentibus mutatis. Datum Avinione, II idus januarii, anno decimo octavo.»

5355 Avignon, 12 janvier 1334.

Reservationem fructuum omnium beneficiorum vacantium usque ad unum annum sub certis formis prorogat. (Reg. 117, fol. 169, c. 857).

« *Ad futuram rei memoriam.* Dudum necessitate multiplicium onerum que incessanter nostre Camere incumbebant attenta, raritateque proventuum ejusdem Camere ad eadem onera supportanda nequaquam sufficientium diligenti deliberatione pensata, pro hujusmodi oneribus supportandis facilius et aliqualiter relevandis fructus, redditus et proventus omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura, etiam dignitatum, personatuum et officiorum quorumlibet ecclesiasticorum tunc apud Sedem Apostolicam vacantium et unius anni tam illorum quam aliorum que usque ad unum annum extunc in antea computandum apud dictam Sedem vel alibi vacare contingeret, ex generali vel speciali reservatione ad nostram collationem vel dispositionem immediate spectantia, ecclesiis tamen cathedralibus et abbatiis regularibus ac beneficiis ex causa permutationis tunc seu infra tempus reservationis hujusmodi vacantibus dumtaxat exceptis, reservandos auctoritate apostolica et eidem Camere pro utiliori et faciliori dictorum onerum relevatione sub certis formis, modis et conditionibus duximus applicandos, decernentes tunc irritum et inane si secus de hujusmodi fructibus, redditibus et proventibus per aliquem vel aliquos contingeret attemptari, ac deinde de anno in annum usque ad VIII kalendas februarii proximo futuri reservationem, applicationem et decretum hujusmodi ex eisdem causis et rationibus per diversas nostras litteras extendenda providimus, sub modis formis et conditionibus infrascriptis. Voluimus namque quod eadem Camera vel illi qui per eam ad collectionem fructuum, redditum et proventuum deputarentur hujusmodi, partem illam pro qua unumquodque beneficiorum ipsorum taxatum est ad decimam, vel residuum super quo eidem Camere ac deputandis ab ea relinquimus optionem, vel medietatem beneficii cujuslibet quod non est taxatum ad decimam exigerent et reciperent, alia parte seu residuo fructuum, redditum et proventuum predictorum pro debitis exibendis serviciis et oneribus supportandis obtinentibus beneficia ipsa dimissis. Quodque si ex consuetudine, privilegio vel statuto fructus beneficiorum vacantium primi anni ecclesiarum fabricis seu defuncto deberentur aut hiis vel aliis essent usibus applicandi, Camera predicta illos juxta tenorem reservationis et applicationis nostrarum predictarum premissis non obstantibus reciperet primo anno, illi vero quibus dicti fructus redditus et proventus primi anni ut premittitur deberentur illos sequenti anno perciperent, sicut primo anno debebant percipere, si nostra reservatio hujusmodi non obstaret. Preterea voluimus quod dicti fructus primi anni exigerentur per unum annum integrum a die vacationis cujuslibet beneficii inchoandum. Item quod collectores et subcollectores super hoc deputandi de fructibus beneficiorum illorum que de jure et non de facto dicerentur vacare se pretextu reservationis predicte nullatenus intromitterent, nisi per nos vel auctoritate nostra collata essent ut sic vacantia, vel mandatum haberent super hoc speciale. Ulterius in ultima extensione reservationis et applicationis dictorum fructuum per nos

(1) Cf. n. 5332.

facta, voluimus quod si contingeret aliquod beneficium bis vel pluries eodem anno vacare, fructus illius pro dicta Camera exigerentur a die prime vacationis ipsius usque ad ultimam vacationem infra eundem annum ut predicitur contingentem, et ab eadem ultima vacatione usque ad unum annum ab ea continue computandum, moderatione tamen expressa superius observata. Voluimus insuper quod de beneficiis de jure vacantibus postquam per nos vel auctoritate nostra collata essent et illi quibus de ipsis provisum existeret possessionem illorum obtinerent, vel per eos staret quominus illam haberent, fructus unius anni a die adeptionis possessionis hujusmodi computandi exigerentur pro Camera supradicta juxta moderationem premissam dumtaxat, nisi de pluribus annis per quos beneficia ipsa vacassent vellemus et mandaremus per alias nostras litteras plus haberi. Si vero aliquis tale beneficium quod de jure diceretur vacare obtinens et contrarium asserens vellet contra impetrantem per viam justicie se juvare, prestita per ipsum cautione ydonea de fructibus unius anni persolvendis predicte Camere seu collectoribus ab ea deputatis, cum ipsum per sententiam jus in tali beneficio non habere constabit, ipsum lite durante ratione dictorum fructuum noluimus pretextu reservationis nostre hujusmodi molestari; quas quidem ordinationes factas in novissima extensione predicta tantum extendi voluimus ad fructus beneficiorum illorum que apud dictam Sedem antea vacaverant vel tunc vacabant aut vacarent imposterum qui tunc collecti non erant nomine Camere sepedicte. Super collectis vero tunc fructibus hujusmodi pretextu ordinationum ipsarum prefatam Cameram et quosvis collectores aut subcollectores super hoc deputatos posse noluimus aliquo tempore molestari, sicut in supradictis litteris plenius continetur. Sane cum terminus extensionis ultime predicte instare noscitur, nondum necessitatibus onerum Camere prelibate subductis, nos reservationem, applicationem et decretum predicta ab eodem termino ultimo qui erit VIII kalendas febroarii futuri proximo ut superius est expressum usque ad unum annum continuum ex tunc continue computandum sub modis, formis et conditionibus suprascriptis tenore presentium extendimus ac etiam prorogamus. Et ut hujusmodi fructus, redditus et proventus melius et commodius exigantur ac etiam colligantur, volumus quod venerabilis frater Gasbertus, archiepiscopus Arelatensis, camerarius noster, per ordinarios in quorum civitatibus et diocesibus consistunt seu consistent beneficia hujusmodi vel per officiales eorum aut alios de quibus sibi videbitur dictos fructus, redditus et proventus exigi predicte Camere nostre nomine faciat et levari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus exemptionis aut quibusvis aliis privilegiis, gratiis seu litteris apostolicis quibuscumque personis aut locis sub quacumque forma vel expressione verborum ab eadem Sede concessis, etiam si de illis esset specialis et expressa ac de verbo ad verbum in presentibus mentio facienda, seu statutis et consuetudinibus contrariis ecclesiarum et monasteriorum in quibus beneficia fuerint supradicta, vel si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Preterea volumus quod illi qui per eandem Cameram deputabuntur ad collectionem predictam subcollectores suos deputare valeant eosque revocare et alios surrogare ubi et quando ac quociens erit oportunum. Nulli ergo etc... Datum Avinione, II idus januarii, anno decimo octavo.»

5356 Avignon, 12 janvier 1334.

Guillermo Unaldi, quod litterarum studio insistendo, distributiones integras praebendae suae ecclesiae Albiensis in quatuor anni festivitatibus et augmentum distributionum usque ad triennium in absentia recipere possit. (Reg. 117, fol. 171, c. 864; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62442).

«*Dilecto filio Guillermo Unaldi de Lantario, canonico Albiensi.* Nobilitatem generis, vite — Datum Avinione, II idus januarii, anno decimo octavo.»

5357 Avignon, 12 janvier 1334.

Abbati Leratensi et Sancti Salvi ac ecclesiae Tholosanae praepositis ut eidem Guillermo dictas distributiones assignari faciant. (Reg. 117, fol. 171 v°, c. 865).

« *Judicibus* : .. *abbati Leratensis, Rivensis diocesis, et Sancti Salvi Albiensis per prepositum soliti gubernari monasteriorum ac ecclesie Tholosane prepositis.* Quocirca discretioni vestre — Datum ut supra. »

5358 Avignon, 12 janvier 1334.

Johanni Unaldi de Lantario, quod litterarum studio insistendo, fructus praebendae suae Turonensis ecclesiae in absentia usque ad triennium percipere possit, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (Reg. 117, fol.171 v°, c. 866 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62443).

« *Dilecto filio Johanni Unaldi de Lantario, canonico ecclesie Sancti Martini Turonensis.* Nobilitatis generis, vite — Datum ut in alia [Avinione, II idus januarii, anno decimo octavo].

Judicibus ut in proxima (1). Mandamus quatinus vos — Datum ut supra. »

5359 13 janvier 1334.

Guillelmo de Garvello concedit ut, non obstante tempore jam elapso, ad presbyteratus ordinem, ratione ecclesiarum Sancti Petri et Sancti Jacobi de Villario Savarico se facere promoveri et in eis residere, studio juris insistendo, usque ad unum annum vel minime non teneatur. (Reg. 117, fol. 169 v°, c. 858 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62450).

« *Dilecto filio Guillelmo de Garvello, Sancti Petri et Sancti Jacobi de Villario Savarico ecclesiarum parrochialium ad invicem annexarum seu unitarum Sancti Papuli diocesis rectori.* Exigentibus tue devotionis — Datum Avinione, idibus januarii, anno decimo octavo. »

5360 Avignon, 13 janvier 1334.

Universis archiepiscopis et episcopis regni Franciae ut omnes illos qui transfretabunt cum rege Franciae in passagio Terrae Sanctae pronuntient non teneri ad alia vota si qua emiserunt nisi dictum passagium tangentia. (Reg.106, fol. 8, c.18 ; Reg. Avin. 46, fol. 155, taxe XXIV ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63881).

« *Venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis per regnum Francie constitutis, salutem.* Dignum et debitum — Datum Avinione, idibus januarii, anno decimo octavo. »

5361 Avignon, 13 janvier 1334.

Universis archiepiscopis et episcopis regni Franciae ut arreragia decimae regi Franciae concessae exigant. (Reg. 106, fol. 8, c. 19 ; Reg. Avin. 46, fol. 155, taxe XXX ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63882).

« *Venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis per regnum Francie constitutis, salutem.* Dudum personam carissimi — Datum Avinione, idibus januarii, anno decimo octavo. »

5362 Avignon, 13 janvier 1334.

Quasdam ordinationes per Philippi regis Franciae procuratores de Terrae Sanctae subsidio relatas ad ejusdem regis instantiam modificatas confirmat. (Reg. 106, fol. 9, c. 20 ; Reg. Avin. 46, fol. 157).

« *Ad futuram rei memoriam.* Nuper carissimus in — Datum Avinione, idibus januarii, anno decimo octavo. »

5363 Avignon, 15 janvier 1334.

Hugoni de Veyraco, subdiacono, quod ratione ecclesiae de Ventenaco usque ad biennium ad superiores ordines se facere promoveri non teneatur. (Reg. 117, fol. 170, c. 859 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62456).

« *Dilecto filio Hugoni de Veyraco, rectori ecclesie de Ventenaco, Appamiensis diocesis.* Probitatis tue meritis — Datum Avinione, XVIII kalendas febroarii, anno decimo octavo. »

(1) Cf. n. 5357.

5364 17 janvier 1334.

Comitissae Alenconii ut Carolum comitem Alenconii virum suum ad tractandum amicabiliter cum Johanne dalphino Alverniae inducat. (Reg. 117, fol. 197, c. 983).

« *Johanne, comitisse Alenconii.* Percepto dudum quod inter dilectos filios nobiles viros Carolum, comitem Alenconii, virum tuum, ex parte una, et Johannem, dalfinum Arvernie, ex altera lis super quibusdam bonis diucius in curia Francie fuerit agitata, nos desiderantes attente quod dicta questio absque judiciorum strepitu tractatu amicabili vel judicio sopiretur, prefato comiti scripsisse recolimus [quod] ut lis ipsa sublatis nocivis prolixitatibus terminaretur secundum justiciam vel sopiretur amicabiliter suum animum inclinaret. Cum autem id Deo gratum et utrique parti expediens videatur, nobilitatem tuam rogamus attencius quatinus super hoc tue partes solicitudinis efficaciter interponas. Datum XVI kalendas febroarii, anno decimo octavo. »

5365 Avignon, 21 janvier 1334.

Reginae Franciae plenam indulgentiam concedit sicut conceditur illis qui transfretabunt ad recuperandam Terram Sanctam. (Reg. 106, fol. 6, c. 14 ; Reg. Avin. 46, fol. 152 v°, taxe XX ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63884).

« *Johannes episcopus, servus servorum Dei, carissime in Christo filie Johanne regine Francie illustri salutem et apostolicam benedictionem.* Regnum Francie orthodoxum — Datum Avinione, XII kalendas febroarii, anno decimo octavo. »

5366 Avignon, 21 janvier 1334.

Johanni duci Normanniae eamdem indulgentiam concedit. (Reg. 106, fol. 6, c. 15 ; Reg. Avin. 46, fol. 152 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63885).

« *Dilecto filio nobili viro Johanni de Francia duci Normannie, salutem etc...* Regnum Francie orthodoxum etc... ut in prima superiori usque Philippus rex Francorum illustris genitor tuus magnifica Redemptoris beneficia etc... ut in eadem usque prosequetur quo regnum suum predictum personis prudentibus et notabilibus commiserit in ejus absentia gubernandum quodque persone hujusmodi tanto libentius hujusmodi gubernationem assument et gerent fidelius quanto ex hoc majorem gratiam se noverint percepturos. Considerantes quoque plurima commoda que dicto regi necnon incolis dicti regni ac memorato passagio Deo cujus agitur negotium annuente per tuam presentiam in absentia dicti regis poterunt provenire, et ob hoc summe utile ymmo necessarium reputantes ut tu, rege ipso passagium hujusmodi personaliter prosequente, in dicto regno remaneas, de statu ipsius et regine curam solicitam habiturus, ac propterea reputantes congruum ut te indulgentiarum concessarum transfretationis in dicto passagio parem in ipsis per omnia faciamus etc... usque de quibus veraciter corde contritus et ore confessus fueris dicto tamen rege passagium hujusmodi personaliter prosequente et te in regno eodem ut predicitur remanente veniam indulgemus etc... per totum usque in finem. Datum Avinione, XII kalendas febroarii, anno decimo octavo. »

5367 Avignon, 26 janvier 1334.

Abbati secularis Dauratensis ecclesiae et Arelatensis Grassensisque ecclesiarum praepositis, ut magistro Guillemo Bos, praeposito ecclesiae Forojuliensis, Camerae clerico, fructus beneficiorum suorum ministrari faciant, vigore constitutionis factae de residentibus apud Sedem Apostolicam. (Reg. 117, fol. 296, c. 1556 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62563).

« *Judicibus : dilectis filiis .. abbati secularis Dauratensis, Lemovicensis diocesis et .. Arelatensis ac .. Grassensis prepositis ecclesiarum.* Cum jamdudum ordinaverimus — Datum Avinione, VII kalendas febroarii, anno decimo octavo. »

5368 Avignon, 26 janvier 1334.

Praeposito Avinionensis et Agathensis ac Meldensis ecclesiarum archidiaconis similiter (1) pro magistro Guillelmo de Petrilia, canonico Aniciensi Camerae clerico.

(1) Cf. n. 5367.

(Reg. 117, vol. 296 v°, c. 1557 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62564).

« *Judicibus : dilectis filiis .. preposito Avinionensis et.. Agathensis ac.. Meldensis archidiaconis ecclesiarum.* Cum jamdudum — Datum ut supra [Avinione, VII kalendas febroarii, anno decimo octavo]. »

5369 29 janvier 1334.

Comiti Flandriae magistrum Philippum de Arbosio, canonicum Tornacensem nuncium suum, cujus moram excusat, recepisse nuntiat eumque hortatur ut super emptione villae Macliniensis compromittat. (Reg. 117, fol. 197, c. 985 ; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 709, n. 3534).

« *Comiti Flandrie.* Nobilitatis tue litteras per dilectum filium magistrum Philippum de Arbosio (1) canonicum Tornacensem, clericum et nuncium tuum, nostro apostolatui presentatas ipsumque nuncium benigne recepimus, et que ipse pro parte tua curavit proponere dicteque littere continebant intelleximus diligenter, illis per eum oblatis petitionibus, quibus secundum Deum potuimus, favorabiliter annuentes, sicut ipse, quem super mora per ipsum contracta in Curia cum aliis arduis prepediti negociis citius sibi respondere nequiverimus, excusamus et de solicitudine circa ea que coram nobis habuit agere commendamus, tue prudentie referre poterit viva voce. Sane cum asseratur per aliquos emptionem que per te, fili, de villa Macliniensi facta fuisse dicitur nequaquam posse de jure fulciri, eandem nobilitatem exhortamur in Domino attencius et rogamus quatinus, consideranter attendens quod ex dissentione pretextu emptionis hujusmodi suscitata strages corporum, lapsus rerum et animarum pericula, que tibi apud Deum et homines imputarentur, forsitan possent sequi, prompte velit tua circumspectio consentire quod cessantibus bellicis congressibus et commotionibus hostilibus, eadem dissensio per viam justicie vel tractatus amicabilis terminetur. Datum IIII kalendas febroarii, anno decimo octavo. »

(1) Reg. : *Arbosis.*

5370 Avignon, 1er février 1334.

Johanni Burgensi quod jura civilia usque ad triennium audire possit. (Reg. 117, fol. 170, c. 860).

« *Dilecto filio Johanni Burgensi, preposito ecclesie Suessionensis.* Desiderantium imbui scientia litterarum eo benignius est desideriis annuendum quo major ex eorum meritis potest ecclesiis utilitas provenire. Cum itaque sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, tu amore scientiarum allectus juris civilis studio, ut equm ab iniquo et licitum ab illicito discernere valeas, cupias immorari, nos tuis hac parte devotis supplicationibus inclinati, ut usque triennium leges audire et legere licite valeas in loco ubi studium vigeat generale, felicis recordationis Innocentii pape III predecessoris nostri et qualibet alia constitutionibus in contrarium editis seu quod prepositurum ecclesie Suessionensis obtines nequaquam obstantibus, auctoritate tibi presentium indulgemus, proviso quod prepositura predicta debitis interim obsequiis non fraudetur. Nulli ergo etc... Datum Avinione, kalendis febroarii, anno decimo octavo. »

5371 Avignon, 1er février 1334.

Johanni de Castronovo indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 170, c. 861 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62596).

« *Dilecto filio Johanni de Castronovo, sacriste ecclesie Lugdunensis.* Pure devotionis affectus — Datum Avinione, kalendis febroarii, anno decimo octavo.

Item in e. m. dilecto filio Seguino de Noalhaco, rectori ecclesie parrochialis de Casilhaco, Caturcensis diocesis. Datum ut in prima. »

5372 2 février 1334.

Regi Siciliae jura quae magistro Jacobo Ardoini fratribusque ejus in castro Valerne, Vapincensis diocesis, pertinere dicuntur et a gentibus regiis occupantur commendat. (Reg. 117, fol. 233, c. 1172).

« *Eidem regi* [*Sicilie*]. Cum certa jura que in castro Valerne, Vapincensis diocesis, ad dilectum

filium magistrum Jacobum Ardoini, consiliarium regium ejusque fratres et successores quondam Jacobi Ardoini militis, patris eorum, sicut ex parte ipsorum asseritur, pertinent, detineri dicantur in eorum prejudicium per gentes regias occupata, regalem excellentiam attentius deprecamur quatinus super juribus hujusmodi faciat exhiberi predictis fratribus celeris justicie complementum, eos nichilominus habendo pro nostra et Apostolice Sedis reverencia sicut honeste fieri poterit super hiis et aliis suis negociis favorabiliter commendatos. Datum IIII nonas febroarii, anno decimo octavo.»

5373 Avignon, 4 février 1334.

Guidoni Radulphi quod quotidianas distributiones integras praebendae suae ecclesiae Albiensis in quatuor anni festivitatibus augmentumque distributionum ac fructus ejusdem praebendae usque ad triennium in absentia percipere possit (Reg. 117, fol. 172 v°, c. 867 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62607).

«*Dilecto filio magistro Guidoni Radulphi, archidiacono Agathensi, thesaurario et familiari nostro.* Grata tue devotionis — Datum Avinione, II nonas febroarii, anno decimo octavo.»

5374 Avignon, 4 février 1334.

Archidiacono Montismirabilis, Arnaldo de Verdala et Stephano de Rocolis ut praedictos fructus et distributiones eidem Guidoni ministrari faciant. (Reg. 117, fol. 172 v°, c. 868).

«*Judicibus : dilectis filiis .. archidiacono Montismirabilis in ecclesia Albiensi, Arnaldo de Verdala, Narbonensis, et Stephano de Rocolis Carnotensis ecclesiarum canonicis.* Quocirca discretioni vestre — Datum ut supra.»

5375 Avignon, 5 février 1334.

Petro Bellihominis, quod in presbyterum se facere promoveri usque ad triennium non teneatur. (Reg. 117, fol. 177, c. 887 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62618).

«*Dilecto filio Petro Bellihominis, rectori parrochialis ecclesie Sancti Pauli de Claromonte, Lodovensis diocesis, familiari nostro.* Grata tue familiaritatis — Datum Avinione, nonis febroarii, anno decimo octavo.»

5376 Avignon, 8 février 1334.

Galhardo de Antigiaco quod ratione ecclesiae de Cariech ad superiores ordines se facere promoveri usque ad triennium non teneatur iterum concedit. (Reg. 117, fol. 170 v°, c. 862 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62660).

«*Dilecto filio Galhardo de Antigiaco, rectori parrochialis ecclesie de Cariech, Caturcensis diocesis, familiari nostro.* Tue grata familiaritatis — Datum Avinione, VI idus febroarii, anno decimo octavo.»

5377 Avignon, 10 février 1334.

Blanchae, uxori Berengarii de Ucecia, indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 170 v°, p. c. 861 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62680).

« Item in e. m. (1) dilecte in Christo filie nobili mulieri Blanche, dilecti filii nobilis viri Berengarii de Ucecia, militis, domini de Vicinobris, Nemausensis diocesis, uxori. Datum Avinione, IIII idus febroarii, anno decimo octavo.»

5378 10 février 1334.

Philippo de Sangineto ne ratione focagii in comitatibus Provinciae et Forcalquerii occasione sponsaliorum filii Caroli regis Ungariae et natae quondam Caroli ducis Calabriae exigendi quosdam praelatos et barones subditos Forojuliensis aliarumque ecclesiarum cathedralium Provinciae molestet. (Reg. 117, fol. 302, c. 1587).

«*Nobili viro Philippo de Sangineto, senescallo regio comitatuum Provincie et Forcalquerii.* Non sine admiratione percepimus quod pretextu litterarum regiarum tibi ut asseritur directarum super exigendo in comitatibus Provincie et Forcalquerii fogagio occasione sponsalium pro inclitis infantibus .. filio carissimi in Christo filii nostri Caroli, regis

(1) Cf. n. 5371.

Ungarie illustris, et nata quondam Caroli, ducis Calabrie, primogeniti carissimi in Christo filii nostri Roberti regis Sicilie illustris, per eosdem reges et regnorum ipsorum nonnullos prelatos et barones ut tunc poterit fieri contractorum, subditos Forojuliensis et aliarum ecclesiarum Provincie cathedralium, contra libertates quas habere dicuntur eedem ecclesie, satagis molestare. Quocirca nobilitatem tuam rogamus attente quatinus hujusmodi libertates ecclesiis ipsis observans, a molestatione predicta que contra ipsas fieri dicitur, saltem quousque ab eodem rege Sicilie cui super hoc scribere intendimus responsum recepimus, desistere non omittas. Datum IIII idus febroarii, anno decimo octavo. »

5379 Avignon, 11 février 1334.

Viernae de Castronovo indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 170, p. c. 861 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62682).

« Item in e. m. (1) dilecte in Christo filie nobili mulieri Vierne de Castronovo, vidue, Vivariensis diocesis. Datum Avinione, III idus febroarii, anno decimo octavo. »

5380 11 février 1334.

Aymoni comiti Sabaudiae, ut moderatorem Graecorum, sororium suum, ad Ecclesiae catholicae unitatem redire hortetur. (Reg. 117, fol. 301 v°, c. 1582).

« *Aymoni, comiti Sabaudie.* Desideriis affectantes intensis moderatorem Grecorum, sororium tuum, redire ad Ecclesie sancte catholice unitatem, eidem super hoc necnon dilecte in Christo filie nobili mulieri Johanne de Sabaudia consorti sue germaneque tue, ut ipsum virum suum ad id inducere sedule studeat, per litteras scribere intendimus oportunas; et quia crederemus admodum expediens quod tu, fili, prefatis moderatori ut ad reductionem hujusmodi salutiferam se disponeret, dicteque consorti sue (2) ut eum ad hoc exhortationibus sedulis induceret, per tuas scriberes litteras efficaces, nobilitatem tuam attentius deprecamur quatinus hoc facere non omittas. Datum III idus febroarii, anno decimo octavo. »

(1) Cf. n. 5371.
(2) Reg. : *tue.*

5381 Avignon, 12 février 1334.

Interdictum cui villa de Vico, Auxitanae diocesis, supposita est usque ad festum Dedicationis beati Michaelis suspendit. (Reg. 117, fol. 185 v°, c. 921 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62693).

« *Dilectis filiis consulibus et universitati ville de Vico, Auxitane diocesis.* De benignitate Sedis Apostolice solita volentes vobiscum agere gratiose, vestris supplicationibus inclinati interdictum cui ex processibus venerabilis fratris nostri Guillelmi, archiepiscopi Auxitani seu ejus auctoritate contra vos factis et habitis vel provincialium constitutionum Auxitane provincie vigore villa vestra supposita esse dinoscitur, ex certis rationabilibus causis ad id nos inducentibus usque ad festum Dedicationis beati Michaelis futurum proxime tenore presentium duximus suspendendum. Nulli ergo etc... Datum Avinione, II idus febroarii, anno decimo octavo. »

5382 Avignon, 14 février 1334.

Ludovico, comiti Flandriae tempus, complendi votum limina beati Jacobi visitandi prorogat. (Reg. 117, fol. 173, c. 872 ; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 712, n. 3545 ; *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62712).

« *Dilecto filio nobili viro Ludovico, comiti Flandrie.* Devotionis tue sinceritas — Datum Avinione, XVI kalendas marcii, anno decimo octavo. »

5383 15 février 1334.

Amalrico, primogenito Aymerici, vicecomitis Narbonensis, et Mariae de Caneto, quod matrimonium eorum tempore prohibito solemnisari facere possint. (Reg. 117, fol. 173, c. 873 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62714).

« *Dilecto filio nobili viro Amalrico, primogenito dilecti filii nobilis viri Aymerici, vicecomitis Narbonensis, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie de Caneto, Elnensis diocesis.* Exigit vestre devotionis — Datum XV kalendas marcii, anno decimo octavo. »

5384 Avignon, 16 février 1334.

Jacobo Gueyte indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 170 v°, p. c. 861 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62717, 62716, 62719).

« Item in e. m. (1) dilecto filio Jacobo Gueyte, civi Claromontensi. Datum Avinione, XIIII kalendas marcii, anno decimo octavo.

Item in e. m. Matheo Gueyte, civi Claromontensi.

Item in e. m. dilecto filio nobili viro Itherio de Podio Ademarii et dilecte in Christo filie nobili mulieri Ermessendi, ejus uxori, Pictavensis diocesis. Datum ut supra. »

5385 Avignon, 19 février 1334.

Guidone de Chalencono et Isabelli, natae Johannis, dalfini Alverniae, quod non obstante quarto consanguinitatis gradu matrimonium invicem contrahere possint. (Reg. 117, fol. 173 v°, c. 874 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62728).

« *Dilecto filio nobili viro Guidoni de Chalencono, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Isabelli, nate dilecti filii nobilis viri Johannis, dalfini Alvernie.* Etsi conjunctio copule — Datum Avinione, XI kalendas marcii, anno decimo octavo. »

5386 19 février 1334.

Imberto dalphino Viennensi ut conventiones inter B., archiepiscopum Ebredunensem et Guigonem dalphinum Viennensem prius factas observet nec permittat a gentibus suis dictum archiepiscopum gravari. (Reg. 117, fol. 301 v°, c. 1585).

(1) Cf. n. 5371.

« *Eidem dalfino* [*Imberto*]. Intelleximus quod gentes et officiales tui contra certas ordinationes et conventiones inter venerabilem fratrem nostrum B. archiepiscopum Ebredunensem ex parte una, et quondam Guigonem dalfinum Viennensem germanum et predecessorem tuum ex altera, magna deliberatione previa factas et per Sedem Apostolicam confirmatas ac antiquas consuetudines observatas diutius venientes, nonnullas prejudiciales novitates contra memoratum archiepiscopum et suam Ebredunensem ecclesiam, instigati forse per emulos dicti archiepiscopi, facere moliuntur. Cum autem id te sustinere non deceat, presertim eodem archiepiscopo nostris et Ecclesie Romane obsequiis ad presens sicut tua novit prudentia in remotis partibus insistente, nobilitatem tuam hortamur attentius et rogamus quatinus ab eisdem novitatibus gentes et officiales predictos cohercens, ordinationes et conventiones predictas facias observari, habiturus nichilominus memoratos archiepiscopum et ecclesiam eorumque officiales et gentes pro nostra et ejusdem Sedis reverentia favorabiliter commendatos. Datum XI kalendas marcii, anno decimo octavo. »

5387 19 février 1334.

Guillelmo archiepiscopo Brundisino ut eumdem dalphinum ad praefata inducat. (Reg. 117, fol. 302 v°, c. 1586).

« *Guillelmo, archiepiscopo Brundisino.* Intelleximus etc. — Datum ut supra [XI kalendas marcii, anno decimo octavo] ».

5388 21 février 1334.

Regi Siciliae Bertrandum de Sancto Genesio et Raymundum de Salgis nuntios suos commendat. (Reg. 117, fol. 233, c. 1173).

« *Eidem regi* [*Sicilie*]. Obtantes te, fili carissime, super hiis pro quibus venerabilis frater noster Petrus, episcopus Leonensis, ad tue celsitudinis presentiam et partes illas per carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francie illustrem, mittitur, promptum et favorabilem, quantum

convenienter fieri poterit, reperiri, dilectis filiis magistris Bertrando de Sancto Genesio, decano Engolismensis, et Raymundo de Salgis, canonico Aurelianensis ecclesiarum, capellanis nostris scribimus ut ipsi, vel alter eorum qui commodius poterit, pro parte nostra una cum eodem episcopo apud tuam excellentiam super predictis insistere non omittant. Quocirca regalem providentiam attentius deprecamur quatinus eosdem capellanos nostros, vel eorum alterum qui regalem super hoc adierit presentiam audire velit favorabiliter et benigne. Datum IX kalendas marcii, anno decimo octavo ».

5389 21 février 1334.

Reginae Siciliae episcopum Leonensem, nuntium regis Franciae ratione subsidiorum pro passagio generali ad Siciliae regem missum commendat. (Reg. 117, fol. 233, c. 1174).

« ..*regine Sicilie* Cum carissimus in Christo filius noster Philippus, rex Francie illustris, super certis subsidiis et aliis passagium generale, cujus capitaneatum ut novit providentia reginalis assumpsit, tangentibus venerabilem fratrem nostrum P., episcopum Leonensem, exhibitorem presentium, ad carissimi in Christo filii nostri R., regis Sicilie illustris, viri tui, presentiam, et partes illas providerit destinandum, serenitatem tuam rogamus in Domino attentius et hortamur quatinus eundem episcopum, tum propter mittentis excellentiam, tum propter ejusdem missi probitatem et sufficientiam, tum etiam propter negocii predicti pietatem et gratiam habeas favorabiliter commendatum, apud eundem regem, virum tuum, ut premissorum consideratione memorato episcopo circa premissa se favorabilem et benignum exhibeat insistendo. Datum ut supra [IX kalendas marcii, anno decimo octavo]. »

5390 21 février 1334.

Halienordi reginae Trinacriae eundem episcopum Leonensem a rege Franciae ad Fredericum regem Trinacriae destinatum commendat. (Reg. 117, fol. 233, c. 1175).

« *Halienordi, regine Trinaeric.* Cum carissimus in — Datum ut supra [IX kalendas marcii, anno decimo octavo]. »

5391 21 février 1334.

Bertrando de Sancto Genesio ut Petro Leonensi episcopo ad regem Siciliae pro negotiis passagii generalis destinatum assistet. (Reg. 117, fol. 234, c. 1182).

« *Magistro Bertrando de Sancto Genesio decano Engolismensi, capellano nostro.* Cum carissimus in Christo filius noster Philippus, rex Francie illustris, qui zelo fidei accensus catholice capitaneatum passagii generalis assumpsit, super certis subsidiis et aliis negocium ipsum tangentibus venerabilem fratrem nostrum Petrum, Leonensem episcopum, ad carissimi in Christo filii nostri R. regis Sicilie illustris presentiam et partes illas providerit destinandum, volumus et tue discretioni mandamus quatinus eidem episcopo super hiis consiliis auxiliis et oportunis favoribus assistere ac apud regem prefatum ex parte nostra ut ipsum episcopum tum propter mittentis excellenciam, tum propter ejusdem missi probitatem et sufficienciam, tum etiam propter negocii jamdicti pietatem et gratiam benigne recipiat seque circa premissa favorabilem et benignum exhibeat, insistere sicut convenienter poteris non omittas. Datum IX kalendas marcii, anno decimo octavo. »

5392 22 février 1334.

Regi Siciliae episcopum Leonensem ad eum per regem Franciae ratione passagii generalis destinatum commendat (Reg. 117, fol. 233 v°, c. 1176).

« .. *regi Sicilie.* Novit excellentia regia filium nostrum in Christo carissimum Philippum, regem Francie illustrem, injurias que ab infidelibus Redemptori nostro cunctisque fidelibus inferuntur multipliciter equanimiter ferre non valens ulterius, ad illas ulciscendas rectoriam assumpsisse (1)

(1) Reg : *ass.umpsisse dicitur.*

passagii generalis qui, velut vir providus et ut ad Dei gloriam consolationemque fidelium sueque salutem anime quod cepit laud abiliter valeat feliciter adimplere, que ad hoc utilia extimat incipit sedule procurare. Verum quia inter alia favor tuus, fili carissime, tam super inextrahendis (*sic*) de regno tuo victualibus et oportunis aliis pro antedicto passagio que in eodem tuo regno cui benedixit Dominus, abundare noscuntur, quam super subsidio personali vel alio faciendo in dicto passagio, necnon et quibusdam aliis multipliciter noscitur oportunus, ecce quod ad tuam presentiam mittit venerabilem fratrem nostrum Petrum, Leonensem episcopum, virum utique in spiritualibus providum ac circumspectum in temporalibus, prefatoque regi multumque (*sic*) acceptum et gratum, tum propter mittentis excellentiam, tum propter ipsius missi statum et sufficientiam, tum etiam propter negocii pro quo mittitur pietatem et gratiam, eundem benigne audias et que postulaverit quantum convenienter poteris, ad exauditionis gratiam introducas. Quod si feceris, tenemus indubie quod pro hoc retributionem condignam recipias in retributione justorum. Datum VIII kalendas marcii, anno decimo octavo.

In e. m. Frederico, regi Trinacrie. Datum ut supra. »

5393 Avignon, 22 février 1334.

Johanni Radulphi quod augmentum distributionum quotidianarum et fructus praebendae suae ecclesiae Dauratensis in absentia usque ad triennium percipere possit. (Reg. 117, fol. 172 v°, c. 869; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62750).

« *Dilecto filio Johanni Radulphi, canonico secularis ecclesie Dauratensis, Lemovicensis diocesis, familiari nostro.* Grata tue familiaritatis — Datum Avinione, VIII kalendas marcii, anno decimo octavo. »

5394 Avignon, 22 février 1334.

Agathensis et Montismirabilis ecclesiarum archidiaconis ac Audoyno Marquesii ut Johanni Radulphi praedicta ministrari faciant. (Reg. 117, fol. 173, c. 870).

« *Judicibus : dilectis filiis.. Agathensis et.. Montismirabilis Albiensis archidiaconis, ac Audoyno Marquesii, canonico Lemovicensis ecclesiarum.* Mandamus quatinus vos — Datum ut supra [VIII kalendas marcii, anno decimo octavo] ».

5395 Avignon, 22 février 1334.

Monasterium de Niolio, ordinis sancti Augustini, Malleacensis diocesis, se reservat. (Reg. 117, fol. 177 v°, c. 890).

« *Ad futuram rei memoriam.* Cupientes monasterio de — Datum Avinione, VIII kalendas marcii, anno decimo octavo ».

5396 Avignon, 26 février 1334.

Arnaldo de Verdala ut bona quondam Bernardi Tardini, decani ecclesiae Sancti Pauli de Fenolhadesio, Electensis diocesis, reservata nomine Camerae exigat et recipiat. (Reg. 117, fol. 173 v°, c. 876).

« *Dilecto filio magistro Arnaldo de Verdala, archidiacono Mirapiscensi, Apostolice Sedis nuncio.* Intendentes dudum de bonis mobilibus quondam Bernardi Tardini, decani ecclesie Sancti Pauli de Fenolhadesio, Electensis diocesis, prout nobis videretur expediens ordinare certis ex causis rationabilibus que ad hoc nostrum animum induxerunt, bonorum predictorum in quibuscumque rebus consisterent dispositionem nobis duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane quicquid contra reservationem nostram hujusmodi per aliquem vel aliquos scienter vel ignoranter contigeret attemptari. Volentes itaque de bonis eisdem que idem decanus habebat tempore quo decessit, ut de illis prout nobis videbitur ordinare possumus commodius, habere certitudinem pleniorem, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus de bonis predictis mobilibus ac debitis et creditis quibuscumque, que prefatus decanus habebat tempore predicto vel pertinebant ad eum, in quibuscumque rebus consistant et per quascumque detineantur seu debeantur personas te summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, solerter et fideliter informare procurans, bona debita et

credita hujusmodi petere, colligere, exigere ac recipere, de illis tamen ere alieno deducto, nostro nomine cum integritate procures, contradictores quoslibet super hiis et rebelles cujuscumque status, ordinis, conditionis vel dignitatis existant, etiam si pontificali vel quavis alia prefulgeant dignitate, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstante si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet indulgentia dicte Sedis cujuscumque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus presentium impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cujusque toto tenore habenda sit in presentibus mentio specialis. Volumus autem quod solventes, assignantes seu restituentes tibi bona debita seu credita supradicta possis absolvere dicto nomine plenius et quitare de hiis que inde receperis ab eisdem, faciendo super singulis solutionibus, assignationibus vel restitutionibus hujusmodi duo confici consimilia publica instrumenta, quorum uno penes ipsos dimisso reliquum ad nostram Cameram destinare procures, ipsam certificando nichilominus de bonis ac debitis et creditis hujusmodi clare, particulariter et distincte. Preterea nostre intentionis existit quod ea que de bonis predictis pro decentibus et honestis dicti decani expensis vel alias rationabiliter pro remuneratione servitorum suorum et aliis piis causis per eum distributa fuerint vel distribui mandaverit, de bonis detrahantur et solvantur predictis, reservatione hujusmodi non obstante. Datum Avinione, IIII kalendas marcii, anno decimo octavo. »

5397 27 février 1334.

Geraldo abbati monasterii Trenorchiensis de vinis quos misit regratiatur. (Reg. 117, fol. 200 v°, c. 1009).

« *Geraldo, abbati monasterii Trenorchiensis.* De vinis per te nobis copiose missis gratiarum tibi referimus uberes actiones. Datum III kalendas marcii, anno decimo octavo.

In e. m. Hugoni episcopo Cabilonensi, super missione vinorum Belnensium. Datum ut supra. »

5398 Avignon, 28 février 1334.

Guidoni de Chalencono et Isabelli natae Johannis dalfini Alverniae, quod matrimonium eorum infra octabas instantis Resurrectionis Dominicae solemnisari facere possint. (Reg. 117, fol. 173 v°, c. 875 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62785).

« *Dilecto filio nobili viro Guidoni de Chalencono, Aniciensis diocesis, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Isabelli, nate dilecti filii nobilis viri Johannis, dalfini Alvernie.* Exigit vestre devotionis — Datum Avinione, II kalendas marcii, anno decimo octavo. »

5399 Avignon, 1er mars 1334.

Hugoni, Tricastrino, et Johanni Massiliensi episcopis, ut pacem inter Adolphum, episcopum Leodiensem, et Ludovicum comitem Flandrensem ex una parte, et Johannem, ducem Brabantiae, ratione venditionis villae Machlinensis, Cameracensis diocesis, dissidentes, reformant vel eos ad treugas inducant. (Reg. 117, fol. 174, c. 877 ; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 715, n. 3553).

« *Venerabilibus fratribus Hugoni, Tricastrino, ac Johanni Massiliensi episcopis, Apostolice Sedis nunciis.* Intensum desiderium ad — Datum Avinione, kalendis marcii, anno decimo octavo. »

5400 Avignon, 4 mars 1334.

Hugoni, electo Bisuntino, tempus consecrationem recipiendi usque ad instans festum Penthecostes prorogat. (Reg. 117, fol. 296 v°, c. 1558).

« *Dilecto filio Hugoni, electo Bisuntino.* Sincera devotio quam — Datum Avinione, IIII nonas marcii, anno decimo octavo. »

5401 Avignon, 4 mars 1334.

Episcopo Valentino mandat ut citet ad Curiam Jacobum de Perusia de Valencia, detentorem praepositurae

ejusdem ecclesiae Valentinae in prejudicium magistri Carboni de Montelupone canonici Valentini, fructusque dictae praepositurae sequestret. (Reg. 117, fol. 296 v°, c. 1559; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62802).

« *Venerabili fratri.. episcopo Valentino.* Querelam dilecti filii magistri Carboni de Montelupone, canonici Valentini, capellani nostri, recepimus continentem quod licet dilectus filius magister Guigo de Sancto Germano, prepositus ecclesie Aniciensis, palacii nostri causarum primi gradus auditor, in causa seu causis que inter ipsum Carbonum ex parte una et dilectum filium Jacobum de Perusia de Valencia, qui se dicit canonicum Valentinum, ex altera, super prepositura quam quondam Guillelmus Davini, canonicus et prepositus ejusdem ecclesie Valentine, in ipsa ecclesia dum viveret obtinebat, et ejus occasione vertebatur vel vertebantur seu verti sperabatur seu sperabantur auditor per nos specialiter surrogatus, vigore commissionis per nos specialiter facte sibi prout virtute commissionis hujusmodi poterat prefatum Jacobum, qui dictam prepositurам de facto detinet occupatam et quoscumque alios qui sua crederent interesse per certos discretos [viros] peremptorie citari mandavit, ut infra certum terminum competentem in Romana curia coram prefato vel alio in hujusmodi causa forsitan surrogando auditore legitime comparere deberent, cum titulis suis si quos haberent et actis omnibus juribus ac munimentis ad causam ipsam spectantibus, per se vel eorum procuratorem seu procuratores ydoneos ad procedendum et procedi videndum in tota ipsa causa et singulos actus ejusdem ac etiam usque ad finalem decisionem sicut existeret rationis, prout in instrumento publico ejusdem auditoris sigillo munito plenius dicitur contineri; quia tamen prefatus Jacobus suique consanguinei et amici adeo graves terrores et minas non sine comminatione mortis procuratoribus et nuncis dicti Carboni qui litteras commissionis citationis hujusmodi deferebant presentandas dictis commissariis intulerunt quod procuratores et nuncii ipsi, de personarum suarum timentes periculo, nequaquam ausi sunt easdem litteras commissionis citationis hujusmodi presentare, propter quod executio justicie in dicti Carboni dampnum et prejudicium retardatur. Quare idem Carbonus nobis humiliter supplicavit ut ei super hiis de oportuno providere remedio dignaremur. Nos igitur nolentes sicut nec debemus tante presumptionis audaciam per quam executio impeditur justicie ut prefertur, cum non sit indulgendum maliciis hominum, preterire, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus prefatum Jacobum et alios qui sua crediderint interesse juxta formam commissionis hujusmodi per dictum auditorem prefatis discretis ut prefertur facte per te vel alium seu alios ex parte nostra peremptorie citare procures, ut coram auditore predicto vel alio in causa eadem forsitan surrogando infra terminum in litteris commissionis citationis auditoris ejusdem supradictis contentum cum titulis suis, si quos habent, et actis, juribus ac munimentis omnibus ad causam ipsam spectantibus per se vel procuratores eorum apud Sedem Apostolicam curent legitime comparere, facturi et recepturi super premissis prout dictaverit ordo juris, nostrisque mandatis humiliter parituri. Alioquin in dicta causa ad singulos actus ipsius etiam ad prolationem sententie et alias contra dicta Jacobum propter premissa sicut de jure fuerit procedetur, ipsorum absentia seu contumacia non obstante; diem autem hujusmodi citationis et formam et quicquid super hiis duxeritis faciendum nobis per tuas patentes litteras instrumentum publicum harum seriem continentem quamtocius intimare procures. Ceterum, cum sicut debitum rationis exigit, non intendamus (*sic*) quod dicte prepositure fructus, redditus et proventus quomodolibet distribuantur, sed pocius pro altera dictarum partium que in hujusmodi causa reportabit victoriam conserventur, volumus tibique per eadem scripta mandamus quatinus hujusmodi fructus, redditus et proventus, qui a tempore vacationis dicte prepositure provenisse noscuntur et quos hujusmodi causa durante provenire contigerit, auctoritate predicta in tuto loco sequestres, ei qui ut premittitur in dicta causa reportabit victoriam integraliter assignandos. Contradictores etc... Datum Avinione, IIII nonas marcii, anno decimo octavo. »

5402 5 mars 1334.

Archiepiscopo Coloniensi et pluribus aliis mandat quatinus interponant partes suas ad pacem tractandam in negotio venditionis Macliniensis villae. (Reg. 117, fol. 206, c. 1045; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 721, n. 3557; Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 561, n. 1642).

« *Wilremo, archiepiscopo Coloniensi.* Non sine cordis — Datum III nonas marcii, anno decimo octavo.

In eundem modum Philippo, regi Navarre.

In eundem modum Carolo, comiti Stampensi.

In eundem modum Eduardo, comiti Barensi.

In eundem modum Goffrido, comiti de Arbenche.

In eundem modum Ludovico, domino de Haricuria.

In eundem modum Hugoni, vicecomiti de Thoarcio.

In eundem modum Johanni, duci Britannie. »

5403 Avignon, 5 mars 1334.

Universis personis ecclesiasticis ut Tricastrino Massiliensique episcopis nuntiis ad partes Flandriae ratione venditionis civitatis Machliniensis deputatis de procurationibus et de securo conductu provideant. (Reg. 117, fol. 175, c. 878 ; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 723, n. 3558).

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatis seu eorum locatenentibus, capitulis quoque conventibus et aliis personis ecclesiasticis secularibus et religiosis, exemptis et non exemtis, Cisterciensis, Cluniacensis, Premostratensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum necnon Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, beate Marie Theutonicorum ac Calatravensis magistris, prioribus et preceptoribus ad quos presentes littere pervenerint.* Cum nos venerabiles — Datum Avinione, III nonas marcii, anno decimo octavo. »

5404 5 mars 1334.

Regi Aragonum quosdam nuntios pro negotiis passagii generalis ac pacis cum Januensibus faciendae commendat. (Reg. 117, fol. 246, c. 1255).

« *Regi Aragonum.* Excellenciam regiam credimus non latere quomodo ad instantiam sedulam carissimi in Christo filii nostri Philippi, regis Francie illustris, de fratrum nostrorum consilio in subsidium Terre Sancte passagium induximus generale, cujus quidem passagii capitaneatum et rectoriam prefatus rex igne carismatis accensus noscitur assumpsisse. Sane quia expediens dicto passagio noscitur et multipliciter oportunum, ut sic via eidem preparetur passagio, quod tollendo (1) que eidem prebere possent obstaculum et que ipsi suffragari poterunt vigilanti studio procurentur, prefatus rex intense desiderans quod hec fiant ad hec procuranda dilectum filium nobilem virum Philippum de Pria, militem, senescallum Bellicadri ad tuam ducit presentiam destinandum. Verum quia discordia quam inter te, fili carissime, et carissimum in Christo filium nostrum Jacobum, regem Majoricarum illustrem, subditosque vestros ex parte una, ac dilectos filios Januenses ex altera pacis emulus suscitavit, multum posset prejudicialis esse predicto passagio, et concordia multipliciter oportuna, ad hec ut pax cunctis desiderabilis inter vos et ipsos mutue reformetur licet arduis occupatus negociis offert se paratum laborem per se vel alios suscipere pacis hujusmodi procurande. Nos quoque, qui pacem illam intensis desideriis affectamus, circumspectionem regiam rogamus per viscera misericordie Dei nostri quatinus pacis ipsius commoda et dissensionis ejusdem incommoda recogitans diligenter, animum tuum ad concordiam prepares et disponas ad pacem, ejusdem regis exhortationes laudabiles ad exauditionis gratiam introducens. Rursus quia Turcorum inundans superbia suis nequaquam contenta finibus, collectis viribus, robore adunato partes Grecie et loca circumvicina invadere (2) hostiliter ipsosque agredi non expavit, multaque loca peremptis non nullis eorundem incolis sanguine Christi pretioso redemptis aliisque captivatis ac bonis in predam datis (loca) deserta et absque habitatoribus dereliquit, nec hiis contenta se disponere dicitur ad pejora, que profecto nisi occurratur ocius possent, quod absit, dictum passagium impedire, instat prefatus rex et nos cum eo pariter ut ad refrenandos ipsorum Turcorum malignos impetus, repellendos insultus, compescendam nequitiem et superbam conterendam ac providendum dicto passagio et christiano illarum partium populo oportunum subsidium prout expedire viderit tua velit magnificentia ministrare. Ad hec, quia magnitudo et arduitas

(1) Corr. : *tollentur* ?
(2) Reg. : *invasis.*

negocii passagii antedicti omnium christicolarum precipue principum et magnatum subsidium postulat et requirit (1), habet instare dictus nobilis ut tuum illi regalis magnificentia prout tua patietur negocia (*sic*) subsidium debeas impertiri, pro quo nos offerimus tibi etiam preces nostras. Super quibus plenius explicandis dilectum filium magistrum H. de Mirabello, prepositum ecclesie Mimatensis, capellanum nostrum, ad tuam excellentiam destinamus, quem una cum nuncio predicto regio velit celsitudo regia audire benigne eosque celeriter et feliciter expedire.

In eundem modum : dilectis filiis communi Januensi, verbis competentibus mutatis. Datum III nonas marcii, anno decimo octavo. »

5405 5 mars 1334.

Johanni patriarchae Alexandriae eosdem nuntios commendat. (Reg. 117, fol. 246 v°, c. 1256).

« *Johanni, patriarche Alexandrie.* Cum carissimus in — Datum ut supra [III nonas marcii, anno decimo octavo].

In e. m. Petro, archiepiscopo Cesaraugustano. »

5406 5 mars 1334.

Bulgaro de Tholetanis Hugonem Quereti, consiliarium et nuntium Philippi regis Franciae pro certis causis passagium generale tangentibus ad Januenses destinatum, Johannemque abbatem monasterii Jussellensis, diocesis Bitterrensis, nuntium apostolicum commendat. (Reg. 117, fol. 272 v°, c. 1406 et fol. 273, c. 1411).

« *Bulgaro de Tholetanis, juris civilis professori, capitaneo civitatis Januensis per carissimum in Christo filium nostrum R., regem Sicilie illustrem deputato, salutem in Domino.* Cum carissimus in Christo filius noster Philippus, rex Francie illustris, qui generalis passagii transmarini per nos dudum indicti capitaneatum generalem fervore devotionis accensus assumpsit, pro certis causis dictum passagium tangentibus dilectum filium nobilem virum Hugonem Quereti, militem et consiliarium suum, ad dilectos filios ..commune Januense providerit destinandum, et nos etiam dilectum filium Johannem, abbatem monasterii Jussellensis, diocesis Bitterrensis, pro explicandis plenius certis eidem circa passagium ipsum per nos impositis ad eos similiter destinemus, discretionem tuam rogamus et hortamur attentius quatinus nostrum et regium nuncios habeas pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos, eis consiliis et favoribus oportunis assistas, interponendo nichilominus sicut convenienter, ut feliciter expediti ad mittentes redire valeant celeriter, partes tuas. Datum III nonas marcii, anno decimo octavo. »

(1) Reg. : *recipit.*

5407 5 mars 1334.

Dragoneto, episcopo Vapincensi ut ad Curiam veniat. (Reg. 117, fol. 302, p. c. 1577) (1).

« *Dragoneto, episcopo Vapincensi.* Cum pro certis causis tua sit nobis presentia oportuna, volumus et tue fraternitati mandamus quatinus absque cunctatione morosa studeas ad nostram [presentiam] personaliter te conferre. Datum III nonas marcii, anno decimo octavo. »

5408 Avignon, 5 mars 1334.

Guarcendi, relictae Jacobi Laugerii, indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 297, c. 1560 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62812).

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Guarcendi, relicte quondam Jacobi Laugerii, militis, vidue Avinionensis.* Provenit ex tue — Datum Avinione, III nonas marcii, anno decimo octavo. »

5409 Avignon, 7 mars 1334.

Luciano de Sens tabellionatus officium concedit. (Reg. 117, fol. 175, c. 879 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62819, 62818).

(1) Le début du c. 1577 est une nouvelle transcription de l'acte 5318 (c. 1576).

« *Dilecto filio Luciano de Sens, clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto, Ambianensis diocesis.* Ne contractuum memoria — Datum Avinione, nonis marcii, anno decimo octavo.

Item in e. m. Johanni de Campo, clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto, Tricastrine diocesis, Datum ut supra. »

5410 7 mars 1334.

Regi Franciae de missis ad Januenses expediendis et de unione Ecclesiarum scribit. (Reg. 117, fol. 200, c. 1006).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Leta manu litteras recepimus regias nobis per dilectum filium nobilem virum Hugonem Quereti, militem, regii magistrum hospicii, presentatas, et exultanti non indigne percepimus animo que nobis ex parte exposuit regia sub credentia sibi data. Tota quidem credentia Deo grata, proximo utilis ac oportuna passagio existebat. Sane quia tam nobis quam certis cardinalibus quos ad ejusdem nuncii vocaveramus instantiam ad exponendum exponenda dilectis filiis Januensibus et ea procuranda, erat ejusdem nuncii, cujus status apud excellentiam regiam ac prudentia multis (1) ex ipsis Januensibus erat nota plusquam cujusquam alterius, presentia oportuna, ordinaverunt quod ipse debeat Januam proficisci. Nos ad nuncianda et procuranda eadem quendam abbatem multe litterature et eloquentie cum ipso duximus destinandum . Ad carissimum autem in Christo filium nostrum Alfonsum, regem Aragonun illustrem, ordinaverunt quod iret dilectus filius nobilis vir Philippus de Pria, miles, Bellicadri regius senescallus, cui similiter quendam nostrum adjunximus capellanum. Ad illud autem quod idem nuncius super facto moderatoris imperii Grecorum nobis exposuit, respondimus quod nobis multum videtur expediens, quod cum nos jam sibi scripserimus, inducendo eundem quod ad Latinorum et Grecorum intenderet unionem ac Ecclesie Romane gremium, que mater est omnium fidelium, redire curaret, et adhuc intendimus scribere ac nuncios ad ejus presentiam destinare, quod (*sic*) providentia regia sibi scribat et per certum inducat nuncium ad premissa, exponens sibi commoda varia que ex hoc poterit consequi, et dispendia que tam temporaliter quam spiritualiter incurret, si tuis consiliis salutaribus contradicat. Utrum autem nobis expediens videatur quod excellentia regia requirat aliquem principem infidelem ac cum eo fedus ineat, ad presens non possumus respondere Injunximus enim nostris fratribus Sancte Romane Ecclesie cardinalibus quod deliberarent super hoc, scilicet an liceret, et quid sentirent super hoc nobis exponerent, quod adhuc non fecerunt Cum autem hox fecerint, celsitudini regie curabimus intimare. Formam autem secundum quam dicto moderatori scripsimus, continet cedula presentibus interclusa ...Datum nonis marcii, anno decimo octavo. »

(1) Reg. : *prudentiam militis.*

5411 7 mars 1334.

Regi Franciae Hugonem Tricastrinum et Johannem Massiliensem episcopos super ducis Brabantiae et comitis Flandriae facto nuncios commendat. (Reg. 117, fol. 200 v°, c. 1010 ; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 723, n. 3559).

« *Regi Francie.* Ecce, fili carissime, quod inter ardua negocia nobis presencialiter occurrentia oportunitate captata venerabiles fratres nostros Hugonem Tricastrinum et Johannem Massiliensem episcopos, viros utique providos ac discretione et maturitate pollentes, super negocio dilectorum filiorum nobilium virorum ducis Brabantie et.. comitis Flandrie de fratrum nostrorum consilio destinamus, eos regie benivolentie propensius commendantes. Datum nonis marcii, anno decimo octavo. »

5412 7 mars 1334.

Regi Armeniae nuntiat quod anno proximo Terrae Sanctae succursus proventurus est. (Reg. 117, fol. 305 v°, c. 1615).

« *Leoni, regi Armenie.* Regalis excellentie tue litteras nobis per dilectum filium nobilem virum Baldum Spinule tuum nuncium earum exhibitorem presentatas benigne recepimus, et que nuncius ipse nobis verbo pro parte regia curavit exponere dicteque continebant littere intelleximus diligenter. Et ecce, fili carissime, quod deliberatione prehabita diligenti, ordinatum est ut anno sequenti tam

hominum armatorum multitudo quam certus galearum numerus pro christicolarum partium illarum tuitione ac defensione repulsioneque infidelium illuc debeant interesse. Carissimus enim in Christo filius noster Philippus, rex Francie illustris, zelo accensus catholice fidei ad generale passagium per nos dudum ad ipsius regis instantiam pro fidelium consolatione indictum, cujus capitaneatum et rectoriam generalem assumpsisse rex ipse noscitur, potenter et viriliter se disponit, ita quod speramus in Domino, Cujus in hac parte res agitur, regno tuo et eisdem christicolis taliter subveniri quod per Crucis hostes blasphemos nominis christiani non poterunt pregravari. Quare, fili dilectissime, age viriliter et constanter, fiduciam habens in Domino qui dat humilibus gratiam et cornua conterit superborum, de nobis et eodem rege Francie spem tenens etiam indubiam quod regno et christicolis ipsis divina suffragante gratia oportune sicut premittitur intendimus subvenire. Datum nonis marcii, anno decimo octavo. »

5413 Avignon, 9 mars 1334.

Petro de Noalhaco indulgentiam in articulo mortis concedit. (Reg. 117, fol. 170 v°, p. c. 861 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62839).

« Item in e. m. (1) dilecto filio nobili viro Petro de Noalhaco, militi, Caturcensis diocesis. Datum Avinione, VII idus marcii, anno decimo octavo. »

5414 Avignon, 9 mars 1334.

Petro Chamarlenc testandi facultatem concedit. (Reg. 117, fol. 175 v°, c. 880 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62836).

« *Dilecto filio Petro Chamarlenc, decano monasterii de Soliaco, ordinis sancti Benedicti, Caturcensis diocesis, per decanum soliti gubernari.* Quia presentis vite — Datum Avinione, VII idus marcii, anno decimo octavo. »

(1) Cf. n. 5371.

5415 Avignon, 9 mars 1334.

Johanni de Amelio, clerico Camere, de quatuor galeis Massiliensibus per papam acquisitis. (Reg. 117, fol. 297 v°, c. 1561).

« *Dilecto filio magistro Johanni de Amelio, archidiacono Forojuliensi, clerico Camere nostre.* Cum dilecti filii nobiles viri Petrus Medici de Tholono et Rogerius de Fossis, Forojuliensis diocesis milites, ac Rostagnus Eguezerii et Raymundus Natalis, cives Massilienses, promiserint seque Camere nostre obligaverint efficaciter quatuor bonas et sufficientes galeas, videlicet dictus Petrus duas, prefatus vero Rogerius unam et memorati Rostagnus et Raymundus aliam per totum mensem aprilis seu maii proximo futuros et interim quoviscunque in portu Massiliensi se habere, locare et armare, ipsasque habere paratas et armatas competenter, ut expedit et consuetum est, in portu Nigropontensi infra totum dictum mensem maii, propriis eorum soldis, sumptibus et expensis, ita quod in qualibet dictarum galearum sint ad vogandum de centum septuaginta quatuor usque ad centum octuaginta remi boni et sufficientes et boni homines ac sufficientes ad remum quemlibet dispositi ac parati, necnon et habere comites, scribanos et alios officiales competentes in galeis supradictis, et qualibet earundem cum munitionibus competentibus, videlicet panatega, velis, sarciis, anchoris, arboribus, antenis, amplustribus sive governis et in singulis galearum ipsarum centum triginta coraccias sufficientes, centum quinquaginta cervelerias, centum octuaginta pavesios, centum triginta gorgerias, quatuor milia cayrellos vocatos verrani (?) de Janua seu equipollentes, ducentas quinquaginta lanceas, quingentos dardos, viginti quinque balisterios sive supersallientes, non computato patrono, sic quod quilibet balisterius duas habeat bonas et sufficientes balistas ; et hoc ad tempus quinque mensium computandorum seu incipiendorum a die qua, ut vulgari marinariorum utamur, dabitur bona paraula, quodque de portu predicto Massiliensi recedent quando et sicut nobis seu illi vel illis qui ad hoc pro parte nostra deputabuntur placebit, cujus vel quorum deputandi seu deputandorum mandatis et preceptis illi qui erunt in dictis galeis, tam preliando quam alias obedient in omnibus et parebunt, tam in mari quam in terra, aliis certis pactis et conditionibus appositis circa premissa,

sicut in instrumento publico inde confecto plenius continetur; nos volentes premissa et alia in instrumento predicto contenta, facta de consciencia et mandato nostris expressis, compleri et inviolabiliter observari, discretioni tue de qua fiduciam in Domino gerimus specialem per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus ab eisdem militibus et civibus et eorum singulis de premissis omnibus et singulis contentis in instrumento predicto, prout ad ipsos et ipsorum quemlibet pertinet complendis, exequendis, attendendis et observandis ydoneas pro nostra et Ecclesie Romane cautela recipias cautiones, eisque receptis et inde publicis instrumentis confectis, solvere predictis militibus et civibus, ratione dictarum galearum, pro primis tribus mensibus septem milia ducentos florenos auri de pecunia Camere supradicte juxta conventiones inter eandem Cameram et supradictos milites et cives initas et in instrumento predicto expressas procures, recipiendo ab eisdem militibus et civibus insuper de hiis que inde ipsis solveris quitationes sufficientes, confectis nichilominus super hoc publicis instrumentis per te postmodum dicte Camere fideliter assignandis. Datum Avinione, VII idus marcii, anno decimo octavo.»

5416 Avignon, 9 mars 1334.

Archiepiscopo Brundisino Guillelmum de Medulione, dominum Vallisbareti negotium cum Imberto dalphino Viennensi habentem, commendat. (Reg. 117, fol. 301, c. 1578).

« *Guillelmo, archiepiscopo Brundisino.* Cum dilectus filius nobilis vir Guillelmus de Modulione, dominus Vallisbareti habeat quedam sua negocia cum dilecto filio nobili viro Imberto dalfino Viennensi, sicut asserit, expedire, nosque ipsum Guillelmum et negocia hujusmodi prefato dalfino per alias nostras litteras commendamus, fraternitatem tuam rogamus attente quatinus ut idem dalfinus prefatum nobilem et negocia tractet favorabiliter et benigne cures interponere quantum convenienter poteris partes tuas. Datum Avinione, VII idus marcii, anno decimo octavo.»

5417 Avignon, 9 mars 1334.

Dicto Imberto eundem Guillelmum commendat. (Reg. 117, fol. 301, c. 1579).

« *Nobili viro Imberto, dalfino Viennensi.* Cum sicut accepimus — Datum ut supra [Avinione, VII idus marcii, anno decimo octavo].»

5418 Avignon, 10 mars 1334.

Bernardo de Podio concedit ut usque ad triennium leges audire possit et ut interim fructus beneficiorum suorum in absentia percipere possit nec ad presbyteratus ordinem se facere promoveri teneatur. (Reg. 117, fol. 177 v°, c. 891).

« *Dilecto filio Bernardo de Podio, de Vilarzello et de Fonterino ecclesiarum parrochialium invicem unitarum, Narbonensis diocesis, rectori.* Exigunt tue multiplicia — Datum Avinione, VI idus marcii, anno decimo octavo.»

5419 Avignon, 10 mars 1334.

Archiepiscopo Brundisino ut pro pace inter Imbertum dalphinum Viennensem et Aymonem, comitem Sabaudiae, se interponat. (Reg. 117, fol. 301, c. 1580).

« *Archiepiscopo Brundisino.* Tenemus indubie quod si dilectus filius nobilis vir Imbertus, dalfinus Viennensis, discrimina varia que discordia inter suos predecessores in Dalfinatu ex parte una et dilectum filium nobilem virum Aymonem comitem Sabaudie predecessoresque suos ex altera suscitata pacis emulo procurante hactenus intulit, nec non et que impediunt commoda, revocaret ad memoriam sedule et in consistorium deduceret rationis, ut ad pacem suum inclinaret animum non egeret exhortationibus, quinimo potius officium cujusvis exhortatoris preveniens, illam curaret inquirere et persequi promptis affectibus non tardaret. Ipsum per alias nostras litteras exhortamur ut repulsis suggestionibus hostis pacis qui per membra sua eum a predictorum consideratione moliretur retrahere memorati (*sic*) premissa non desinat et cum hoc etiam ponat ante oculos mentis sue quod pax Dei sine pace proximi haberi non

potest, ad eam habendam sicut caram habet pacem Domini suum animum preparet et disponat. Nos autem ad eam procurandam quam utique intensis desideramus affectibus offerimus non vitatis laboribus nos paratos. Porro quia pro firmo supponimus quod tua in hac parte inductio esse poterit multipliciter fructuosa, fraternitatem tuam rogamus attentius quatinus consideranter attendens quod gratum Deo exinde prestare poteris obsequium, circa hec partes tue solicitudinis viis et modis quibus expedire videris interponere non postponas. Datum VI idus marcii, anno decimo octavo. »

5420 10 mars 1334.

Dalfinum Viennensem ad pacem cum comite Sabaudiae hortatur. (Reg. 117, fol. 301, c. 1581).

« *Dalfino Viennensi.* Utinam, fili, discrimina varia que discordia inter tuos predecessores in Dalfinatu ex parte una et dilectum filium nobilem virum Aymonem comitem Sabaudie predecessoresque suos ex altera pacis emulo procurante suscitata hactenus intulit, necnon et que impediunt commoda ad memoriam sedule revocares. Tenemus enim indubie quod si hoc in consistorium deduceres rationis, ut ad pacem tuum inclinares animum exhortationibus non egeres, immo pocius officium cujusvis exhortatoris preventus illam curares inquirere et persequi promptis affectibus non tardares. Sane quia veremur quod a premissorum consideratione per (1) membra sua retrahat hostis pacis, nobilitatem tuam rogamus et attentius in Domino exhortamur quatinus talium repulsis persuasionibus hoc memorari non desinas et cum hoc ante ponas mentis oculos quod pax Dei sine pace proximi haberi non potest ad eam habendam sicut caram habes pacem Domini tuum animum prepares et disponas. Nos autem ad eam procurandam quam utique intensis desideramus affectibus offerimus non vitatis laboribus nos paratos. Datum VI idus marcii, anno decimo octavo.

In eumdem modum comiti Sabaudie, verbis competentibus mutatis. »

(1) Reg. : *consideratione ne membra.* (C. n. 5419).

5421 10 mars 1334.

Regi Franciae de inquisitione haereticae pravitatis contra illos qui mortui sunt non confessi de eodem crimine. Reg. 117, fol. 192 v°, c. 965 ; — Vidal, *Bullaire de l'Inquisition*, p. 203, n. 140).

« .. *regi Francie.* Ex serie quarundam litterarum regiarum nobis presentatarum hiis diebus preteritis per dilectum filium magistrum Guidonem Baudeti decanum ecclesie Parisiensis, clericum regium, percepimus excellentie fuisse regie intimatum quod gentes nostre dilectis filiis inquisitoribus heretice pravitatis Tholose et Carcassone inhibuerant ne de crimine heresis inquirendo se intromitterent specialiter contra illos qui mortui fuerant non confessi de crimine antedicto ; ideoque circumspectio regia nos rogabat ut mandatum deberemus hujusmodi revocare, cum de hiis consueverint dicti inquisitores etiam contra mortuos inquirere a tanto tempore de quo memoria in contrarium non existit. Ad que providentie regie taliter respondemus quod verum est quod clamosa insinuatio ad nostrum fratrumque nostrorum perduxit auditum quod inquisitores ad proferendum sententias super dicto crimine contra mortuos non servata justicia, in grave heredum ipsorum prejudicium et totius ipsorum generis procedebant et procedere intendebant. Nos itaque, cum fratribus nostris super hiis deliberatione prehabita diligenti, volentes de hiis que contra inquisitores proposita fuerant informari plenius, ac taliter providere quod nec crimen impunitum remaneat, et mortuorum, qui conqueri nequeunt, justicia illibata servetur, dictis inquisitoribus de fratrum eorundem consilio scripsimus ne ad condempnandum vel absolvendum aliquem mortuum qui [suspiciebatur] de heresi de qua cum viveret non fuisset confessus, procederent, nisi prius nobis consultis super hoc et omnibus processibus originalibus factis contra defunctos hujusmodi, si tunc essent completi, alioquin cum essent completi, per nuncios fideles integraliter nobis missis. Postque .. inquisitore Carcassonensi comparente personaliter coram nobis, nos de fratrum eorundem consilio examinationem dicti negocii ut dictum negotium expeditiorem (1) consequeretur exitum, commisimus dilectis filiis Jacobo Sancte Prisce et Raymundo, tituli Sancti Eusebii presbiteris cardinalibus qui, pro eo quod

(1) Reg. : *expeditionem.*

in partibus illis episcopi fuerant ac frequenter in negociis inquisitionis interfuerant, habere poterant promptius noticiam de predictis, qui tandem, inquisitore presente, relatione facta in consistorio nobis et dictis fratribus de predictis cum inquisitor cum relatione predictorum cardinalium concordaret in omnibus, pluries ipsos audivimus hinc et inde. Tandem ut negocium posset promptius expediri, duobus prefatis cardinalibus adjunximus dilectos filios nostros Petrum, tituli Sancti Martini in Montibus et Petrum, tituli Sancti Stephani in Celio monte presbiteros cardinales, qui una cum duobus prefatis vel eorum altero procederent in negocio antedicto. Hec sunt que fecimus in predictis multorum clamoribus excitati, qui multa committi illicita per inquisitores contra mortuos specialiter asserebant. Datum Avinione, VI idus marcii, anno decimo octavo. »

5422 10 mars 1334.

Regi Franciae super visione animarum respondet. (Reg. 117, fol. 191, c. 959 ; — Denifle, et Chatelain, *Chartularium*, t. II, p. 437, n. 984).

« *Regi Francie.* Litteras regias super responsione certorum prelatorum ac magistrorum Parisiensium in theologica facultate facta Parisius de visione animarum separatarum a corpore, necnon et patentes (1) eorumdem prelatorum et doctorum litteras directas celsitudini regie continentes responsiones predictas benigne recepimus et contenta in eis pleno collegimus intellectu. Ex quibus quidem litteris regiis evidenter sincerum zelum percepimus, quem ad exaltationem fidei et honorem sancte Dei gerit Ecclesie atque nostrum, super quo eidem exhibemus gratiarum uberes actiones. Sane quia regalem excellentiam ex serie littere regie super eo percepimus admirari quod nos fidedignos nominabamus in nostris litteris illos qui de regia magnificentia retulerunt nobis falsum, ut cesset admiratio regia taliter ad nostrum auditum relatio fidedigna perduxit quod nonnullos magistros in theologia audivit asserentes quod tua, fili carissime, magnificentia illos induxerat, ut quod (2) anime separate a corpore a peccatis purgate ante suorum resurrectionem corporum videbant clare divinam essentiam predicarent, immo plus eorum aliquis seu aliqui asserebat seu asserebant quod illum seu illos qui hoc facere renuebat seu renuebant, capitulaverat satis dure. Profecto, fili carissime, si dictum nostrum predictum consideres diligenter, reperies quod in eodem de duabus personis fit mentio, videlicet de illo qui verba predicta nobis retulit, qui ea ab aliquo doctore vel aliquibus doctoribus asserebat se eadem audivisse ; item fit mentio de doctore vel doctoribus premissa referentibus sibi, unde personam illam que verba predicta a doctore vel doctoribus audiverat, fidedignam in nostris litteris nominamus. Non autem doctorem vel doctores illum vel illos, qui hec sibi dixerant nominamus fidedignos. Et hoc patet quia in eadem littera statim subjunximus, quod ab aliis, quibus prorsus fidem indubiam adhibebamus, audivimus quod preceptum tale seu inductio ab ore regio non processit. Unde non debet regia circumspectio admirari si illum, qui a doctore vel doctoribus illis audivit illud mendacium nobisque se audivisse verba illa retulit, nominamus fidedignum. Frequenter enim contingit quod magnis principibus ecclesiasticis et secularibus multa referantur mendacia que ipsi se aliis referunt audivisse. Nec propter hoc eorum fides leditur, sed remanet illibata. Adhuc in eisdem litteris regiis vidimus contineri quod a pluribus dicebatur quod nos miseramus dilectum filium Geraldum Othonis, generalem ministrum fratrum Minorum, Parisius ad docendum et predicandum quod anime separate a corpore, a peccatis purgate, divinam essentiam usque post resurrectionem corporum non videbunt. Ad quod dicimus et asserimus coram Deo quod nunquam hoc cor nostrum intravit nec exivit ab ore, immo supponebamus firmiter quod indilate exposita legatione sua excellentie regie ejusque audito beneplacito, an vellet pro eodem negocio aliquos vel aliquem nuntios destinare, statim cum collega suo (1) deberet prosequi versus Angliam et Scociam ceptum iter. Sed ipsis Parisius stantibus .. procurator carissimi in Christo filii nostri .. regis Scocie illustris ad eos veniens eis insinuare curavit quod rex Scocie non erat in regno Scocie, nec pro eodem aliquis cum quo possent super negocio pacis vel alio tractatum habere ideoque eorum viam ad presens infructuosam et inutilem reputabat. Hoc autem tam ipsi

(1) Reg. : *patenter.*
(2) Reg. : *que.*

(1) Reg. : *suus.*

nuncii nostri quam procurator regis predicti nobis per suas litteras nunciarunt. Nos autem fidem adhibentes (1) procuratori predicto prefatos nuncios per nostras litteras duximus revocare, hoc adjecto quod generalis minister si pro sui ordinis negociis habebat in Anglia vel alibi proficisci, hoc posset facere, ad nos nuncio alio redeunte. Et quia procuratorem predictum regis Scocie Parisius credimus adhuc esse, excellentiam regiam precamur attente ut cum dicto procuratore se informare debeat de premissis, ut si hec que premisimus invenerit esse vera, velit celsitudo regia relatoribus talibus minorem in aliis fidem dare. Rursus continebatur in eisdem litteris regiis quod a multis sapientibus dicitur tales questiones ut subtilitates non esse multum utile publicare. Ad quod, fili carissime, respondemus quod etsi talia predicare rudi et minus intelligenti populo possent forsitan non fore utile, propter hoc [quia] non possunt capere nec intelligere, judicare (2) tamen quod capacibus de talibus predicetur, proviso quod nichil contra fidem catholicam asseratur, reprehensibile non videtur. Constat enim quod de visione animarum predicta et Christus et apostoli, ut patet in Evangeliis et apostolorum Epistolis, sepius, immo de multis altioribus et subtilioribus aliis, ut patet specialiter in evangelio Johannis et in Apocalypsi in locis variis, snut locuti. Sancti quoque in suis scriptis et sermonibus tam de visione predicta, nunc pro parte affirmativa, nunc pro negativa, sepius sunt locuti. Nos autem hoc vulgo non exposuimus, sed prelatis et doctoribus virisque aliis litteratis qui nostris consueverunt sermonibus interesse. Et cum doctores in hac materia, scilicet de visione animarum separatarum a corporibus, reperiremus discordes ad invicem, et plures etiam sibi ipsi frequenter, de materia illa locuti fuimus dicta Scripture Sacre et sanctorum patrum atque doctorum de dicta materia loquentia adducentes ad illum finem, ut cogitandi circa illa occasionem auditoribus preberemus, ut sic posset ad veritatem questionis hujusmodi perveniri. Hoc autem expediens Sancte Dei Ecclesie admodum reputamus, ut Ecclesie filii, quid circa visionem hujusmodi secundum doctrinam apostolicam et evangelicam absque errore aliquo tenere debeant, non ignorent. Ad quod tam fratres nostri Sancte Romane Ecclesie cardinales quam prelati doctoresque theologie et bacallarii ac decretorum doctores moram trahentes in curia operosum adhibere credimus studium, ut suum juxta preceptum eis factum nobis possint salubre consilium impertiri. Datum VI idus marcii, anno decimo octavo.»

(1) Reg. : *dicto procuratori predicto.*
(2) Reg. : *judicari.*

5423 12 mars 1334.

Regi Franciae de nuntiis ad Soldanum et ad Graecorum imperatorem mittendis scribit. (Reg. 117, fol. 191 v°, c. 960).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Inter alia [que dilectus filius nobilis vir Hugo Quereti, miles, magister Hospicii regii, nuncius regius, sub sibi data credentia nobis exposuit, fuit illud quod de fratre illo ituro ad Soldanum, an ivisset scire vellet regia celsitudo. Ad quod breviter respondemus quod pro eo quod quidam de partibus illis venerant qui viam suam prorsus reputabant inutilem, nondum arripuit iter suum. Sane quia duo fratres Predicatores qui de illis partibus novissime venerant qui Soldano locuti, ut asserebant, fuerant, nobis retulerunt que continet cedula presentibus interclusa, expedientiorem ejusdem fratris progressum extimamus quam moram, ideoque ipsum intendimus mittere, cum ex hoc nequaquam percipiamus aliquod sequi inconveniens, sed speremus bona proventura aliqua etsi non alia quod de hiis que aguntur in illis partibus habere poterimus noticiam pleniorem. Si ad imperatorem Grecorum intendat aliquem mittere super ejus reditu ad Romane Ecclesie unitatem regia celsitudo, expedit quod illa legatio sit secreta; alia vero esse poterit publica super passagio et facto Turcorum; et quantum ad legationem illam quod ad unitatem Ecclesie redeat, expediens videretur quod excellentia regia offerret illi quod iret per aquam, pro illa apud Ecclesiam offerentur (*sic*) interponere partes suas. Datum IIII idus marcii, anno decimo octavo.»

5424 12 mars 1334.

Regi Franciae quod negotia magistro Guidoni Baudeti, decano Parisiensi, consiliario regio, commissa in Curia

prompte expediri non potuerunt scribit, et de mora excusationem petit. (Reg. 117, fol. 191 v°, c. 961).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Fili carissime, dilectus filius magister Guido Baudeti, decanus Parisiensis capellanus noster tuusque consiliarius, in curia fuit multo tempore, profecto circa ea que sibi commissa fuerant sedulus et intentus. Sed propter varia negocia que occurrunt quasi continue sic eum expedire prompte nequivimus ut voluissemus et ipse, ideoque regalem rogamus excellentiam ut nos et ipsum excusatos habeat super mora. Datum ut supra [IIII idus marcii, anno decimo octavo]. »

5425 12 mars 1334.

Reginam Franciae de suo statu certiorem facit eique nonnulla in quaestione visionis animarum ordinata significat. (Reg. 117, fol. 192, c. 962).

« *Regine Francie.* Quia, filia benedictionis et gratie, de statu nostro quem obtas prosperum tua benivolentia te sollicitam reddit, ut tuo desiderio satisfiat, excellentia tua noscat quod Illo misericorditer faciente in cujus manu salus consistit et vita, quantum ad exteriorem hominem perfruimur sospitate. Sane interior homo noster, cum attente considerat dissensiones et guerras malaque innumera alia inter christicolas inundare fundique humanum sanguinem redemptum precioso Christi sanguine, repletur profecto curis et solicitudinibus variis quiesque subtrahitur sibi, et nisi supponeremus quod Omnipotentis Dei bonitas mala premissa non sineret fieri nisi bona ex hiis elicere previdisset, procul dubio mors nobis satis desiderabilior esset quam vita ; sed sperantes quod hoc ad tempus dissimulat ut vexatio intellectum populo suo tribuat ut discat abstinere a vetitis seque exerceat premissis, expectamus quod diu, etsi non propter aliud saltem propter Terre Sancte negocium, misericordiam suam non desinet fundere, populum suum ad pacem et concordiam revocando ut sic operibus pietatis et specialiter Terre Sancte negocio vacare possint liberius ac saluti intendere animarum. Quid circa questionem visionis animarum ordinaverimus, ad regalem noticiam credimus diu est pervenisse. Injunximus quidem fratribus nostris scilicet Sancte Romane [Ecclesie] cardinalibus ac prelatis aliis et doctoribus theologie ac juris canonici presentibus in Curia ut super illa cum diligentia studeant, nobisque quid eis videtur exponent, quod ut promptius possent facere multarum auctoritatum tam canonis quam originalium sanctorum pro utraque parte collectorum copiam fecimus, et ut hoc diligentius studerent facere sentenciam excommunicationis ipsos voluimus incurrere qui premissa non adimplerent, absolutione nobis nostrisque successoribus reservata. Gratia Domini Nostri Jesu Christi sit tecum, carissima filia, que in agendis te dirigat et protegat ab adversis. Datum ut supra [IIII idus marcii, anno decimo octavo]. »

5426 12 mars 1334.

Archiepiscopo Rothomagensi eadem in questione visionis animarum significat eique quosdam legatos commendat. (Reg. 117, fol. 192, c. 963 ; — Denifle, *Chartularium*, t. II, p. 439, n. 985).

« *Petro, Rothomagensi archiepiscopo.* Quia nos te absentem a regia curia credebamus, pauca fraternitati tue scribimus ; plura scripsissemus si te presentem esse in ipsa curia crederemus. Hoc autem volumus tuam prudentiam non latere quod tam fratribus nostris quam prelatis et doctoribus in theologia et canonibus sub pena excommunicationis injunximus ut studerent sedule in questione visionis divine essentie animarum sanctarum separatarum a corporibus, nobisque dicerent quid in illa sentirent. Et ut diligentius circa illam intenderent, voluimus quod jussa non implentes predicta incurrerent dictam sententiam, absolutione nobis ac nostris successoribus reservata. Copiam multarum auctoritatum tam canonis quam originalium eis fecimus fieri, ut possent facilius quid nobis respondere debeant previdere, multos enim circa vigilanti credimus studio insudare. Ad partes Flandrie et Brabancie duos episcopos mittimus, quos fraternitati tue commendamus ut ipsos dirigas eorumque expeditionem celerem a regia presentia si presens fuerit studiose procures. Certe legatio quam portavit dilectus filius nobilis vir Hugo Quereti miles, magister Hospicii regii, grata nobis admodum extitit, presertim quia eam credimus Deo gratam. Scribe nobis sepius que nobis tua viderit circumspectio nuncianda. Gratia Dei

sit tecum. Datum ut supra [IIII idus marcii, anno decimo octavo]. »

5427 12 mars 1334.

Guillelmo de Sancta Maura, cancellario regis Franciae, quaedam negotia commendat. (Reg. 117, fol. 192, c. 964).

« *Guillelmo de Sancta Maura, cancellario regio.* Ad contenta in tuis litteris nobis missis ultimo breviter respondemus quod aliam non credidimus intentionem regiam quam que (*sic*) tue littere continebant. Vigila, fili, sedule ut que incumbunt solicitudini regie quem (*sic*) precipue ad subditorum regimen et jura ecclesiarum illibata servanda, que tuum satis concernunt officium, sic procedant quod per illa de regno temporali ad eternum valeat pervenire tuque merearis vel cooperator sedulus in retributione justorum gloriam assequi pleniorem. Negocia nepotum nostrorum tue prudentie commendamus. Datum ut supra [IIII idus marcii, anno decimo octavo]. »

5428 14 mars 1334.

Regi Siciliae ut compositionem olim inter progenitores suos et Hospitale Sancti Johannis Jerosolimitani ac eundem Hospitale hominesque castri de Manoasca Sistaricensis diocesis habitam observari faciat. (Reg. 117, fol. 234, c. 1181).

« *Regi Sicilie.* Cum, sicut accepimus, homines castri de Manoasca, Cistaricensis diocesis, contra formam compositionis olim inter tuos, fili carissime, progenitores et Hospitale Sancti Johannis Jerosolimitani ac Hospitale predictum et homines ipsos facte ut asseritur et ab hactenus observate venire maliciosis adinventionibus satagentes, tue celsitudini aliqua Hospitali predicto prejudicialia suggerere moliantur, regalem excellentiam attentius deprecamur quatinus per dilectum filium nobilem virum senescallum et alios officiales Provincie compositionem ipsam, prout de ea constiterit, faciens tenaciter observari, dictum Hospitale regia providencia non permittat ad instantiam dictorum hominum indebite pregravari. Datum ut supra [II idus marcii, anno decimo octavo]. »

5429 Avignon, 14 mars 1334.

Oddoni de Monteacuto caeterisque prioribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani apud Anicium congregandis ut studeant providere de gente armigera omnibusque necessariis pro passagio ultramarino, cujus rex Franciae capitaneatum assumpsit. (Reg. 117, fol. 200 v°, c. 1011).

« *Oddoni de Monteacuto, priori domorum Arvernie Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, locumtenenti dilecti filii .. magistri Hospitalis ejusdem in cismarinis partibus, ceterisque prioribus, castellanis, preceptoribus et bailivis Hospitalis vel eorum vicesgerentibus apud Anicium in proximo congregandis.* Sicut vestram credimus prudentiam non latere nos dudum ad sedulam carissimi in Christo filii nostri Philippi, regis Francie illustris, instantiam, qui ad Terram Sanctam preciosi aspersione sanguinis Salvatoris nostri Domini Jesu Christi consecratam de manibus eripiendam infidelium intensum gerit devocionis affectum, passagium indiximus de fratrum nostrorum consilio generale, sperantes exinde statui predicte Terre miserabili et christicolis transmarinarum partium adversus diras oppressiones et afflictiones varias quas ab ipsis patiuntur infidelibus oportune ac salubriter, presertim cum rex prefatus pium affectum suum hujusmodi deducere cupiens in effectum capitaneatum et rectoriam generalem dicti passagii assumpsit, divina suffragante gratia subvenire. Sane cum negotium hujusmodi religionem Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, cujus estis precipui professores, ac ejus exaltationem commodum et honorem concernere specialiter dinoscatur, et idcirco expediat vos et totam religionem vestram devotos et promptos super hoc exhibere, sinceritatem vestram rogamus, hortamur et obsecramus in Domino Iesu Christo quatinus, premissis et aliis que vobis possunt et debentur (*sic*) circa hec occurrere consideranter attentis, in congregatione vestra quam in civitate Aniciensi celebrandam in proximo statuistis, de gente armigera, vasis navigabilibus et aliis oportunis pro passagio supradicto, necnon et de pecuniario subsidio dilectis filiis magistro et ultramarino conventui Hospitalis predicti etiam ultra responsiones solitas exhibendis sic prompte liberari (*sic*) unanimiter ordinare ac disponere studeatis quod tam contra Turcos infideles, qui temporibus suis christicolas

maritimarum partium oppresserunt crudeliter et crudelius affligere comminantur, quam super aliis passagium predictum et tuitionem christicolarum ipsorum tangentibus possint prefati magister et conventus incumbentia sibi onera, quod ad honorem et exaltationem dicti Hospitalis redundabit merito, supportare, nosque sinceritatis et devotionis vestre prudentiam ex hiis non indigne valeamus in Domino commendare, scituri quod si secus quod absit vos agere contingerit, dissimulare non possemus, cum sicut ex debito servitutis apostolice nobis incumbere noscitur, super hoc provideremus prout ad honorem Dei et utilitatem dicti negocii debitam ordinis prelibati decentiam expediens videremus. Datum Avinione, II idus marcii, anno decimo octavo. »

5430 Avignon, 15 mars 1334.

Deodato Rotbaldi quod fructus beneficiorum suorum ecclesiasticorum usque ad triennium in absentia percipere possit. (Reg. 117, fol. 173, c. 871 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62881).

« *Dilecto filio Deodato Rotbaldi, decano secularis ecclesie de Insula Jordani, Tholosane diocesis.* Meritis tue probitatis — Datum Avinione, idibus marcii, anno decimo octavo.

Judicibus. Quocirca mandamus quatinus — Datum ut supra. »

5431 Avignon, 15 mars 1334.

Arnaldo, episcopo Tutellensi, quod ecclesias et cimiteria suae diocesis violata per alium usque ad triennium reconciliare possit. (Reg. 117, fol. 175 v°, c. 881 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, n. 62885).

« *Venerabili fratri Arnaldo, episcopo Tutellensi.* Desideriis tuis libenter — Datum Avinione, idibus marcii, anno decimo octavo. »

5432 Avignon, 15 mars 1334.

Seguino de Borbotano concedit ut fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad triennium percipere possit, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (Reg. 117, fol. 186, c. 923 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62880).

« *Dilecto filio Seguino de Borbotano, priori secularis ecclesie de Manso, Condomiensis diocesis.* Meritis tue probitatis — Datum Avinione, idibus marcii, anno decimo octavo.

Judicibus. Mandamus quatinus vos — Datum ut in proxima. »

5433 Avignon, 15 mars 1334.

Galhardo de Morlano concedit ut fructus prioratus de Serris in absentia usque ad triennium percipere possit. (Reg. 117, fol. 186, c. 924 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62879).

« *Dilecto filio Galhardo de Morlano, priori prioratus de Serris in ecclesia Lascurrensi, ordinis sancti Augustini.* Religiosis zelus vite — Datum Avinione, idibus marcii, anno decimo octavo.

Judicibus. Mandamus quatinus vos — Datum ut supra. »

5434 16 mars 1334.

Domino de Insula ut filium suum bene tractet ne ille propter defectum sustentationis status sui per mundum peregrinari cogatur. (Reg. 117, fol. 208, c. 1056).

« *Domino de Insula.* Apostolus parentes instruens qualiter ad filios debeant se habere, inter alia precipit ne filios ad iracundiam debeant provocare, quod utique a parentibus in filiis de quibus spes habetur probabilis quod si hoc vitetur proficere continue debeant et ad majora provehi est tenacius observandum. Profecto, sicut ab amicis et inimicis creditur, creator omnium Dominus te tali filio honoravit ideoque prudenciam tuam hortamur in Domino ac toto cordis rogamus affectu, tibi nichilominus paterno consilio suadentes quatinus erga eum sic te liberaliter habeas quod de devoto fieri devotior debeas (1) nec propter defectum sustentationis status sui peregrinari per mundum ipsum non absque periculis oporteat variis, sicut hiis temporibus preteritis noscitur effecisse. Si enim

(1) Corriger : *debeat* ?

hec contingerent, veremur quod et nos et omnes qui eum diligunt breviter audire quod absit poterimus talia que te ac omnes predictos sine fructu mesticia replebunt perpetua et dolore. Datum XVII kalendas aprilis, anno decimo octavo.»

5435 17 mars 1334.

Ambianensi et Noviomensi episcopis ac abbati monasterii Sancti Cornelii Compendiensis mandat ut decretum relaxationis juramentorum, quae nonnulli principes, ratione ville Macliniensis, prestiterant, publicent. (Reg. 117, fol. 176, c. 883; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 725, n. 3563).

« *Venerabilibus fratribus Ambianensi et Noviomensi episcopis, et dilecto filio abbati monasterii Sancti Cornelii de Compendio, Suessionensis diocesis.* Displicenter etc.., ut supra. Volentes autem premissa supradictis partibus et aliis quorum interest fieri manifesta, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios relaxationem, decretum, voluntatem et alia omnia supradicta memoratis partibus earumque valitoribus de quibus vobis videbitur, intimare curetis, facientes inde instrumenta confici publica seriem presentium continentia, illa nobis fideliter transmissuri. Datum ut supra (1) [Avinione, XVI kalendas aprilis, anno decimo octavo].»

5436 17 mars 1334.

Ambianensi et Noviomensi episcopis abbatique monasterii Sancti Cornelii Compendiensis mandat quatinus per publicationem cujusdam decreti apostolici de juramentis prestitis occasione facti civitatis Macliniensis non revocatur commissio quaedam antea Tricastrino et Massiliensi episcopis de eodem negotio facta. (Reg. 117, fol. 176, c. 884; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 726, n. 3564).

« *Eisdem episcopis et abbati.* Licet juramenta super — Datum Avinione, XVI kalendas aprilis, anno decimo octavo.»

(1) Cf. Fayen, *op. cit.*, t. II. p. 724 n. 3562.

5437 17 mars 1334.

Archidiacono Remensi nuntium ad regem Franciae super facto Brabantiae destinatum commendat. (Reg. 117, fol. 201, c. 1012).

« *Philippo de Meleduno, archidiacono Remensi.* Cum litteras nostras patentes super relaxatione juramentorum per que guerre et dissensiones in Brabancia et Flandria nutriri poterant, sicut nosti, carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francie illustri, per presentium exhibitorem mittamus, discretionem tuam attente rogamus quatinus eundem exhibitorem habeas super presentatione litterarum hujusmodi commendatum, procuraturus nichilominus quod litterarum ipsarum executio debita subsequatur.

In e. m. magistro Raymundo Saqueti, decano ecclesie Belvacensis. Datum XVI kalendas aprilis, anno decimo octavo.»

5438 17 mars 1334.

Philippo de Sangineto, senescallo Provinciae et Forcalquerii comitatuum, quod in praeparandis galeis quas papa, rex Franciae et Hospitale Sancti Johannis Jerosolimitani contra Turcos destinant nullum impedimentum praestet. (Reg. 117, fol. 302, c. 1588).

« *Eidem senescallo.* Relatum nobis extitit hiis diebus, licet ipsis relatibus aures accommodare credulas nequeamus, quod apparatum duodecim galearum quas nos et carissimus in Christo filius noster Philippus rex illustris Francie, et Hospitale Sancti Johannis Jerosolimitani contra Turcos intendimus in subsidium fidelium destinare ne armentur in Provincia et extrahantur exinde satagis impedire. Quocirca nobilitatis tue prudentiam hortamur attentius et rogamus quatinus in preparandis, armandis et extrahendis dictis galeis ad usum jamdictum de eadem Provincia nullum impedimentum prestare presumas, quinimmo favorem exhibere pro tam pio opere studeas oportunum, presertim cum carissimi in Christo filii Roberti regis Sicilie illustris etiam res agatur. Datum XVI kalendas aprilis, anno decimo octavo.»

5439 Avignon, 20 mars 1334.

Armando de Pomo quod horas canonicas juxta morem Ecclesiae Romanae dicere possit. (Reg. 117, fol. 297 v°, c. 1562; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62910).

« *Dilecto filio Armando de Pomo, preposito ecclesie de Insula, Cavallicensis diocesis.* Meruit tue devotionis — Datum Avinione, XIII kalendas aprilis, anno decimo octavo. »

5440 Avignon, 20 mars 1334.

Eidem Armando quod usque ad triennium jura civilia audire possit. (Reg. 117, fol. 298, c, 1563; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62911).

« *Eidem preposito* [*Armando de Pomo*]. Desiderantium imbui (1) scientia — Datum ut supra [XIII kalendas aprilis, anno decimo octavo]. »

5441 Avignon, 20 mars 1334.

Regi Franciae scribit de mora nuntiorum ad partes Flandriae missorum et de detentione et judicio Thomae Anglici, qui multas haereses praedicavit. (Reg. 117, fol. 200, c. 1007; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 727, n. 3565; Denifle et Chatelain, *Chartularium*, t. II, p. 440, n. 986; Vidal, *Bullaire de l'Inquisition*, p. 205, n. 141).

« *Regi Francie.* Si nuncios primos nostros magis festine pro negocio Brabancie et Flandrie non misimus, celsitudo regia non miretur. Causa (2) siquidem more nunciorum ipsorum, qui die octava presentis mensis marcii recesserunt de Curia, extitit quia super eodem negocio fratrum nostrorum nos oportuit consilium requirere, quo fuerunt dilationes plures necessarie antequam eorum consilium haberetur. Ceterum circa negocium Thome Anglici, ordinis Predicatorum, pro quo celsitudo regia nunc et alias nobis scripsit, eandem nolumus ignorare quod pro eo quia in sermone quodam multas predicavit publice hereses juxta multorum testimonium theologie doctorum, ab inquisitoribus pravitatis heretice captus extitit et detentus. Tandem autem, quia de ipsis inquisitoribus conquerebatur, ut intelleximus, ipsum ad nos duximus revocandum, cujus causam ut faciliorem haberet exitum, duobus ex fratribus nostris, scilicet Jacobo tituli Sancte Prisce et Raymundo tituli Sancti Eusebii presbiteris cardinalibus, quorum unus in theologia, alter vero in canonibus solennes doctores existunt et probati in talibus, cum ipsi fuerint in Tholosanis partibus, in quibus negocium pravitatis heretice sepius ventilatur, duximus committendum. Ipsum autem non duximus in consistorio ventilandum, quia non est de more quod in consistorio tractarentur talia, quia infinita impedirentur negocia alia, nec haberent finem per tempora longiora, sed cum (1) occurrunt, alicui vel aliquibus ex fratribus vel alii seu aliis examinanda committuntur ad (2) reformanda vel etiam terminanda. Quare si a detentione eum non liberavimus, cum gravitas criminis pro quo detinetur hoc absque lesione justicie et consuetudinis in hoc servate hactenus non sineret, nec in consistorio causam ipsam audivimus, cum multa impedirentur negocia, nec finem celerem posset assequi negocium supradictum, nos (3) habere velit regalis providentia excusatos. Sic (4) autem detinetur humaniter quod firmiter credimus quod nec conqueretur nec habebit materiam conquerendi. Datum Avinione, XIII kalendas aprilis, anno decimo octavo. »

(1) Reg. : *imbi.*
(2) Reg. : *clausa.*

5442 Avignon, 20 mars 1334.

Regi Franciae Johannem Gradenico, ducis et communis Venetorum super facto Turcorum nuntium ad eum proficiscentem, commendat. (Reg. 117, fol. 200 v°, c. 1008).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Quid super facto Turcorum inter gentem nostram et regiam ac dilectorum filiorum .. magistri Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani necnon .. ducis et communis Venetorum nuncios et pro utilitate generalis passagii tractatum fuerit, dilectus filius nobilis vir Johannes Gradenico dictorum ducis et com-

(1) Reg. : *cum que.*
(2) Reg. : *ac.*
(3) Reg. : *quare nos.*
(4) Reg. : *si.*

munis nuncius, qui solus ad presentiam proficiscitur regiam quia ejus collega sicut Domino placuit Avinione diem clausit extremum, vive vocis oraculo excellentie regie innotescet, quem benivolentie regie commendantes eandem rogamus attentius et hortamur in Domino ut ipsum benigne audiat et ad illos qui eum miserunt remittat ocius expeditum. Datum ut supra [XIII kalendas aprilis, anno decimo octavo].»

5443 Avignon, 22 mars 1334.

Bernardo de Montevabrano, Bernardo de Casis et Gasberto de Montelhausimo ut bona Johannis, episcopi Venetensis, senio et morbo confracti ejusque ecclesiae recipiant et eidem episcopo de necessariis provideant. (Reg. 117, fol. 176 v°, c. 885).

«*Dilectis filiis magistris Bernardo de Montevabrano, cancellario Majoris, et Bernardo de Casis, subdecano Beati Martini, ac Gasberto de Montelhausimo, canonico ejusdem Majoris Turonensis ecclesiarum.* Ad nostri apostolatus auditum relatio fidedigna perduxit quod venerabilis frater noster Johannes, episcopus Venetensis, adeo est senio et debilitate confractus morboque paralitico, sicut fertur, incurabili, quasi officio lingue omisso, percussus quod ad exequendum pastorale officium et gerendam administrationem ecclesie Venetensis sibi commisse inutilis est effectus. Nos autem ad quos ex injuncte nobis desuper apostolice servitutis officio pertinet super talibus providere, volentes quod eidem episcopo decenter necessaria, ne sibi afflicto quomodolibet addatur afflictio sed potius assit caritatis consolatio ministrentur bonaque ipsius conserventur fideliter et nichilominus administrationi ejusdem ecclesie provideatur utiliter et salubriter ordinetur, discretioni vestre de qua fiduciam in Domino gerimus specialem per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum ad eandem ecclesiam et partes illas vos personaliter conferentes, non obstante quod idem episcopus dilectos filios Silvestrum Leparezi archidiaconum et Henricum Lecamus canonicum Venetenses in coadjutores suos de consilio sui capituli preter formam juris, cum jam lingua percussus et aliorum membrorum officio destitutus tunc existeret, sicut fertur, nobisque inconsultis assumpisse dicatur, omnia bona ipsius episcopi et ecclesie Venetensis ad eum spectantia ubicumque sint et in quibuscumque rebus consistant, de quibus vos summarie simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii fideli adhibita diligencia informetis (1), ad manum nostram ponere, recipere ac fideliter custodire sub eadem manu procuretis, provisum tamen quod exinde prefato episcopo pro se suisque servitoribus decenter necessaria ministrentur; et insuper ab eisdem Silvestro et Henrico super quibuscumque per eos receptis et administratis de bonis prefati episcopi et ecclesie memorate rationes fideles exigatis et recipiatis quas per vos diligenter examinatas ad nostram mittere Cameram nullatenus omittatis, providendo nichilominus quod bona spiritualia et temporalia episcopi et ecclesie predictorum fideliter et utiliter quousque per vos aliud ordinatum super hoc extiterit gubernentur. Contradictores et cetera..., non obstante si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Avinione, XI kalendas aprilis, anno decimo octavo.»

5444 22 mars 1334.

Johanni duci Britanniae magistrum Guillelmum Lemozini canonicum Xanctonensem, Apostolicae Sedis nuntium, qui ad regendam ecclesiam Venetensem, Johanne episcopo a paralitico morbo percusso, mittitur, commendat. (Reg. 117, fol. 201, c. 1013).

«*Johanni duci Britannie.* Non sine magna compassione percepto venerabilem fratrem nostrum Johannem episcopum Venetensem adeo (2) paralitico morbo percussum, quod quasi lingue aliorumque membrorum officio noscitur quo Dei oculto judicio destitutus, ad exequendum pontificale officium et ministrandum ecclesie sue bona spiritualia et temporalia inutilis sicut asseritur est effectus, nos ad quos pertinet super talibus providere, pro conservandis bonis eorundem episcopi

(1) Reg. : *te informetis.*
(2) Reg. : *a intabili.* Cf. l'acte suivant.

et ecclesie aliisque gerendis que circa hec oportuna dinoscuntur existere, dilectum filium magistrum Guillelmum Lemozini, canonicum Xanctonensem, Apostolice Sedis nuncium, providimus ad partes illas cum certis nostris inde directis litteris propterea destinandum. Quocirca nobilitatem tuam attentius deprecamur quatinus prefatum nuncium habens pro nosrta et ejusdem Sedis reverentia favorabiliter commendatum, ut ea que in partibus illis sibi committimus exequi et complere valeat eidem tue benivolentie favorem impendas sicque per tuos facias officiales impendi quod nos devotionem tuam commendare provide cum gratiarum actionibus merito debeamus. Datum XI kalendas aprilis, anno decimo octavo. »

5445 22 mars 1334.

Johanni episcopo Venetensi ut eundem Guillelmum benigne recipiat. (Reg. 117, fol. 201, c. 1014).

« *Johanni, episcopo Venetensi.* Non sine magna compassione percepto te frater adeo paralitico morbo percussum quod lingue aliorumque membrorum quasi officio noscitur quo Dei occulto judicio destitutus, non potes tuum officium exequi commode nec bonorum tuorum ecclesie tue spiritualium et temporalium administrationem utiliter gerere, ut deceret, nos ad quos ut nosti pertinet super talibus providere non ad Dei (1) detrahendum in aliquo sed consolationem pocius tribuendam et ne bona tua dissipari sed tibi pocius si donante Domino convalueris cum illi (2) vel illis cui vel quibus debebuntur conservari valeant fideliter, inde tibi sufficienter quamdiu vixeris necessariis ministratis, dilectum filium magistrum Guillelmum Lemozini canonicum Xanctonensem, Apostolice Sedis nuncium, ad te partesque illas cum nostris certi tenoris litteris providimus destinandum. Quocirca fraternitatem tuam rogamus et hortamur in Domino quatinus flagellum quod tibi misit Dominus qui castigat quos diligit pacienter sustineas, et eidem qui percutit et sanat, mortificat et ministrat ac vulnerat juxta sue voluntatis beneplacitum et medetur gratiarum referre cum humilitate spiritus studeas actiones, juramento per te corporaliter prestito ceterisque renunciationibus factis expresse summittens; et quod pro eo quod de dictis pecunie summis nec per dictum virum tuum dum viveret nec per te alias gravi ut dicebatur necessitate constrictos seu per alium vel alios pro parte dicti viri tui vel tua fuerat prefatis mercatoribus seu societatibus aut alicui vel aliquibus ipsorum in eisdem terminis integre satisfactum, tu una cum familiaribus tuis et nonnullis aliis qui tecum participaverant noscebaris propter hoc latas excommunicationum et alias spirituales penas et sententias incurrisse; ac insuper eodem procuratore tuo pro parte tua nobis humiliter supplicante ut tam tibi ac familie quam aliis predictis super hiis de oportuno providere remedio dignaremur, nos quantum cum Deo salvaque honestate justicie potuimus hujusmodi tuis supplicationibus inclinati, prefatis mercatoribus pro se ac prelibatis societatibus tunc in nostra presentia constitutis de consensu ipsorum et cujuslibet eorundem te ac familiam, tuis dumtaxat cotidianis obsequiis insistentem, predictam ab hujusmodi penis et sententiis quas incurreratis propterea auctoritate apostolica per quasdam nostras certi tenoris litteras primo duximus absolvendas, ita tamen quod obligatione, juramento et fidejussione hujusmodi alias in suo vigore manentibus, nisi infra unum annum a die data litterarum ipsarum in antea numerandum predictis mercatoribus et eorum singulis seu societatibus eorumdem de prelibatis pecunie summis integraliter existeret satisfactum, tu et familia predicte recideretis in dictas sententias; eo ipso voluimus etiam quod interim tu et familie tue jamdicte premissa occasione non possetis eisdem sententiis innodari prout in eisdem sententiis plenius continetur. Et subsequenter nonnullas alias similes prorogationes super eisdem summis pecunie de voluntate ac consensu mercatorum predictorum diversis temporibus ad tuam instantem supplicationem per diversas litteras nostras fecimus, sicut in eis plenius continetur. Sane cum ultime prorogationis hujusmodi terminus, nondum integre satisfacto de dictis pecunie summis prelibatis mercatoribus, sit in festo Resurrectionis Dominice instanti proximo finiendus, pro parte tua nobis iterum humiliter extitit supplicatum ut cum adhuc diversis gravata necessitatibus nequeas supradictis mercatoribus de predictis pecunie summis satisfacere ut teneris, tibi ac familie predictis providere ulterius

(1) Corr. : *ad ei* ?
(2) *Sic.* Corr. : *ab illo vel* ?

prefatum nuncium quem pro tua consolatione ut prefertur mittimus benigne et placide nichilominus recepturus. Datum ut supra.»

5446 23 mars 1334.

Regi Franciae negotia quae Guillelmus de Narbona, dominus de Monteacuto, Tholosanae diocesis, in regali curia expedire habet commendat. (Reg. 117, fol. 201 v°, c. 1018).

« *Regi Francie.* Cum dilectus filius nobilis vir Guillelmus de Narbona, dominus de Monte Acuto, Tholosane diocesis, quedam habeat sua negocia in regali curia, ut accepimus, expedire, ipsum nobilem et negocia hujusmodi benivolencie regie propensius commendamus. Datum X kalendas aprilis, anno decimo octavo.»

5447 Avignon, 23 mars 1334.

Blancham comitissam Sabaudiae de sententia excommunicationis quam non solvendo in prefixis terminis certas pecuniae summas quondam Eduardo comiti, viro suo, a societate Bardorum nomine mutui concessas, incurrerat, absolvit, praedictae solutionis terminum prorogando. (Reg. 117, fol. 298 v°, c. 1567 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62918).

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Blanche, comitisse Sabaudie.* Exponente nobis olim pro parte tua dilecto filio Remigio de Sancta Margarita, canonico Trecensi, procuratore tuo in nostra presentia constituto, quod pro certis pecunie summis quas quondam Eduardus, comes Sabaudie, vir tuus, dum viveret a dilectis filiis Francisco Renucii, Gerardo Francisco et Johanne Danivi fratribus, et Albizo Mancellini et Jacobo Mantari ac quondam Renucio Hugonis et quondam Bencio Carucii civibus Florentinis, mercatoribus, et societatibus eorundem receperat nomine mutui solvendas in certis prefixis [terminis] nunc elapsis, de voluntate dicti viri tui te tanquam principalem personam ipsis mercatoribus pro se et dictis eorum societatibus duxeras obligandam, te nichilominus ad ipsorum mercatorum instantiam pro se et dictis societatibus Camere nostre jurisdictioni de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur quantum cum Deo salvaque honestate justicie possumus, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, dilectis filiis Francisco Renucii et Albizo Mantellini ac Johanne Baudi Francisci Gerardi et Johannis Davini fratrum ac Lippi de Tignanno heredum Beuclin Carucii et Jacobi Monchini predictorum sociorumque suorum procuratoribus pro se suisque societatibus coram nobis similiter constitutis de consensu eorum et cujuslibet eorumdem hujusmodi ultimum terminum usque ad proximum futurum festum Nativitatis Dominice auctoritate presentium prorogamus, ita tamen quod obligatione, juramento et summissione predictis alias ut prefertur in suo vigore manentibus, nisi infra hujusmodi terminum nunc auctoritate presentium prorogatum dictis mercatoribus et eorum singulis seu societatibus eorundem de predictis pecunie summis integraliter fuerit satisfactum, eo ipso tu cum familia tua predicta in easdem sententias relabaris. Volumus autem quod interim tu ac familia tua predicta premissorum occasione non possitis eisdem sententiis innodari, quodque tu predictis mercatoribus superstitibus et defunctorum heredibus predictorum obligata remaneas et ejusdem Camere ac vice auditoris et officialium predicte Camere jurisdictioni supposita, et perinde contra te dictamque familiam procedi valeat sicut prius. Nulli ergo etc. Datum Avinione, X kalendas aprilis, anno decimo octavo.»

5448 Avignon, 24 mars 1334.

Arnaldo episcopo Tutellensi quod in instanti Sabbato Sancto duas personas unam ad presbyteratus et alteram ad diaconatus ordines apud Sedem Apostolicam promovere possit. (Reg. 117, fol. 176 v°, c. 886).

« *Venerabili fratri Arnaldo, episcopo Tutellensi.* Ut in instanti — Datum Avinione, IX kalendas aprilis, anno decimo octavo.»

5449 27 mars 1334.

Johanni archiepiscopo Compostellano ut quosdam libros a Berengario archiepiscopo, praedecessore suo, conventu fratrum Praedicatorum Ruthenensi datos eidem conveni tui restituat. (Reg. 117, fol. 241 v°, c. 1228).

« *Johanni, archiepiscopo Compostellano.* Oblata nobis pro parte dilectorum filiorum prioris et conventus fratrum ordinis Predicatorum Ruthenensium pridem petitio continebat quod bone memorie Berengarius, archiepiscopus Compostellanus, proximus predecessor tuus, qui ejusdem ordinis professor extitit, dudum antequam ipsum ecclesie Compostellane prefecimus in archiepiscopum et pastorem, de speciali licencia quondam Aymerici ejusdem ordinis generalis magistri quosdam libros, etiam ex quo ad prelaturam promotus fuerat ex privilegio Sedis Apostolice dicto ordini indulto, ad ipsos conventum cum in eo idem Berengarius prefatum ordinem fuisset expresse professus pertinentes, videlicet Concordantias, evangelia sanctorum Mathei et Marci per beatum Thomam confessorem glosata, Summam ejusdem sancti Thome in duobus voluminibus et multa alia opera ejusdem sancti, Augustinum de verbis Domini, moralia Gregorii super Job, omelias ipsius super Ezechielem et evangelia ac pastorales postillas super Exodum et diversos alios libros in suis inde confectis litteris plenius expressatos (1) propria liberalitate donavit, eandemque donationem postquam ad prefatam ecclesiam promotus fuisset ratificavit expresse, eosdem libros de novo donans conventui supradictis, prout in instrumentis publicis de ultima hujusmodi donatione confectis que, una cum dictis libris, in conventu Compostellano fratrum ipsius ordinis deposuit dum viveret, plenius continetur; et quod tu a prefatis conventu Compostellano dictos libros sic depositos habuisti nec curasti eos dictis conventui Ruthenensi restituere, licet super hoc fueris pro parte ipsorum instanter et humiliter requisitus. Quare nobis pro parte ipsorum fuit humiliter supplicatum ut providere eis super hiis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur, attendentes tuam non decere prudentiam eosdem libros si premissis suffragetur veritas detineri in dictorum prioris et conventus prejudicium ulterius occupatos, fraternitatem tuam requirimus et attente rogamus, per apostolica tibi scripta mandantes ut prefatos libros si est ita dictis priori et conventui prout fuerint per archiepiscopum prefatum depositivelis restituere absque dilatione quacumque; in hoc enim justicie satisfacies nobisque gratum obsequium exhibebis; nec enim in justicia possemus eisdem priori et conventui post legitimam requisitionem deficere cujus ex commisso nobis officio sumus in omnibus debitores. Datum VI kalendas aprilis, anno decimo octavo. »

(1) Reg. : *expressatas.*

5450 Avignon, 28 mars 1334.

Guidoni Rollandi, subdiacono, quod ratione archipresbyteratus de Bellaico ad superiores ordines se facere promoveri usque ad unum annum non teneatur. (Reg. 117, fol. 177, c. 889; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62928).

« *Dilecto filio Guidoni Rollandi archipresbitero archipresbiteratus de Bellaico, Caturcensis diocesis.* Exigunt tue multiplicia — Datum Avinione, V kalendas aprilis, anno decimo octavo. »

5451 29 mars 1334.

Johanni archiepiscopo Compostellano ut quosdam libros et jocalia quondam Berengarii praedecessoris sui Bernado Carrerii ordinis fratrum Praedicatorum, qui in servicio ejusdem praedecessoris fuit, restituat. (Reg. 117, fol. 241 v°, c. 1229).

« *Eidem archiepiscopo* [*Compostellano*]. Significavit nobis dilectus filius Bernardus Carrerii, ordinis fratrum Predicatorum, qui dudum in servicio bone memorie Berengarii archiepiscopi Compostellani proximi predecessoris tui extitit, quod tu quosdam libros ac jocalia divino dedicata cultui et res ad dictum ordinem pertinentia et ad usus suos per ipsum ordinem deputata que in illis dimisit partibus recipisti seu recipi per alios mandavisti, non curans ea sibi restituere licet instanter et humiliter pro parte ipsius super hoc fueris requisitus. Quare nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur, attendentes tuam non decere providentiam si premissis suffragetur veritas, libros, jocalia et res predicta tenere in dicti Bernardi et ordinis prejudicium ulterius occupata, qui pocius ex quodam honestatis debito familiaribus dicti predecessoris teneris in honestis et licitis assistere favoribus et auxiliis oportunis, fraternitatem tuam requirimus et rogamus attente per apostolica tibi scripta mandantes quatinus libros,

jocalia et res predicta velis prefato Bernardo vel ejus procuratori restituere absque dilatione quacumque. In hoc enim justicie satisfacies nobisque gratum obsequium exhibebis. Datum IIII kalendas aprilis, anno decimo octavo. »

5452 Avignon, 31 mars 1334.

Universas personas ecclesiasticas Ebredunensis provinciae hortatur ut cum reservatio fructuum et reddituum unius anni omnium beneficiorum ecclesiasticorum prius facta usque ad unum annum prorogata sit, praedictos fructus et proventus a collectoribus levari libere permittant. (Reg. 117, fol. 298, c. 1564).

« *Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Ebredunensi ejusque suffraganeis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatis et rectoribus, capitulis quoque, collegiis et conventibus Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Grandimontensis, Cartusiensis, Vallisumbrose, Camaldulensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum ceterisque personis ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus exemptis et non exemptis per civitatem, diocesim et provinciam Ebredunensem constitutis.* Dudum multiplicibus expensarum — Datum Avinione, II kalendas aprilis, anno decimo octavo. »

5453 Avignon, 31 mars 1334.

Hugoni de Mandagota et Raymundo Baboti ut praefatos fructus et redditus in dicta provincia exigant et recipiant. (Reg. 117, fol. 298 v°, c. 1565).

« *Dilecto filio Hugoni de Mandagoto, preposito, et Raymundo Baboti, archidiacono ecclesie Ebredunensis.* Dudum multiplicibus etc — Datum ut supra [Avinione, II kalendas aprilis, anno decimo octavo].

« Item alie due similes in civitate, diocesi ac provincia Aquensi. Collectores : Hugo Gaucelmi prepositus et Raymundus Nauloni, archidiaconus ecclesie Aquensis.

« Item alie due similes in civitate, diocesi ac provincia Arelatensi. Collectores : Raymundus de Moreriis, capellanus noster, prepositus, et Geraldus de Laneis, infirmarius ecclesie Arelatensis. Addita clausula : ceterum nostre intentionis existit quod reservationis hujusmodi prorogatio ad fructus beneficiorum infra regnum Francie consistentium que de provincia prefata existunt nullatenus extendantur.

« Item alie due similes in civitate, diocesi ac provincia Viennensi. Collectores : Zacharias de Sancto Juliano prior secularis ecclesie Sancti Martini Viennensis et ..officialis Viennensis cum eadem clausula. Datum ut supra. »

5454 3 avril 1334.

Locum tenenti magistri Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani fratrem Hugonem de Vallibus commendat, ut eidem fratri de aliqua domo vel bailia ejusdem religionis in regno Francie consistente provideri faciat. (Reg. 117, fol. 201 v°, c. 1020).

« *Locum tenenti dilecti filii .. magistri Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, ac .. prioribus et preceptoribus ejusdem Hospitalis in proximo Anicii congregandis.* Cum nos dilectum filium Hugonem de Vallibus, fratrem religionis vestre Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, geramus certis considerationibus in visceribus caritatis, eum super provisione sibi de aliqua preceptoria, domo vel bailia ejusdem religionis in regno Francie consistente juxta sui status decentiam facienda providentie vestre affectuosius commendamus. Datum III nonas aprilis, anno decimo octavo. »

5455 4 avril 1334.

Philippo regi Franciae negotia quae Petrus de Orto in regali curia ratione hereditatis Finae Tarisiae uxoris suae et Helenae Tarisiae dictae Finae sororis expedire habet, commendat. (Reg. 117, fol. 201 v°, c. 1015).

« *Philippo, regi Francie.* Cum dilectus filius nobilis vir Petrus de Orto, familiaris noster, quedam ratione bonorum hereditariorum dilectarum in Christo filiarum nobilium mulierum Fine Tarisie, uxoris sue, et Helene Tarisie, dicte Fine sororis, habeat in regali curia sicut asserit expedire, ipsum super hiis regie benivolentie commendamus. Datum II nonas aprilis, anno decimo octavo. »

5456 4 avril 1334.

Petro archiepiscopo Rothomagensi eundem Petrum commendat. (Reg. 117, fol. 201 v°, c. 1016).

« *Petro, archiepiscopo Rothomagensi.* Cum dilectus filius — Datum ut supra [II nonas aprilis, anno decimo octavo].

In e. m. magistro Guillelmo de Sancta Maura, regio cancellario. »

5457 4 avril 1334.

Bertrando Bonifatii et Petro Raymundi de Rapistagno eundem Petrum commendat. (Reg. 117, fol. 201 v°, c. 1017).

« *Magistro Bertrando Bonifatii, canonico Parisiensi, et nobili viro Petro Raymundi de Rapistagno, senescallo Agennensi.* Dilectum filium nobilem — Datum ut supra [II nonas aprilis, anno decimo octavo]. »

5458 6 avril 1334.

Roberto Albaroni domino Montisfrini aegrotanti magistrum B. de Cannassio phisicum suum mittit. (Reg. 117, fol. 302 v°, c. 1591).

« *Nobili viro Roberto Albaroni, domino Montisfrini.* Quia te, fili, ab infirmitate corporali qua gravaris visitante Domino cupimus liberari, ecce dilectum filium magistrum B. de Cannassio, archidiaconum Lomberi ensem inecclesia Albiensi, phisicum nostrum qui tibi consolationis et adjutor ministerium juxta datam sibi a Deo experientiam exhibeat tibi providimus destinandum, nobilitatem tuam in Domino attencius exhortantes quatinus in Deo qui tocius consolationis est auctor spem figens et ei qui te visitare misericorditer dignatus est gratiarum referens in humilitate spiritus actiones, prefatum phisicum tue salutis specialem utique zelatorem placide suscipias, ejusque salubribus consiliis que pro tui salute corporis suffragante sibi divina gratia tibi dederit et ministraverit acquiescas, eidem super aliis que tibi pro parte nostra dixerit fidem credulam nichilominus adhibendo. Datum VIII idus aprilis, anno decimo octavo. »

5459 Avignon, 8 avril 1334.

Arnaldo de Orto concedit ut fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad triennium percipere possit, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis. (Reg. 117, fol. 186 v°, c. 926 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 62970).

« *Dilecto filio Arnaldo de Orto, canonico Vasatensi.* Vite ac morum — Datum Avinione, VI idus aprilis, anno decimo octavo.

Judicibus : dilectis filiis .. scolastico et Helie Armandi et Pontio de Pomeriis, canonicis ecclesie Burdegalensis. Quocirca discretioni vestre — Datum ut supra. »

5460 8 avril 1334.

Arnaldo vicecomiti Caramanni quod tractet pacem inter Galhardum de Monteacuto, Montislavardi et Geraldum de Barone, Salvaeterrae dominos. (Reg. 117, fol. 201 v°, c. 1021).

« *Nobili viro Arnaldo, vicecomiti Caramanni.* Cupientes periculosam discordiam quam pacis hostis caritatis emulus inter dilectos filios nobiles viros Galhardum de Monteacuto, Montislavardi, et Geraldum de Barone, Salveterre dominos suscitare invicem, sicut displicenter audivimus, studuit per viam pacificam, ut obvietur periculis eis ex ipsa discordia imminentibus, terminari, volumus quod eosdem nobiles quibus inde scribimus ad tuam convocans presentiam, procurare per te ac alios de quibus fuerit expediens pacis consilia studeas, viis et modis quibus melius fieri poterit inter eos. Datum VI idus aprilis, anno decimo tavo. »

5461 8 avril 1334.

Praefato Galhardo ut consiliis dicti Arnaldi pro pace acquiescat. (Reg. 117, fol. 201 v°, c. 1022).

« *Nobili viro Galhardo de Monteacuto, domino Montislavardi.* Displicenter audito quod hostis

pacis et humani generis inimicus inter te ac dilectum filium nobilem virum Geraldum de Barone, dominum Salveterre, dissentionem tibi et sibi periculosam nedum suscitare quinimmo suscitatam adaugere studuit hiis diebus (1), nos cupientes dissensionem ipsam ut tuis et ejusdem nobilis obvietur in hac parte periculis per viam pacificam terminari, dilecto filio nobili viro Arnaldo, vicecomiti Caramanni, nepoti nostro, scribimus ut te ac nobilem ipsum convocans inter vos (2) invicem studeat pacis consilia procurare. Quocirca nobilitatem tuam exhortamur attentius, sano tibi nichilominus consilio suadentes quatinus animum tuum ad pacem inclinans hujusmodi, dicti vicecomitis exhortationibus salubribus super hiis efficaciter acquiescas.

In eundem modum dicto Geraldo. Datum ut supra. »

5462 8 avril 1334.

Aymoni comiti Sabaudiae ut ad pacem procurandam treugas cum Imberto, dalphino Viennensi, initas prorogare velit. (Reg. 117, fol. 302, c. 1589).

« *Aymoni, comiti Sabaudie.* Tractatum pacis inceptum inter te, fili, ex parte una et dilectum filium nobilem virum Imbertum, dalfinum Viennensem, ex altera feliciter ad Dei honorem ac utriusque vestrum aliorumque multorum tam subditorum quam aliorum commodum consumari et interim obviari salubriter eis que possent ipsum impedire tractatum desiderabiliter cupientes, nobilitatem tuam hortamur in Domino attentius et rogamus quatinus treugarum inter vos invicem indictarum terminum, qui sicut accepimus instare noscitur, usque ad alium terminum competentem cum eodem Dalfino, cui super hoc scribimus ut quiescentibus hincinde bellicis commotionibus et odiosis insultibus eidem intendi valeat, liberius velit tua prudentia prorogare. Datum VI idus aprilis, anno decimo octavo.

In e. m. eidem dalfino. »

(1) *diebus* en marge.
(2) Reg. : *inter vos inter vos.*

5463 8 avril 1334.

Dalfino Viennensi ut Petro episcopo Aurasicensi et Girberto abbati monasterii Sancti Egidii, ordinis sancti Benedicti, Nemausensis diocesis, nuntiis apostolicis fidem adhibens, pacem cum Ademaro episcopo Valentino faciat. (Reg. 117, fol. 302, c. 1590).

« *Dalfino Viennensi.* Dissensionem quam inter te et venerabilem fratrem nostrum Ademarum, episcopum Valentinum, suscitare hiis diebus sicut displicenter audivimus hostis pacis invicem studuit, cupientes per viam pacificam omissis omnino bellicis congressibus et guerrarum fremitibus ex quibus Deus offenderetur graviter et via panderetur innumeris malis et periculis terminari, ecce venerabilem fratrem nostrum Petrum, episcopum Aurasicensem, et dilectum filium Girbertum, abbatem monasterii Sancti Egidii, ordinis sancti Benedicti, Nemausensis diocesis, viros utique providentia et circumspectione preditos ac in arduis expertes negociis pacisque hujusmodi fervidos zelatores, ad tuam et ipsius episcopi presenciam partesque illas providimus propterea tanquam pacis angelos destinandos. Quocirca nobilitatem tuam hortamur in Domino attentius et rogamus quatinus eorundem episcopi et abbatis exhortationibus, persuasionibus et consiliis in hac parte salubribus sic efficaciter acquiescas quod tua proinde debeat providencia merito commendari.

In eundem modum dico tepiscopo Valentino mutatis competenter mutandis. Datum VI idus aprilis, anno decimo octavo. »

5464 Avignon, 9 avril 1334.

Petro episcopo Aurasicensi et Girberto abbati monasterii Sancti Egidii Nemausensis diocesis, Apostolicae Sedis nuntiis, ut inter Ademarum episcopum Valentinum et Imbertum dalphinum Viennensem, qui occasione quorundam jurium ad congressus bellicos se disponunt, treugas usque ad tempus quod eis videbitur expedire inducant, eisdemque Ademaro et Imberto, si causam coram ipso papa agitari elegerint, peremptorium terminum ad comparendum assignent. (Reg. 106, fol. 4, c.10 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63887).

« *Venerabili fratri Petro, episcopo Aurasicensi, et dilecto filio Girberto abbati monasterii Sancti*

Egidii, Nemausensis diocesis, salutem. Cum illius licet — Datum Avinione, V idus aprilis, anno decimo octavo. »

5465 Avignon, 9 avril 1334.

Universis personis ecclesiasticis ut praefato episcopo Aurasicensi de quatuor libris turonensium parvorum et praefato abbati Sancti Egidii de sexaginta solidis dictae monetae diebus singulis providere curent eosque benigne recipiant. (Reg. 106, fol. 4 v°, c. 11 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63888).

« *Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris, rectoribus et aliis ecclesiarum prelatis vel eorum vices gerentibus, capitulis quoque conventibus ceterisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, Cluniacensis, Cisterciensis, Cartusiensis, Premonstratensis, Grandimontensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum, necnon Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani et Beate Marie Theotonicorum, Calatravensis et Humiliatorum domorum magistris, prioribus ac preceptoribus vel eorum loca tenentibus ad quos presentes littere pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.* Cum pro pacis — Datum Avinione, V idus aprilis, anno decimo octavo. »

5466 12 avril 1334.

Regi Franciae ea quae Raymundus Johannis de Caturco in regali curia expedire habet commendat. (Reg. 117, fol. 201 v°, c. 1019).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Dilectum filium nobilem virum Raymundum Johannis de Caturco, familiarem nostrum, super hiis que tecum, fili carissime, ac in regali habet curia sicut accepimus expedire, benivolentie regie propensius commendamus. Datum II idus aprilis, anno decimo octavo. »

5467 15 avril 1334.

Johanni episcopo Ambianensi de duobus milibus florenis auri pro parte sua a magistro P. de Foresta canonico Ambianensi oblatis gratias agit. (Reg. 117, fol. 202, c. 1023).

« *Johanni, episcopo Ambianensi.* De duobus milibus florenis auri per dilectum filium magistrum P. de Foresta, canonicum Ambianensem, familiarem tuum, nobis pro parte tue fraternitatis oblatis gratiarum tibi referimus uberes actiones, prompti quantum cum Deo poterimus ad ea que tuum et ecclesie tue respiciant comodum et honorem. Datum XVII kalendas maii, anno decimo octavo. »

5468 Avignon, 16 avril 1334.

Petro Aurasicensi et Guillelmo Sancti Papuli episcopis ut de Raymbaldo de Chalma et Petro Raynerii alias dicto de Chalma, clericis Vapincensis diocesis qui quondam Guillelmo de Bulbone militi vulnera intulisse false dicuntur, veritatem inquirant et exhibeant justitiae complementum. (Reg. 117, fol. 299 v°, c. 1568 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63020).

« *Venerabilibus fratribus Petro Aurasicensi et Guillelmo Sancti Papuli episcopis.* Pro parte dilectorum filiorum Raymbaldi de Chalma et Petri Raynerii alias dicti de Chalma clericorum Vapincensis diocesis coram nobis proposita peticio continebat quod ad eorum deductum extitit noticiam aliquos suos emulos fame ipsorum et statui detrahere satagentes, minus veraciter murmurasse seu eciam confinxisse clericos eosdem de vulneribus pridem in personam quondam Guillelmi de Bulbone militis illatis ex quibus obiit fuisse culpabiles et suspectos. Cum autem se de hiis sentiant ut ex parte ipsorum asseritur penitus innocentes, fecerunt nobis humiliter supplicari ut, ne fama ipsorum presertim si de hiis reperiantur ut premittitur innocentes denigrari vel gravari ex talibus valeat, veritatem inquiri et exhiberi super predictis complementum justicie per discretos aliquos mandaremus. Nos igitur, nolentes eis in justicia deficere in qua sumus omnibus debitores, fraternitati vestre per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus vos vel alter vestrum an prefati clerici suspecti sint vel culpabiles de predictis vulneribus summarie simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii veritatem, vocatis quos evocandos noveritis, diligentius inqui-

ratis, et tandem eorum auditis et examinatis defensionibus si quas proponere voluerint coram vobis, ad eorum famam servandam et innocentiam pretendendam, exhibere curetis super predictis et ea tangentibus, quatenus eosdem clericos et quemlibet ipsorum tangere dinoscuntur, justicie complementum. Datum Avinione, XVI kalendas maii, anno decimo octavo. »

5469 Avignon, 22 avril 1334.

Arcambaldo episcopo Sancti Flori testandi facultatem concedit. (Reg. 117, fol. 177 v°, c. 892 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63058).

« *Venerabili fratri Arcambaldo, episcopo Sancti Flori.* Quia presentis vite — Datum Avinione, X kalendas maii, anno decimo octavo. »

5470 Avignon, 22 avril 1334.

Heliae, abbati Beatae Mariae de Corona, qui de quibusdam responsurus ad Curiam citatus erat, litteras testimoniales de recessu suo concedit. (Reg. 117, fol. 177, c. 888 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII., n. 63059).

« *Dilecto filio Helie, abbati monasterii Beate Marie de Corona, ordinis sancti Augustini, Engolismensis diocesis.* Ex parte tua coram nobis exhibita petitio continebat quod dudum ab emulis tuis impositum extitit, licet falso, quod quondam Arnaldum Peonis et quosdam alios tui monasterii canonicos opprimens indebite post appellationes per eos ad Sedem Apostolicam interjectas eos non sine dicte Sedis contemptu carceri mancipaveras beneficiisque suis spoliaveras, ac excessus alios et inobedientias multas circa hec contra Sedem commiseras supradictam, propter que citatus perhemptorie ut infra certum tunc tibi prefixum terminum coram nobis compareres personaliter super predictis responsurus et recepturus pro demeritis extitisti, quodque tu hujusmodi prefixo termino comparens coram nobis et tuas super predictis excusationes pretendens, tandem inter te dictosque canonicos apud Sedem predictam concordia reformata, venerabilis frater Gasbertus, archiepiscopus Arelatensis, camerarius noster, de mandato nostro verbotenus sibi facto tibi dedit licentiam de Romana curia recedendi. Sane quia super licencia hujusmodi litteras testimoniales non habens, timere asseris tibi posse imposterum quod ab eadem curia illicenciatus recesseris obici vel opponi, nobis humiliter supplicasti ut providere tibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur tue supplicationi hujusmodi benignius inclinati, quod de licencia dicti camerarii per eum de mandato nostro predicto tibi concessa de curia jam dicta tunc recesseris presentes testimoniales tibi duximus litteras concedendas. Datum Avinione, X kalendas maii, anno decimo octavo. »

5471 22 avril 1334.

Senescallo Provincie ut ad Curiam veniat. (Reg. 117, fol. 302 v°, c. 1592).

« *Nobili viro Philippo de Sangineto, senescallo regio Provincie.* Cum pro certis negociis tua sit nobis presencia oportuna, nobilitatem tuam rogamus attente quatinus ad nostram procures incunctanter presentiam te conferre. Datum X kalendas maii, anno decimo octavo. »

5472 28 avril 1334.

Regi Franciae negocia quae Arnaldus de Lusegio, domicellus, in regali curia expedire habet commendat. (Reg. 117, fol. 197 v°, c. 989).

« *Regi Francie.* Cum dilectus filus nobilis Arnaldus de Lusegio, domicellus, familiaris noster, quedam sua negocia habeat sicut asserit in regali curia expedire, ipsum regie magnificentie super hiis propensius commendamus. Datum IIII kalendas maii, anno decimo octavo. »

5473 28 avril 1334.

Petro archiepiscopo Rothomagensi de eodem. (Reg. 117, fol. 197 v°, c. 990).

« *Petro, archiepiscopo Rothomagensi.* Cum dilectus filius — Datum ut supra [IIII kalendas maii, anno decimo octavo].

In e. m. Guillelmo de Sancta Maura, cancellario regio. Datum ut supra. »

5474 Avignon, 28 avril 1334.

Isnardo de Albanno facultatem visitandi Sepulchrum Domini concedit. (Reg. 117, fol. 299 v°, c. 1569 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63088).

« *Dilecto filio Isnardo de Albanno, preceptori domus Aquensis Sancti Johannis Jerosolimitani.* Tue devotionis exigentibus meritis votis tuis libenter annuimus, et petitiones tuas in hiis presertim que honestate previa postulas quantum cum Deo possumus favorabiliter exaudimus. Cum itaque, sicut oblate nobis tue peticionis series continebat, tu zelo pie devotionis accensus Sepulcrum dominicum et alia oratoria Terre Sancte desideres personaliter visitare, nos tuis supplicationibus inclinati ut cum sex personis ydoneis quas ad hoc duxeris eligendas Sepulcrum et alia oratoria supradicta, quibuscumque prohibitionibus, constitutionibus et processibus Sedis Apostolice in contrarium factis, habitis seu etiam promulgatis penas et sententias spirituales et temporales continentibus nequaquam obstantibus ex causa predicta, valeas visitare illaque nichilominus pro hujusmodi visitatione deferre ac etiam exhibere sine quibus peregrinationem hujusmodi commode adimplere non posses, dummodo ad partes illas tu vel dicte persone nulla alia deferatis vel deferri faciatis que in profectum vel favorem hostium fidei christiane redundare valeant, tibi auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc.. Datum Avinione, IIII kalendas maii, anno decimo octavo. »

5475 Avignon, 1er mai 1334.

Guillelmo de Popia, quod fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad triennium percipere possit, quotidianis distributionibus exceptis. (Reg. 117, fol. 177 v°, c. 893 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63111).

« *Dilecto filio Guillelmo de Popia, canonico Albiensi.* Meritis tue probitatis — Datum Avinione, kalendis maii, anno decimo octavo.

Judicibus. Mandamus quatinus vos — Datum ut supra.

In e. m. pro dilecto filio Pontio de Popia, canonico Sancti Martini Turonensis. Datum ut supra. »

5476 1er mai 1334.

Heliono de Villanova, magistro Hospitalis, ut prioratum Tholosanum, per obitum Sycardi de Guavarreto prioris regimine destitutum, Aycardo de Miromonte committat et Hugonem de Vallibus fratrem ejusdem Hospitalis commendatum habeat. (Reg. 117, fol. 305 v°, c. 1612).

« *Heliono de Villanova, magistro domus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani.* Alias pro dilecto filio Aycardo de Miromonte, fratre Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani cujus magister existis, scripsisse ipsumque tibi meminimus specialiter commendasse. Cum igitur prioratus Tholosanus ejusdem Hospitalis per obitum quondam Sycardi de Guavarreto, prioris ipsius, qui nuper in civitate Aniciensi diem clausit extremum, ad presens sit superioris regimine destitutus, et idem Aycardus qui diu in transmarinis partibus moram traxit, ut accepimus, ad ejusdem prioratus regimen utilis plurimum asseratur, tuam providentiam rogamus attente quatinus prioratum ipsum eidem Aycardo regendum et gubernandum secundum morem in talibus observatum committas, et nichilominus dilectum filium Hugonem de Vallibus, fratrem Hospitalis ejusdem, alias etiam per nos tue benivolentie commendatum, ut quoad domum quam nunc tenet dictus Aycardus aut aliam sufficientem nostra et Apostolice Sedis consideratione quibus se per obsequia laudabilia gratum reddidit necnon et suorum meritorum obtentu, effectu velis prosequi favoris et gratie specialis. Datum kalendis maii, anno decimo octavo. »

5477 Avignon, 6 mai 1334.

Bernardo Guirandonis testandi facultatem concedit. (Reg. 117, fol. 177 v°, p. c. 892 ; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 727, n. 3568 ; *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII n. 63127).

« Item in e. m (1) dilecto filio Bernardo Guirandonis, priori prioratus de Wasto, ordinis Cluniacensis, Morinensis diocesis. Datum Avinione, II nonas maii, anno decimo octavo. »

5478 Avignon, 6 mai 1334.

Johanni Andreae, quod fructus beneficiorum suorum in absentia usque ad triennium percipere possit, quotidianis distributionibus exceptis. (Reg. 117, fol. 178, c. 894; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63126).

« *Dilecto filio Johanni Andree, canonico Remensi.* Apostolice Sedis circumspecta — Datum Avinione, II nonas maii, anno decimo octavo.

Judicibus : dilectis filiis .. cancellario et .. operario, ac Petro de Meunaco, canonicis ecclesie Caturcensis. Mandamus quatinus vos — Datum ut supra. »

5479 Avignon, 6 mai 1334.

Beraldo de Serris, quod usque ad unum annum non teneatur ad sacros ordines se facere promoveri. (Reg. 117, fol. 186 v°, c. 925; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63128).

« *Dilecto filio Beraldo de Serris, priori secularis ecclesie Sancti Caprasii Agennensis.* Exigunt tue multiplicia — Datum Avinione, II nonas maii, anno decimo octavo. »

5480 13 mai 1334.

Tricastrino et Massiliensi episcopis de concordia tractanda inter Flandriae comitem et Brabanciae ducem. (Reg. 117, fol. 206 v°, c. 1046; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 728, n. 3569).

« *Hugoni, Tricastrino, et Johanni, Massiliensi episcopis, Apostolice Sedis nuntiis.* Litteras fraternitatis vestre recepimus et earum intelleximus seriem diligenter. Sane quia per eas quid, si partes pro quarum concordia vos ad partes Flandrie et Brabancie destinavimus, non reformata per carissimum in Christo filium nostrum Philippum, regem Francie illustrem, inter ipsos concordia, discordes remanserint et divise, agere debeatis, edoceri a nobis inter cetera petiistis, nos attendentes quod vos in scola experientie positi, an ad partes illas accedere tute possitis, et si vestra illuc presentia esse poterit fructuosa plenius quam nos scire potestis, id vestre discretionis arbitrio ut cum regis prefati consilio et beneplacito quod in hac parte utilius et expedientius cognoveritis exequamini providimus relinquendum. Si autem premissis et aliis que vobis possunt occurrere diligenter attentis, moram vestram utilem in illis partibus existere minime videretis, volumus quod ad nostram presentiam redeatis. Datum III idus maii, anno decimo octavo. »

(1) Cf. n. 5469.

5481 15 mai 1334.

Litteras pro Aycardo de Miromonte et Hugone de Vallibus, fratribus ordinis Hospitalis, iterat. (Reg. 117, fol. 305 v°, c. 1613).

« *Eidem magistro* [*Heliono de Villanova*]. Pridem tibi, fili, scripsisse meminimus post salutationis eloquium in hec verba : « Alias pro dilecto filio etc... » ut supra usque datum. Verentes itaque ne propter viarum discrimina littere hujusmodi ad manus tuas pervenerint eas providimus iterandas. Datum idibus maii, anno decimo octavo. »

5482 Avignon, 18 mai 1334.

Fulconi Pererii tabellionatus officium concedit. (Reg. 117, fol. 178 v°, c. 895; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63164).

« *Dilecto filio Fulconi Pererii, clerico non conjugato nec in sacris ordinibus constituto, Caturcensis diocesis.* Ne contractuum memoria — Datum Avinione, XV kalendas junii, anno decimo octavo. »

5483 Avignon, 19 mai 1334.

Rogerio, episcopo Lemovicensi, transfretandi cum Philippo, rege Franciae in subsidium Terrae Sanctae licentiam concedit. (Reg. 117, fol. 178 v°, c. 896; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63174).

« *Venerabili fratri Rogerio, episcopo Lemovicensi.* Sincere devotionis affectus — Datum Avinione, XIIII kalendas junii, anno decimo octavo. »

5484 Avignon, 19 mai 1334.

Universis personis ut Johannem dominum de Cepeyo, militem Belvacensis diocesis, capitaneum galearum per Philippum regem Franciae ipsumque papam ad partes orientales contra Turcos et infideles transmissarum, commendatum habeant et protegant. (Reg. 106, fol. 12 v°, c. 21 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63890).

« *Carissimis in Christo filiis regibus, necnon dilectis filiis nobilibus viris ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, senescallis, justitiariis, universitatibus quoque et communitatibus civitatum, castrorum, villarum, terrarum et aliorum quorumcumque locorum et aliis universis et singulis ad quos littere presentes pervenerint, salutem.* Clamor validus et — Datum Avinione, XIIII kalendas junii, anno decimo octavo. »

5485 19 mai 1334.

Regi Siciliae scribit de tractatu facto adversos Turcos inter ipsum papam, Franciae regem, Hospitale et commune Venetorum.(Reg. 117, fol. 235, c. 1195 et 1196).

« .. *regi Sicilie.* Ad regalem noticiam deducimus per presentes quod hiis diebus preteritis in nostra presentia, presentibus certis Hospitalariis et Venetorum nunciis, extitit ordinatum quod ad refrenandos Turcorum malignos impetus, repellendos insultus compescendamque nequiciam ac eorundem superbiam conterendam, certarum galearum pro presenti anno, absque equestri gente armigera, et pro sequenti cum equestri armigera gente, stolium debeat ordinari, prout interclusa presentibus cedula latius explicabit. Sane, quia cum hec ad carissimi in Christo filii nostri Philippi, regis Francie illustris, et principum domus sue deducta fuissent noticiam, dilectus filius inclitus princeps Ludovicus, dux Borbonesii, qui ad Terre Sancte subsidium intenso fervet desiderio, regi supplicavit predicto quod placeret sibi quod sequenti anno stolii capitaneatum haberet, cui rex idem, attendens quod favor dicto stolio magnus posset, si ipse foret capitaneus, accrescere, quantum ad gentem suam et nostram ac Hospitalis et Venetorum et aliorum qui ad hoc consentirent, ipsum capitaneum ordinavit. Et quia, fili carissime, quantum sit dictus dux tibi conjunctus sanguine ac utique non minus amore regalis circumspectio non ignorat, placeat excellentie regie, nisi de domo sua vellet capitaneum aliquem facere, quod capitaneatus ejusdem ducis ad gentem quam te continget mittere se extendat. Si enim hoc fecerit (1), sibi ad honorem reputabit eumque tibi ad tua beneplacita strictius obligabis. Datum ut supra [XIV kalendas junii, anno decimo octavo].

Sequitur tenor cedule de qua in proxima nota fit mentio.

Super subsidio contra Turcos est tractatum de beneplacito Sanctissimi in Christo Patris domini nostri Summi Pontificis, presentibus nunciis domini regis Francie, scilicet nobili viro domino Hugone Quereti et magistro Guidone Baudeti, decano Parisiensi, necnon et gentibus Hospitalis et civitatis Veneciarum nunciis, videlicet dominis Andree (*sic*) Bastino et Johanne Credonico, in hunc modum :

Primo, quoniam propter temporis brevitatem non videtur possibile quod, hoc anno, tempore quo proficerent possent haberi homines armorum in equis, ideo ad providendum ne Turchi noceant christianis, et ad nocendum eisdem, videtur quod pro hoc anno habeantur xl gualee pro quinque mensibus, que postquam, ut prefertur, propter causam predictam homines armorum mitti non prodesset, dicuntur sufficere. Que quadraginta galee possunt per modum istum haberi : videlicet decem ab Hospitalariis, decem a communi Venetiarum, sex a rege Cypri, sex ad minus ab imperatore Constantinopolitano, qui tamen debet ponere decem, secundum conventiones cum prefatis Hospitalariis et Venetis habitas, et residuas octo supplebunt Sanctissimus in Christo Pater dominus noster papa et dominus rex Francie. Actum est etiam quod xl galee predicte debeant esse in insula Nigri Pontis infra totum mensem maii.

Pro anno vero venienti in quo magnus numerus hominum in armis secundum consilium illorum qui plus de negociis istis sentiunt requiretur, est tractatum quod habeantur pro predicto subsidio que secuntur, videlicet viii centum homines armorum

(1) Corr. : *feceris* ?

in equis et ad minus xxx galee et xxxii vysserii que per modum qui sequitur habebuntur, videlicet quod Sanctissimus in Christo Pater et dominus noster papa et dominus rex Francie inviabunt de iii centum hominibus armorum in equis et de xvi vysseriis, Hospitale de sex galeis et ii centum hominibus armorum et de viii vysseriis seu vasis aliis equipollentibus pro equis portandis, de quibus hominibus armorum obtulerunt cl pro isto anno, rex vero Cypri de sex galeis et c hominibus armorum et iiii vysseriis.

Item supponitur quod rex Sicilie non omittet quin faciat iii vysserios et iii galeas, immo ab eo multo majus subsidium expectatur.

Item commune Venetiarum faciet x galeas pro dicto anno futuro.

Item supponitur quod imperator Constantinopolitanus faciet etiam plus quam sex galeas et adhuc homines in armis. Et sic etiam posito quod imperator predictus non faceret aliquem hominem in armis, non deficit de predictis nisi centum homines qui multis modis satis faciliter supplebuntur. Et si quid etiam deficeret quod non compleretur ab aliquo de predictis, adhuc restat quod requirantur Januenses et Pisani et alii quos potest negotium tangere ut adjuvent ad predicta. Advertendum tamen quod dominus noster, si quod absit casus aliquis contingeret in galeis quas ponet hoc anno, propter quem impedirentur in parte vel in toto quod non possent proficere per tempus pro quo debent esse in prosecutione subsidii supradicti, quod ad alias sustituendas non intendit quomodolibet se teneri, et idem circa vysserios et milites quos ponet anno venienti, quia si postquam fuerint traditi et assignati casu quolibet deficerent, ad sustituendum alios teneri non intendit, nisi dumtaxat pro tempore de sex mensibus tunc restante. Et quod pro parte illa seu quantitate dumtaxat pro qua deficientibus seu pro ipsis tunc cum deficerent forsitan non fuisset satisfactum, tamen bene placebit sibi quod illa que recuperarentur a sic deficientibus vel a suis de receptis ab eis, converterentur in usum predictum. Item pro hominibus in armis non intendit se obligare ultra decem florenos pro mense vel ad majus usque ad xii florenos pro quolibet in mense, ubi pro minori precio non possent sufficienter commode reperiri. Item non est intentio prefati domini nostri anno venienti facere subsidium supradictum nisi dominus rex Francie, Hospitale et Veneti in faciendo predicto subsidio prout supra continetur efficaciter concordarent.

Tractatum fuit etiam per dictum dominum nostrum papam cum nunciis .. ducis et communis civitatis Venetorum et cum gentibus Hospitalis tunc in Curia existentibus quod super galeis et hominibus totaque armata que fieret anno isto et etiam super alia majori, que dante Deo fiet anno sequenti contra Turchos, esset capitaneus principalis et superior in omnibus que tangerent factum guerre ille quem dominus rex Francie in galeis quas ibi transmittet per suas litteras deputaret, ita tamen quod haberet predicta que guerram et factum armorum consernerent facere cum deliberatione et consensu capitaneorum galearum quas alii qui mittent in suis galeis deputarent, vel, ubi non concordarent omnes in unum propositum, quod habeant sequi consilium majoris partis ipsorum. Super hiis autem que justiciam et correctionem delinquentium concernerent, faceret justiciam quilibet capitaneorum de hominibus illis qui erunt in galeis quorum unusquisque ipsorum fuerit capitaneus constitutus.

In quibus consenserunt prefati nuncii Venetorum et gentes ordinis Hospitalis tunc ibidem presentes. »

5486 19 mai 1334.

Petro Medici, Rogerio de Fossis, Raymundo Natalis et Rostagno Egueserii mandat ut capitaneo Franciae regis galearum pareant. (Reg. 117, fol. 302 v°, c. 1594).

« *Nobilibus viris Petro Medici de Tholono et Rogerio de Fossis, domino de Caneto, Forojuliensis diocesis, militibus, ac Raymundo Natalis et Rostagno Egueserii, civibus Massiliensibus.* Cum nos pro defensione christicolarum Romanie ac orientalium partium adversus diras persecutiones Turchorum infidelium, qui christicolas eosdem offendere ac persequi crudeliter moliuntur, quatuor galeas a nobis sub certis modis conductas et carissimus in Christo filius noster Philippus, rex Francie illustris, alias quatuor ad partes easdem ordinaverimus sicut vestra novit prudentia transmittendas, voluerimusque ac velimus quod ille quem rex prefatus galearum suarum deputaret capitaneum esset capitaneus et nostrarum, vobis et vestrum singulis

presentium tenore mandamus quatinus dilecto filio nobili viro Johanni, domino de Cepeyo, Belvacensis diocesis, quem idem rex predictarum galearum suarum duxit capitaneum deputandum, quoad capitaneatum dictarum galearum nostrarum ac si nos specialiter deputavissemus eundem plenarie pareatis, et per illos qui constituentur seu ponentur in ipsis galeis et earum singulis pareri faciatis efficaciter et intendi. Ceterum nostre intentionis extitit et existit quod si, quod absit, casus aliquis contingeret propter quem dicte quatuor galee nostre impedirentur in parte vel in toto quod non possent proficere pro tempore quod debeat esse in prosecutione subsidii supradicti, nos ad alias sustituendas obligari minime teneamur. Datum XIIII kalendas junii, anno decimo octavo.»

5487 19 mai 1334.

Dalfino Viennensi de fide adhibenda ipsius nuntiis et de observatione treugarum inter ipsum ac episcopum Valentinum initarum. (Reg. 117, fol. 302 v°, c. 1593).

«*Dalfino Viennensi.* Magnificentie tue litteras recepimus per quas venerabili fratri nostro Guillelmo, archiepiscopo Brundisino, ac dilecto filio nobili viro Amblardo de Bellomonte petebat tua prudentia fidem indubitam adhiberi, quos utique benigne audivimus et que prudenter proposuerunt intelleximus diligenter. Et quia in tractatu nobis per ipsos exposito Dei digitum credimus affuisse, circumspectionem tuam hortamur in Domino et rogamus attente quatinus innumera commoda que tractatus predicti consumatio et perfectio repromittunt, necnon et incommoda et dispendia gravia que ejusdem tractatus comminatur dissolutio consideranter attendens, Dei cooperator in tam laudabili opere sedule cures existere, quelibet consilia contrarium suadentia velut divino contraria beneplacito respuendo. Super alio, fili, negocio per eosdem nobis exposito nuncios, indubie volumus te tenere quod in illo percepimus honorem augeri Sancte Romane Ecclesie, provideri rei publice tuumque statum, qui utique nostris precordiis insidet, honoris suscipere incrementum. Sane quia omni negocio tempus est et oportunitas, que in presentiarum pro dicto perficiendo negocio, attentis circumstantiis, non occurrunt, non geras moleste, quesumus, si ad illud non intendimus in presenti. Ceterum rogamus eandem magnificentiam et in Domino attentius exhortamur quatinus treugas inter te, fili, ex parte una, et venerabilem fratrem nostrum Ademarum episcopum Valentinum, ex altera, per venerabilem fratrem nostrum Petrum, episcopum Aurasicensem, et dilectum filium Girbertum, abbatem monasterii Sancti Egidii, Apostolice Sedis nuncios, auctoritate litterarum nostrarum indictas hiis diebus preteritis observes tenaciter et a tuis subditis ut ad tractatum pacis procedi liberius valeat observari [facias]. Datum XIIII kalendas junii, anno decimo octavo.»

5488 Avignon, 21 mai 1334.

Alberto, episcopo Mimatensi, ad petitionem Gailhardi, Sanctae Luciae in Silice diaconi cardinalis concedit ut ecclesiam de Ispaniaco, Mimatensis diocesis ipsi cardinali pertinentem ejusque cimiterium per alium reconciliari facere possit. (Reg. 117, fol. 179, c. 897).

«*Venerabili fratri Alberto, episcopo Mimatensi.* Petitio dilecti filii — Datum Avinione, XII kalendas junii, anno decimo octavo.»

5489 Avignon, 21 mai 1334.

Roberto priori de Castrogonterii ut ad Curiam infra unum mensem veniat. (Reg. 117, fol. 179, c. 898; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63184).

«*Dilecto filio Roberto, priori prioratus de Castrogonterii, ordinis sancti Benedicti, Andegavensis diocesis.* Volentes super certis nobis expositis tecum plenius informari, tibi per apostolica scripta in virtute obediencie ac sub excommunicationis pena, quam nisi presenti mandato cum effectu parueris ipso facto incurras, districtius injungendo mandamus quatinus infra unum mensem a die presentationis presentium tibi faciende in antea computandum nostro conspectui personaliter te presentes; super presentatione autem hujusmodi fieri volumus publicum instrumentum presentium seriem continens nobis evestigio fideliter transmissurum. Datum ut supra [XII kalendas junii, anno decimo octavo].»

5490 Avignon, 21 mai 1334.

Ademario Rogerii et Raymundo de Chameraco ut de redditibus emptis a quondam Bernardo Audoyni, cive Caturcensi, pro duabus capellaniis perpetuis in ecclesia Sancti Bartholomei Caturcensis constructis dotandis se informent et corrigenda emendent. (Reg. 117, fol. 179, c. 899).

« *Dilectis filiis magistris Ademario Rogerii, Caturcensis et Raymundo de Chameraco Massiliensis ecclesiarum canonicis.* Dudum intendentes duas capellanias perpetuas in ecclesia Sancti Bartholomei Caturcensis ad divini cultus augmentum et animarum salutem facere construi et dotari, quondam Bernardo Audoyni, civi Caturcensi, ad emendum et acquirendum redditus et proventus oportunos pro dotandis capellaniis supradictis, quingentas quadraginta duas libras sexdecim solidos et quinque denarios turonensium parvorum in quadringentis septuaginta florenis nonaginta quatuor regalibus auri ac quindecim solidis et uno denario dicte monete turonensis, singulis florenis pro sexdecim solidis octo denariis turonensium parvorum, singulis vero regalibus pro triginta duobus solidis ejusdem monete computatis, diversis temporibus fecimus assignari; postmodum vero idem Bernardus dum adhuc viveret de (1) pecunia hujusmodi per eum a Camera memorata sicut in instrumentis publicis plenius continetur recepta certos redditus et proventus ac possessiones et bona in civitate Caturcensi se acquisivisse et emisse ad opus capellaniarum ipsarum Camere supradicte retulit, indeque confecta fuisse asseruit publica instrumenta. Sane cum redditus, proventus, possessiones et bona hujusmodi acquisita et empta per eundem Bernardum ut premittitur minime oportuna et utilia pro premissis existere nec valere precia quibus empta fuerunt ab aliquibus asserantur, nos volentes nostris et earundem capellaniarum indempnitatibus super hiis provideri, descretioni vestre de qua plenam in Domino fiduciam gerimus per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus ad civitatem eandem vos personaliter conferentes ac de hujusmodi redditibus, proventibus, bonis et possessionibus ac eorum cujuslibet ipsorum valoribus et conditionibus particulariter et distincte, adhibitis vobiscum aliquibus probis viris non suspectis sed fidelibus et expertis in talibus, summarie simpliciter et de plano sine strepitu judicii et figura informare curantes, faciendo vobis instrumenta super emptione ipsorum confecta primitus exhiberi, si redditus, proventus possessiones et bona hujusmodi oportuna et utilia pro dictis capellaniis [existere vobis videatur] valereque communi extimatione patrie precia quibus empta fuerunt, alioquin ea que de illis talia esse repereritis pro capellaniis retineatis predictis, aliis vel illis ex eis seu omnibus que oportuna et utilia non existerent nec valerent secundum extimationem predictam precia emptionis predicte dilecte in Christo filie Bertrande relicte ac heredibus dicti Bernardi resignatis penitus et dimissis, ac deinde totam summam pecunie predictam quam prefatus Bernardus a Camera ipsa ut superius est expressum recepit si omnia bona predicta eis dimiseritis, alias partem illam que pro parte bonorum hujusmodi eisdem dimissa restabit recipiatis ab ipsis, postquam autem aut retinendo vel dimittendo bona predicta in solidum vel pro parte sicut expressum est superius de tota summa predicta fuerit facta computatio legitima, tam de retentis quam dimissis bonis predictis eidem Camere integraliter satisfactum, prefatis relicte ac heredibus de quitationis et liberationis cautelis oportunis ac debitis necnon et de absolutionis beneficio ab excommunicationis sentenciis per quosvis processus contra ipsos vel eorum aliquem occasione premissorum promulgatis auctoritate nostra juxta formam Ecclesie providere curetis, faciendo super hiis que ab eisdem relicta ac heredibus de predictis recepe ritis vel alias in hac parte quomodolibet egeritis duo confici consimilia publica instrumenta seriem presentium continentia, quorum uno penes ipsos relictam et heredes dimisso reliqum ad prefatam Cameram destinetis; rursus nostre intentionis et voluntatis existit quod totam pecuniam supradictam quam a prefatis relicta et heredibus recuperare de predictis et recipere vos continget in acquisitionem et emptionem aliorum reddituum, proventuum et bonorum ad opus et usum capellaniarum ipsarum nomine nostro fideliter et utiliter convertere procuretis, nos et Cameram nostram predictam exinde reddituri clare particulariter et distincte nichilominus quamcito ad premissa exequenda et complenda processeritis circa que studiosam adhibeatis diligenciam certiores. Datum Avinione, XII kalendas junii, anno decimo octavo. »

(1) Reg. : *se de.*

5491 24 mai 1334.

Tricastrino et Massiliensi episcopis ut, pace inter ducem Brabantiae et Flandriae comitem nunc reformata, ad Curiam e vestigio redeant. (Reg. 117, fol. 207, c. 1048; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 730, n. 3577).

« *Eisdem [Hugoni, Tricastrino, et Johanni Massiliensi episcopis, Apostolice Sedis nuntiis]*. Litteras vestras missas novissime per quas inter dilectos filios nobiles viros ducem Brabancie, ex parte una, et comitem Flandrie, ex altera, pacis reformatam fuisse concordiam sperareque reformandam inter adherentes et alligatos suos nobis intimare curastis, recepimus leta manu, inde pacis Auctori gratiarum actiones humiles exolventes. Sane quia, sicut nostis, vos ad eas partes pro reformatione pacis hujusmodi specialiter providimus destinandos, volumus quod carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francie illustri hec quodque absque ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum gravamine nostrique diminutione honoris non possetis sine causa illuc remanere ulterius significare curantes, ad nostram e vestigio presentiam redeatis, summopere nichilominus precaventes ne contra dictos alligatos et adherentes processus aliquos, donec nobiscum super hoc colloquium habueritis, quomodolibet faciatis. Datum VIIII kalendas junii, anno decimo octavo. »

5492 Avignon, 26 mai 1934.

Raymundo de Chameraco ut bona quondam Bonafocii de Duroforti prioris Beatae Mariae Deaurate Tholosanae, Cluniacensis ordinis, reservata recipiat. (Reg. 117, fol. 179 v°, c. 900).

« *Dilecto filio magistro Raymundo de Chameraco, canonico Massiliensi, Apostolice Sedis nuntio.* Cum bona mobilia quondam Bonafocii de Duroforti prioris prioratus Beate Marie Deaurate Tholosane, Cluniacensis ordinis, nuper in illis partibus decedentis, quorum dispositionem nobis certis causis rationabilibus ad id nos moventibus duximus specialiter reservandam velimus fideliter conservari et habere de illis ut inde possit quod ordinandum duxerimus fieri certitudinem pleniorem, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus de bonis hujusmodi in quibuscumque rebus consistant et per quascumque detineantur seu debeantur personas summarie de plano et simpliciter, sine strepitu et figura judicii, te informans, illa recipere, petere, exigere, colligere ac conservare sic fideliter et diligenter procures quod inde nobis seu nostre Camere fidelem valeas reddere rationem, quoscumque occupatores, detentores aut debitores bonorum ipsorum, exemptos et non exemptos, cujuscumque status, ordinis, dignitatis vel condicionis existant, etiam si pontificali vel quavis alia prefulgeant dignitate, ad ea tibi revelanda, tradenda, restituenda et assignanda per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII predecessoris nostri, qua cavetur ne aliquis extra suam civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad judicium evocetur, quam de duabus dietis in consilio generali et aliis constitutionibus in contrarium editis quibuscumque, seu si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem quod eos a quibus bona receperis supradicta possis absolvere plenius et quitare de hiis que inde receperis ab eisdem, faciendo super singulis assignationibus tibi faciendis de illis duo confici consimilia publica instrumenta quorum altero penes assignantes ipsos dimisso reliqum ad prefatam mittere Cameram non postponas, eam certificaturus de premissis omnibus nichilominus clare particulariter et distincte. Datum Avinione, VII kalendas junii, anno decimo octavo. »

5493 30 mai 1334.

Radulpho duci Lothoringiae et Mariae natae Guidonis comitis Blesensis, nepti Philippi regis Franciae, concedit quod non obstantibus consanguinitate et affinitate matrimonium contrahere possint. (Reg. 117, fol. 219 v°, c. 1105; — Riezler, *Vatikanische Akten*, p. 565, n. 1657; Sauerland, *Vatikanische Urkunden*, p. 316, n. 706).

« *Radulpho, duci Lothoringie et Marie, nate Guidonis comitis Blesensis.* Gratiosa Sedis Apostolice — Datum III kalendas junii, anno decimo octavo. »

5494 30 mai 1334.

Imberto dalphino Viennensi ut ad pacem procurandam treugas inter eum et Ademarum episcopum Valentinum indictas observet. (Reg. 117, fol. 303, c. 1597).

« *Imberto, dalfino Viennensi.* Attendentes pridem quod si treuge per venerabilem fratrem nostrum Petrum, episcopum Aurasicensem, et dilectum filium Girbertum, abbatem monasterii Sancti Egidii, Apostolice Sedis nuncios, inter te, fili, ex parte una et venerabilem fratrem nostrum Ademarum episcopum Valentinum ex altera indicte auctoritate apostolica usque ad certum terminum durature observarentur tenaciter, exinde via pacis Deo grate ac utrique parti accomode parari liberius et variis que mutua comminatur dissensio periculis poterat obviari, ad observationem treugarum ipsarum nobilitatem tuam per alias nostras litteras duximus exhortandam. Sane cum displicibiliter percepimus hiis diebus quod gentes tue contra memoratum episcopum Valentinum ac ecclesiam et subditos suos aliquas non absque violatione treugarum ipsarum, que penis certis vallate sunt, attemptarunt facere novitates, eandem nobilitatem exhortamur attentius in Domino et rogamus quatinus quid, premissis et aliis que tibi circa hec possunt occurrere consideranter attentis, expediat in consistorium rationis adducens, ad earundem observationem treugarum inviolabilem tuum inclinans animum et disponens, eas per gentes et subditos tuos, revocatis quantum est possibile fieri que in contrarium attemptata per eos extiterint, facias sic tenaciter observari quod, vitatis indignatione divina et penis adversus violatores earum adjectis, ad bonum pacis possit attingi promptius tuaque providentia exinde apud Deum et homines debeat merito commendari. Datum III kalendas junii, anno decimo octavo. »

5495 30 mai 1334.

Johanni de Cepeyo, galearum pontificium capitaneo, quaedam de ipsis galeis mandat. (Reg. 117, fol. 303 v°, c. 1598).

« *Nobili viro Johanni de Cepeyo.* Nobilitatis tue litteras, per quas quid circa galeas quas in subsidium christicolarum in Romanie partibus degentium contra Turchos infideles mittimus actum Massilie hiis diebus preteritis extiterat nobis significare procurans, super certis articulis infrascriptis tangentibus factum galearum ipsarum quarum capitaneatui te preesse voluimus a nobis certior effici postulasti, benigne recepimus et earum intelleximus seriem diligenter. Primo namque cum galeas predictas per quinque menses hoc presenti anno in subsidium predictum teneri ordinaverimus, et pro tribus mensibus fecerimus per Cameram nostram solutionem earum prestari, ubi pro residuis duobus mensibus exhibebitur solutio debita et unde supersalientibus pro dictis galeis necessariis satisfiet per nos certificari plenius petiisti. Ad que breviter respondemus quod licet ordinatum fuisset in Venetis (*sic*) fieri solutionem predictam, certis tamen considerationibus utilitatem et oportunitatem galearum ipsarum tangentibus eam volumus in civitate Neapolitana in termino prefixo compleri, supersalientibus vero de parte Nauli nos juxta conventiones expressas in instrumento publico confecto quod tibi tradi mandavimus contingente (*sic*) satisfactionem posse credimus exhiberi. Rursus cum nobis visum fuerit decens et oportunum non existere in galeis predictis balas vel alias merces deferre quarum pretextu viagium galearum ipsarum et negocii pro quo mittuntur retardari possent vel quomodolibet impediri, tuque deliberatione cum nonnullis expertis in talibus prehabita repereris illud idem, volumus quod nostrum cum illo quod ut prefertur reperisti in hac parte consilium concordando, super hiis provideas fideliter et prudenter. Ad hec, cum ordinationem factam super galeis contra Turcos predictos per nos et alios quos tangit anno presenti et proximo sequenti tenendis petieris tibi mitti, ordinationem hujusmodi pro anno futuro predicto, quia ejus executio diversis ex causis posset forsitan impediri, adhuc destinare non licet, eam vero quatenus tangit annum presentem quam tibi misimus assignari tibi sufficere credimus quoad presens; hortamur igitur nobilitatem tuam in Domino et rogamus quatinus predictum Dei negocium tue commissum prudentie sic solerter fideliter et utiliter prosequaris quod preter meritum retributionis eterne, quod tibi exinde promittitur in resurrectione justorum, laudis humane preconium ac nostram et Apostolice Sedis benedictionem et gratiam uberius merearis, sciturus quod te super tuis oportunitatibus habemus et habere intendimus quantum cum Deo poterimus favorabiliter com-

mendatum. Datum III kalendas junii, anno decimo octavo. »

5496 1er juin 1334.

Miloni de Noeriis negotia quae Petrus de Manso in regali curia expedire habet commendat. (Reg. 117, fol. 202, c. 1024).

« *Miloni domino de Noeriis.* Super hiis que dilectus filius nobilis vir Petrus de Manso, familiaris noster, habet ut accepimus in regali curia expedire, ipsum suaque nogocia tue nobililitatis benivolentie sicut alias propensius commendamus. Datum kalendis junii, anno decimo octavo.

In eundem modum Guillelmo de Sancta Maura, cancellario regio Francie. »

5497 5 juin 1334.

Guillelmo Bastardo et Isnardeto de Bellacumba ut treugas inter Imbertum, dalphinum Viennensem, et Ademarum episcopum Valentinum initas observent. (Reg. 117, fol. 304, c. 1601).

« *Nobilibus viris Guillelmo Bastardo militi et Isnardeto de Bellacumba castellano Cabroli.* Super observandis treugis que pridem inter dilectum filium nobilem virum Imbertum dalfinum Viennensem ex parte una et venerabilem fratrem nostrum Ademarum episcopum Valentinum invicem dissidentes indicte auctoritate apostolica et certis penis vallate fuerunt, ex quibus via pacis Deo grate ac utrique parti accommode parari, multis [que] malis et periculis speratur probabiliter obviari, prefato Dalfino preces et exhortationes nostras per binas litteras [mittendas] duximus, quas per eum ad exauditionis effectum confidimus interdici (1). Sane quia ex novitatibus si fierent interim via pacis ad quam intensis aspiramus desideriis redderetur difficilior, aditus non sine offensa divina periculis et scandalis panderetur, et facientes novitates hujusmodi penis predictis se subicerent contra non servantes vel infringentes predictas treugas promulgatis, nobilitatem vestram rogamus attentius et in Domino exhortamur quatinus premissis et aliis que vobis in hac parte possunt occurrere consideranter attentis, predictas treugas observantes ab omni novitate ac offensione memorati episcopi et ecclesie Valentine, presertim quousque dictus Dalfinus venerit cessetis et cessare faciatis penitus gentes vestras, taliter super hiis vos acturi quod nos vestram devotionem et prudentiam exinde in Domino possimus commendare. Datum nonis junii, anno decimo octavo. »

(1) Corr. : introduci ?

5498 8 juin 1334.

Dalfino Viennensi ut treugas cum Ademaro episcopo Valentino indictas observari faciat fidemque Guillelmo archiepiscopo Brundisino adhibeat. (Reg. 117, fol. 304, c. 1600).

« *Dalfino Viennensi.* Pridem ad observationem treugarum inter te, fili [ex parte una] et venerabilem fratrem nostrum Ademarum, episcopum Valentinum, ex altera per venerabilem fratrem nostrum Petrum episcopum Aurasicensem et dilectum filium Girbertum abbatem monasterii Sancti Egidi[i], ordinis sancti Benedicti, Nemausensis diocesis, Apostolice Sedis nuncios auctoritate apostolica indictarum, ex quibus paci Deo grate ac utrique parti et aliis multis accomode via parari, et obviari variis periculis et scandalis arbitratur probabiliter, tue nobilitatis prudentiam per litteras nostras fuimus exhortati. Sane cum aliqua per officiales et subditos tuos in eorundem episcopi et ecclesie Valentine prejudicium fuisse non sine violatione treugarum hujusmodi asserantur hiis temporibus preteritis attemptata, nos attendentes quod ex talibus via pacis predicte redderetur difficilior, aditus panderetur scandalis et attemptantes talia involverentur penis et sententiis adversus violatores treugarum hujusmodi promulgati , eandem nobilitatem exhortamur in Domino et rogamus quatinus premissis in consistorium exacte considerationis adductis, pro divina et ejusdem Sedis reverentia tueque anime salutis obtentu prefatas observes inviolabiliter treugas et ab eisdem officialibus et subditis, revocatis quantum erit possibile attemptatis in contrarium facias observari, venerabili fratri nostro Guillelmo archiepiscopo Brundisino quem velut tibi acceptum tueque salutis et honoris fervidum zelatorem ad tuam propter hoc presentiam confidenter super hiis que circa predicta tue pro parte

nostra explicabit prudentie fidem credulam nichilominus adhibendo, teque taliter in hac parte gerendo quod preter laudem Sedis benedictionem et gratiam uberius [assequi] merearis. Datum VI idus junii, anno decimo octavo.»

5499 16 juin 1334.

Anibaldo episcopo Tusculano testandi facultatem concedit. (Reg. 117, fol. 299 v°, c. 1570).

« *Venerabili fratri Anibaldo, episcopo Tusculano.* Cum nichil sit — Datum Avinione, XVI kalendas julii, anno decimo octavo.

Item fuit facta eidem indulgentia in forma sub eadem data.»

5500 Avignon, 17 juin 1334.

Ecclesiae Electensi locum qui praepositura de Serris vulgariter nuncupatur de novo incorporat, a perpetuo vicario deserviendum. (Reg. 117, fol. 180, c. 901; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63371).

« *Ad perpetuam rei memoriam.* Ad Electensem ecclesiam ut pote manuum nostrarum plantulam quam nos olim auctoritate apostolica in cathedralem ereximus benivolentie specialis gerentes affectum, ad ea quantum cum Deo possumus libenter intendimus per que prosperi status sui recipere valeat incrementum. Dudum siquidem per bone memorie Bartholomeum, episcopum Electensem, nobis exposito quod locus de Serris in Electensi diocesi constitutus, pertinens ad ecclesiam supradictam, quem predecessores sui abbates olim monasterii nunc ecclesie Electensis qui fuerunt pro tempore interdum retinuerant ad mensam eorum, et interdum ad tempus aliquibus ex monachis ejusdem monasterii predicti concesserant, ratione vicinitatis et cujusdam nemoris consistentis in eo erat dicte mense plurimum oportunus, licet tempore quo per dictos monachos tenebatur nimium fuisset devastatus, nos dicti episcopi supplicationibus inclinati, dilecto filio .. decano ecclesie Sancti Pauli Fenolhadesii dicte diocesis, ejus proprio nomine non expresso, per nostras certi tenoris litteras dedimus in mandatis ut ipse de premissis summarie de plano sine strepitu et figura judicii se informans, si ita esse reperiret, dictum locum cum omnibus juribus et pertinentiis suis mense episcopali Electensi auctoritate nostra imperpetuum annectere, concedere, incorporare, unire et etiam applicare curaret, per dictum episcopum et successores suos episcopos Electenses qui essent pro tempore ad opus mense predicte retinendum perpetuo ac etiam possidendum, contradictores eadem auctoritate appellatione postposita compescendo. Voluimus autem quod idem episcopus in recompensationem loci predicti aliquod officium ad divini cultus augmentum studeret in ecclesia predicta de novo creare, cui viginti libras turonenses annui redditus de proventibus et redditibus ad dictam mensam spectantibus imperpetuum auctoritate nostra conferret ac etiam assignaret. Demum vero pro parte dicti episcopi ad audientiam nostram deducto quod quondam Bernardus Tardini decanus ejusdem ecclesie Sancti Pauli, super premissis juxta dictarum litterarum nostrarum tenorem plenaria informatione recepta, ipsa reperiens esse vera, prefatum locum de Serris cum omnibus juribus et pertinentiis dictarum litterarum auctoritate predicte mense episcopali Electensi imperpetuum annexaverat, concesserat, incorporaverat, unierat et etiam applicarat per episcopum et successores predictos ad opus dicte mense retinendum perpetuo ac etiam possidendum; quodque idem episcopus pro recompensatione predicta ad quam ut premittitur tenebatur officium thesaurarie (1) [secundum] mandatum nostrum hujusmodi creavit in ecclesia supradicta et de bonis dicte mense octuaginta libras turonensium parvorum in annuis redditibus eidem officio assignavit, licet idem episcopus per simplicitatem in hujusmodi assignatione reddituum ommisisset exprimere quod id fecerat loco dicte recompensationis ad quam ut premittitur tenebatur; nobisque per ipsum episcopum supplicato ut ne sibi dictisque successoribus posset propterea prejudicium imposterum generari, unionem, incorporationem et annexionem hujusmodi per dictum decanum ut predicitur factas confirmare de benignitate apostolica dignaremur; nos ipsius episcopi supplicationibus inclinati, annexionem, concessionem, incorporationem, unionem et applicationem hujusmodi ratas et gratas habentes illas omissione

(1) Reg. : *thesaurarie nostre.*

hujusmodi nonobstante auctoritate apostolica duximus confirmandas, prout in diversis nostris super premissis confectis litteris plenius continetur. Verum quia, sicut ex porrecte nobis nuper pro parte venerabilis fratris nostri Guillelmi episcopi Electensis petitionis tenore percepimus, unio, concessio, incorporatio et applicatio hujusmodi de predicto loco qui prepositura de Serris in illis partibus vulgariter nuncupatur, solita per dictos monachos ut predicitur gubernari, facte per decanum predictum et prefata nostra confirmatio subsecuta ex nonnullis causis et ex eo presertim dicuntur ab aliquibus defective et nullius existere firmitatis quod prefatus Bartholomeus episcopus in recompensatione dicti loci juxta predictarum litterarum nostrarum tenorem dictum thesaurarie officium non creavit, licet idem Bartholomeus episcopus dum viveret officium ipsum in recompensatione hujusmodi assereret se creasse, nos in favorem ejusdem Electensis ecclesie super premissis cujuslibet dubietatis scrupulum amputare volentes, ejusdem Guillelmi episcopi supplicationibus inclinati locum seu prepositurarm de Serris hujusmodi prefate mense episcopali Electensi auctoritate apostolica et ex certa scientia unimus, incorporamus, concedimus perpetuo et etiam applicamus, per eumdem Guillelmum episcopum et successores suos episcopos Electenses qui pro tempore fuerint ad opus dicte mense tenendum perpetuis temporibus ac etiam possidendum; decernentes ex nunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari, non obstantibus si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi prepositurís seu locis ac dignitatibus, personatibus et officiis aliisque beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales nostras vel predecessorum nostrorum Romanorum pontificum aut legatorum dicte Sedis litteras impetrarint, etiam si per eas [ad] adibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras ad eandem prepositurarm seu locum volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem prepositurarum, locorum, dignitatum, personatuum, officiorum ac aliorum beneficiorum prejudicium generari, seu quibuslibet dicte Sedis litteris, indulgentiis et privilegiis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus hujusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de quibus quorumque totis tenoribus debeat in nostris litteris fieri mentio specialis. Volumus autem quod de fructibus, redditibus et proventibus ejusdem prepositure, seu loci, quadraginta libre turonensium parvorum in certo loco congruo seu sexta pars primiciarum et decimarum ejusdem prepositure seu loci, que communi extimacione quadraginta libras ejusdem monete valere dicitur, annuatim vicario perpetuo ecclesie dicte prepositure seu loci per episcopum Electensem qui est pro tempore instituendo pro sustentatione ipsius vicarii, prout idem Guillelmus episcopus ad id se voluntarie obtulit juxta arbitrium dilecti filii .. decani predicte ecclesie Sancti Pauli de Fenolhadesio reserventur, et etiam assignentur, quodque dictus episcopus cetera alia onera ejusdem ecclesie, prepositure seu loci predicti teneatur et debeat perpetuis temporibus supportare. Nulli ergo etc... Datum Avinione, XV kalendas julii, anno decimo octavo.»

5501 Avignon, 17 juin 1334.

Decano ecclesiae Sancti Pauli de Fenolhadesio ut Guillelmum Electensem episcopum in dictae praepositurae possessionem inducat fructusque perpetuo vicario debitos assignet. (Reg. 117, fol. 180 v°, c. 902; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63371).

«*Dilecto filio .. decano ecclesie Sancti Pauli de Fenolhadesio, Electensis diocesis.* Ad Electensem ecclesiam etc., usque in finem verbis competentibus mutatis. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus prefatum Guillelmum episcopum vel procuratorem suum ejus et dicte mense nomine in corporalem possessionem ejusdem prepositure seu loci inducens auctoritate nostra et defendens inductum, sibique faciens de ipsius fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis integre responderi, prefatas quadraginta libras turonensium parvorum de fructibus, redditibus et proventibus prepositure seu loci hujusmodi in certo loco seu hujusmodi sextam partem primiciarum et decimarum ejusdem prepositure seu loci juxta nostri decreti tenorem prefato vicario perpetuo prout ei utilius expedire cognoveris pro sustentatione sua eadem auctoritate

reservare ac assignare procures. Contradictores etc... Non obstantibus si eidem episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum ut supra. »

5502 Avignon, 20 juin 1334.

Johanni de Rigaldo, subdiacono, quod usque ad unum annum ad superiores ordines se facere promoveri non teneatur. (Reg. 117, fol. 181, c. 903; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63388).

« *Dilecto filio Johanni de Rigaldo, rectori parrochialis ecclesie de Archiniaco, Pictavensis diocesis, familiari nostro.* Exigunt grata tue — Datum Avinione, XII kalendas julii, anno decimo octavo. »

5503 22 juin 1334.

Tricastrino et Massiliensi episcopis ut de partibus Flandriae et Brabantiae redeant mandat. (Reg. 117, fol. 206 v°, c. 1047; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 737, n. 3595).

« *Eisdem* [*Hugoni Triscastrino et Johanni Massiliensi episcopis, Apostolice Sedis nunciis*]. Benigne receptis fraternitatis vestre litteris die date, ad ea que continebantur in eis, que pleno intellectu collegimus, breviter respondemus quod nostre ac fratrum nostrorum nequaquam intentionis extitit nec existit vos, nisi premissis per vos inductionibus et exhortationibus oportunis, contra illos principes dissidentes invicem debere procedere quovismodo; sed si ad eorum presentiam pro inductionibus et exhortationibus hujusmodi faciendis tute non possitis accedere, nec ad loca ipsorum sine magne difficultatis obstaculo vos conferre moraque vestra non esset propter hoc in eis partibus fructuosa, volumus, sicut nuper etiam vobis scripsisse meminimus, quod ad nostram presentiam, cum licencia et beneplacito regiis, redeatis, ut vestra relatione audita, possimus melius cum consilio fratrum ipsorum super negocio dictorum principum de illo quod expedire cognoverimus remedio providere. Datum X kalendas julii, anno decimo octavo. »

5504 23 juin 1334.

Regi Franciae ut bona a senescallo regio Carcassonensi Petro electo Albiensi post obitum Berardi quondam episcopi ablata restitui faciat. (Reg. 117, fol. 199 v°, c. 1002).

« *Regi Francie.* Licet in ecclesia Albiensi regalia sicut accepimus non existat, nuper tamen eadem ecclesia per obitum bone memorie Berardi episcopi Albiensis vacante, dilectus filius nobilis vir senescallus regius Carcassonensis et alie gentes partium illarum regie bona spiritualia et temporalia ejusdem ecclesie ad dilectum filium Petrum electum Albiensem spectantia occuparunt et adhuc detinent in ipsius prejudicium sicut asseritur occupata. Quocirca regalem excellentiam attentius deprecamur quatinus mandare velit per litteras regias bona hujusmodi electo restitui et liberari predicto, ipsum habendo pro divina et Apostolice Sedis reverentia super hiis et aliis suis et ecclesie predicte negociis favore regio commendatum. Datum IX kalendas julii, anno decimo octavo. »

5505 23 juin 1334.

Reginae Franciae ut pro eadem restitutione apud regem partes suas interponat. (Reg. 117, fol. 199 v°, c. 1003).

« *Regine Francie.* Licet etc., usque occupata. Cum autem super expeditione ac liberatione bonorum hujusmodi carissimo in Christo filio nostro Philippo regi Francie illustri viro tuo scribimus, per nostras litteras serenitatem regiam deprecamur quatinus ut eadem expeditio fiat celeriter velit pro divina et Apostolice Sedis reverentia regia sublimitas interponere partes suas, ipsum electum suamque [ecclesiam] predictam habendo nichilominus super hiis et aliis suis negociis favorabiliter commendatos. Datum ut supra [IX kalendas julii, anno decimo octavo].

In eundem modum verbis competentibus mutatis

magistro Guillelmo de Sancta Maura cancellario regio.

In e. m. Martino de Issartis, consiliario regio.

In e. m. Miloni, domino de Noeriis.

In e. m. Petro, archiepiscopo Rothomagensi. Datum ut supra.»

5506 23 juin 1334.

Regi Francie nuntiat se Petrum de Via ecclesie Albiensi in pastorem praefecisse. (Reg. 117, fol. 202, c. 1025)

« *Regi Francie.* Tenet nostra memoria nec de regia credimus excidisse quomodo ad preficiendum [pastorem] Albiensi ecclesie, que sperabatur tunc proximo vacatura, certas personas per diversas litteras regias nobis regalis circumspectio nominavit. Sane, vacante hiis diebus preteritis ecclesia antedicta per mortem prelati ejusdem ecclesie, in dilectum filium Petrum de Via, archidiaconum de Fenolhadesio in ecclesia Narbonensi, nepotem nostrum, omnes fratres nostri Sancte Romane Ecclesie cardinales tunc presentes finaliter vota sua concorditer direxerunt, eundemque archidiaconum in pastorem prefecimus ecclesie antedicte. Quare nos excusatos, quesumus, regia benivolentia super hoc habeat, ac eosdem electum et ecclesiam propensius commendatos. Datum IX kalendas julii, anno decimo octavo.»

5507 23 juin 1334.

Reginae Franciae eundem electum Albiensem commendat. (Reg. 117, fol. 202, c. 1026).

« *Regine Francie.* Cum nos pridem Albiensi ecclesie tunc vacanti dilectum filium Petrum de Via archidiaconum de Fenolhadesio in ecclesia Narbonensi, nepotem nostrum, [ad] quem omnes fratres nostri Sancte Romane Ecclesie cardinales tunc presentes direxerunt concorditer vota sua, preficimus in episcopum et pastorem, tam ipsum electum quam prefatam ecclesiam suam serenitati regie propensius commendamus. Datum ut supra.»

5508 25 juin 1334.

Adolfo episcopo Leodiensi ut a venditione villae Macliniensis resileat. (Reg. 117, fol. 198 v°, c. 996; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 738, n. 3600).

« *Adolfo, episcopo Leodiensi.* Si presulem deceat — Datum VII kalendas julii, anno decimo octavo.»

5509 25 juin 1334.

Regi Franciae de pace tractanda inter alligatos Leodiensis episcopi comitisque Flandriae ac ducis Brabantiae. (Reg. 117, fol. 202, c. 1027; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 739, n. 3601).

« *Regi Francie.* Innotuere nobis littere regie hiis diebus preteritis nobis misse quod ex mora venerabilium fratrum nostrorum Hugonis, Tricastrinensis, et Johannis, Massiliensis episcoporum, quos pro discordia suscitata inter venerabilem fratrem nostrum.. Leodiensem episcopum, ac dilectum filium nobilem virum Ludovicum, comitem Flandrie, multorumque aliorum principum cum ipsis alligatorum, ex parte una, ac dilectum filium nobilem virum .. ducem Brabantie sibique adherentium, ex altera, duximus destinandos, .. ecclesie a quibus sua recipiebant stipendia, si eorum mora protraheretur diutius, possent nimium aggravari; propter quod tua providentia nobis per easdem litteras supplicavit quod venerabilibus fratribus nostris.. Noviomensi et.. Tornacensi ac .. Morinensi et eorum cuilibet eandem potestatem de verbo ad verbum quam concesseramus prefatis nostris nunciis per nostras litteras concedere deberemus. Profecto, fili carissime, gravamen ecclesiarum nos previderamus antequam nobis fuissent littere regie presentate, unde ecclesiis compacientes predictis, ac attendentes quod, sicut prefati nostri nuncii nobis scripserant, pax inter ducem et comitem predictos regio ministerio fuerat reformata, pro qua specialiter fuerant prefati nuncii illuc missi, et pro certo reformaretur inter alios satis cito, necnon in consideratione deducto quod prefati nostri nuncii de nullo illuc servierant, nec etiam serviebant, ipsis per nostras dedimus litteras in mandatis quod a regia magnificentia licentia recepta, ad nostram deberent presentiam se conferre. Receptis autem prefatis tue magnificentie litteris, super contentis

in eis cum certis ex nostris deliberavimus fratribus, et quia super hiis varia sentiebant, negocium illud in privato deduximus consistorio, in quo presentibus omnibus, paucis infirmis exceptis, super predictis deliberatione prehabita diligenti, in hoc omnium duobus dumtaxat exceptis resedit deliberatio quod nec honori regio neque nostro neque utilitati expediebat negocii quod prelatis regni Francie commissio fieret antedicta. Per hoc enim principibus alligatis preberetur occasio dictos recusandi commissarios, et per consequens eorum processibus non parendi, et hec utique ratio tam nos quam fratres nostros movit ab initio quod que commisimus prefatis nostris nunciis, prelatis non commisimus dicti regni. Quare habeat nos quesumus super hoc regalis benivolentia excusatos. Sed si nostrorum nunciorum adhuc illuc sit presentia oportuna, super ecclesiarum gravamine de fratrum nostrorum consilio providebimus oportune. Volumus autem circumspectionem regiam non latere pericula grandia que, si inducerentur treuge et contra ipsas non servantes proferretur excommunicationis sententia eorumque terre supponerentur interdicto ecclesiastico, sequi possent. Cum enim in guerra predicta sint reges Navarre et Boemie, prelati .. Coloniensis et .. Leodiensis et magni alii principes quorum omnium terre et aliorum eis adherentium, pro violatione treugarum ipsarum, que forsan pro excessu satis levi contingeret, subicerentur, non absque gravi scandalo, interdicto ecclesiastico quasque treugas non observando forsan magna pars regni Francie dictum incurreret interdictum, propter quod nostra fratrumque nostrorum intentio non extitit nec existit, nec tua debet existere [quod], nisi verisimiliter crederetur quod prefati principes treugam observarent, dicta interdicti sententia proferretur sed deberet sine tanto scandalo et periculo super hoc aliter provideri. Et ecce quod premissis nunciis scribimus quod si mora illorum videatur excellentie regie utilis, illic remanere debeant et procedere, salvo quod de sententia interdicti est dictum superius, juxta traditam sibi formam. Premissa autem dicta circa sententiam interdicti ipsis secrete tenere precipimus, ita quod hec ad noticiam alligatorum nequeant pervenire. Datum VII kalendas julii, anno decimo octavo.»

5510 25 juin 1334.

Dalfino Viennensi ut omnem rancorem quam concepit contra Ademarum de Pictavia abjiciat. (Reg. 117, fol. 303 v°, c. 1599).

«*Dalfino Viennensi.* Fili, si consideranter attenderes quantum principes quanto majores sunt amicis egeant, profecto et antiquos tuos tua studeret conservare circumspectio et ad novos acquirendos operosum studium adhibere. Adhuc si dictum Sapientis attenderis dicentis quod «melior est vicinus prope quam frater procul», ad conservandum propinquos ampliorem tua prudencia diligentiam adhiberet. Possunt enim servire promptius ac securius quam remoti. Hoc pro tanto premisimus quia sicut tuam non credimus prudenciam ignorare, dilectus filius nobilis vir Ademarus de Pictavia antiqus amicus est domus tue, qui pro juribus ejusdem domus et honore servandis tam ipse quam predecessores sui personarum periculis ac expensis profluis et multorum magnatum odiis non vitatis se exponere sunt soliti, et in presenti hoc complere idem nobilis desiderat et futuris temporibus observare. Hoc predecessores tui attendentes amittam tuam in uxorem sibi provide concesserunt. Sane lingua tercia que multos federatos est separare solita, sicut credimus, procurante, ut fertur, a pluribus adversus nobilem predictum indignationem concepisse diceris adeo gravem quod tuis ministris et officialibus mandasse diceris ut, armatorum tam equitum quam peditum congregata multitudine, invadere debeant hostiliter terram ejus. Hoc credere non possumus quia ab ore tuo percepimus te intentis desideriis affectare habere pacem quantum in te est cum omnibus, ut Christo Redemptori tuo qui pro pace paranda humano generi de sinu Patris descendit ac recipere non erubuit formam servi, placere, et ut populo tibi commisso possis justiciam que bene non exercetur nisi pacis tempore promptius ministrare, presertim cum dictus nobilis paratus sit prompte quecumque tibi tenetur facere adimplere. Ideoque nobilitatem tuam hortamur in Domino et rogamus attente quatinus omnia que contra dictum nobilem concepisse diceris, differre velis quousque ad partes inferiores Dalfinatus descenderis et probaveris si que pro parte sua providentie tue obtulimus, voluerit adimplere, Et si contingeret quod super illis dubietas aliqua oriretur, ut illa prompte tollatur

paratos nos offerimus interponere solicitudinis nostre partes, rogantes tuam benivolenciam quod interim contra prefatum nobilem nil debeas attemptare. Datum VII kalendas julii, anno decimo octavo. »

5511 26 juin 1334.

Regi Franciae de annullatione venditionis villae Macliniensis antea factae per episcopum Leodiensem comiti Flandriae. (Reg. 117, fol. 198, c. 995 ; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 740, n. 3602).

« *Regi Francie.* Regalium litterarum missarum nobis noviter nos docuit lectio quomodo circumspectio regia, attente considerans et consideranter attendens guerras, dissensiones, pericula et dispendia varia que provenerunt hactenus occasione venditionis facte per venerabilem fratrem nostrum.. Leodiensem episcopum et Leodiense capitulum dilecto filio nobili viro Ludovico, comiti Flandrie, de villa Macloniensi, queque comminatur imposterum nisi ocius occuratur, vias et modos quesivit sedule per quos obviari posset tot malis, presertim cum si guerra cepta processerit, verendum sit quod transmarinum passagium differre oporteat, vel, quod absit, totaliter impediri. Et quia post deliberationes varias tibi tuoque consilio via non occurrit aliqua per quam sic prompte sicque convenienter hec adimpleri valeant sicut si nobis placeret dictis episcopo et capitulo Leodiensi precipere ac ipsos compellere ut villam predictam ad manum suam recipiant preciumque receptum ratione venditionis predicte restituant comiti antedicto, et nichilominus ipsum comitem Flandrie ut recepto precio quod dedit dictis episcopo et capitulo Leodiensi ratione emptionis ville predicte ab emptione predicta recedat, deberemus efficaciter exhortari, quocirca regia circumspectio nos rogarat quod vellemus adimplere premissa, supponens pro certo quod, si hoc fecerimus, dictus comes nostris exhortationibus acquiescet finisque dabitur tantis malis. Profecto, fili carissime, quod regia prudentia sit solicita occurrere tantis malis gratum Deo acceptumque bone voluntatis hominibus arbitramur. Sane quia merita causarum partium assertione panduntur, episcopum et capitulum supradictos, nisi vocatis et auditis partibus, juste non possumus compellere ad predicta. Si autem partes vocaverimus antedictas juxta votum regium, hec brevi non poterunt tempore expediri. Sed ecce tam episcopum et capitulum quam comitem antedictos, ut premissa compleant, per nostras litteras efficaciter exhortamur. Sane quia si via imploretur predicta, ecclesia Leodiensis nimium, ut fertur, a pluribus lederetur, tum quia venditio ville predicte erat dicte ecclesie utilis admodum, ex cujus precio acquirere poterat redditus ampliores satis quam perciperet ex villa predicta, tum quia per hanc vitabat ecclesia ducis Brabancie odium et dissensionem ex quibus dudum dicta ecclesia multa dicitur dispendia incurrisse, quibus omnibus careret si recederetur a venditione predicta ; nam ex illo precio, si illud restitueret, nichil acquirere posset, et si villam recuperaret, remaneret materia, major utique solito, odii inter ecclesiam et ducem predictos ; salva deliberatione regia, ut prorsus materia hujusmodi odii tolleretur, esset non solum quod recederetur a dicta venditione, sed et quod villa predicta duci vel ecclesie remaneret insolidum, sic quod pars cui assignaretur jus alterius eidem in oportunis locis deberet recompensationem debitam assignare, sic etenim cessarent inter ecclesiam et ducem odia et occasio procurandi alligationes vel alia ex quibus mala possent provenire similia tolleretur. Super hiis autem rescribere usque nunc distulimus, querentes modos et vias per quos possemus, juxta desiderium regium, malis que comminatur dicta dissensio absque utriusque partis gravi dispendio obviare. Super quo, quesumus, nos habeat celsitudo regia excusatos. Datum VI kalendas julii, anno decimo octavo. »

5512 26 juin 1334.

Regi Franciae ea ipsi per regem Serviae et Ludovicum de Bavaria scripta in caedula transmittit interclusa. (Reg. 117, fol. 199, c. 998).

« *Regi Francie.* Ut ea que rex Servie et Ludovicus de Bavaria scripserunt noviter providentia regia non ignoret, ecce quod illa sibi reserabit plenius cedula presentibus interclusa. Datum VI kalendas julii, anno decimo octavo. »

5513 Avignon, 26 juin 1334.

Guillelmo episcopo Aptensi testandi facultatem concedit. (Reg. 117, fol. 299 v°, c. 1571 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63423).

« *Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Aptensi.* Quia presentis vite — Datum Avinione, VI kalendas julii, anno decimo octavo. »

5514 Avignon, 27 juin 1334.

Petro electo Albiensi ut jura civilia usque ad triennium audire possit, etiam si fuerit interim in episcopum consecratus. (Reg. 117, fol. 181, c. 906 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63424).

« *Dilecto filio Petro, electo Albiensi.* Exposcit tue sinceritatis — Datum Avinione, V kalendas julii, anno decimo octavo. »

5515 27 juin 1334.

Comiti Flandriae ut ab emptione villae Macliniensis resiliat. (Reg. 117, fol. 199, c. 997 ; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 742, n. 3604).

« *Ludovico, comiti Flandrie.* Si, fili, diligenter attenderis strages corporum, lapsus rerum animarum quoque pericula que utique sunt amarius deploranda, necnon et alia discrimina non facile numeranda que provenerunt hactenus ex venditione ville Mecliniensis per venerabilem fratrem nostrum.. Leodiensem episcopum ac ejus capitulum tibi facta, et si attente consideraveris quanta mala comminentur (1) imposterum nisi ocius occurratur, profecto vias et modos curabis perquirere sedule per quos contra tam gravia comminata dispendia possit salubriter provideri. Et quia modus promptior non videtur occurrere quam quod a contractu venditionis predicte que causa malorum omnium premissorum noscitur per te ac episcopum et capitulum predictos recedatur omnino, ita quod tu precium quod dedisti episcopo et capitulo supradictis et ipsi (2) tibi villam tibi assignatam predictam recipere debeatis. Nec hec tibi, fili, debent dura videri sed levia cum si vera sint que dicuntur a pluribus venditio de jure non tenuerit supradicta. Et si certum quod tenuisset existeret, pro tantis malis declinandum tantisque evitandis periculis satis majora deberes facere quam sunt ista. Et quia tibi super hoc alias plenius scripsisse meminimus que non credimus a tua memoria excidisse, que dicta sunt sufficient quoad presens. Sed tuam circumspectionem exhortamur in Domino et rogamus attente ut circa premissa vota tua sic previo (1) rationis judicio et devotionis affectu dirigas, sic opere compleas que nos paternis affatibus et sinceris affectibus suademus quod id nobis qui per hoc salutem tuam multorumque aliorum ac tranquillitatem et pacem querimus tibique et tuis contra pericula varia studemus prospicere necnon et impedimenta gravia parata transmarino passagio amputare, cedat ad gaudium tibique proinde salutis, honoris ac utilitatis, prout desideramus, incrementa proveniant et efficax contra transmarini passagii pericula munimentum. Et ut nobis quoad hec de tuo beneplacito nostrarumque exhortationum quam speramus exauditione (2) certius innotescat, tue prudentie, quesumus, placeat per tuas litteras plene circa premissa tue continentes beneplacitum voluntatis reddere certiores. Datum V kalendas julii, anno decimo octavo. »

(1) Reg. : *comminetur.*
(2) Reg. : *ipsis.*

5516 27 juin 1334.

Regi Franciae nuntios super tractatu cum rege Bohemiae commendat. (Reg. 117, fol. 199, c. 999).

« *Eidem regi Francie.* Cum pro excequendis hiis que fieri debent juxta tractatum cum tuis, fili carissime, ac carissimi in Christo filii nostri Johannis, regis Boemie illustris, nunciis habitum, prout in quaternis tractatus ejusdem, quos secum dicti tui nuncii deferunt [continetur], dilectos filios magistrum Raymundum Delcasse, decanum Lingonensis et Bertrandum Cariti, archidiaconum Vaurensis ecclesiarum nostros nuncios destinemus, ipsos regie benivolentie propensius commendantes, eam attentius deprecamur quatinus eos velit super hiis dirigere favorabiliter et benigne ac de securo

(1) Reg. : *primo.*
(2) Reg. : *quarum speramus exauditionem.*

conductu facere prout oportunum extiterit provideri. Datum V kalendas julii, anno decimo octavo. »

5517 27 juin 1334.

Regi Bohemiae in eundem modum. (Reg. 117, fol. 199, c. 1000).

« In eundem modum eidem regi Boemie ».

5518 27 juin 1334.

Duci Bavariae comiti palatino Reni eosdem nuntios commendat. (Reg. 117, fol. 199 v°, c. 1001).

« *Nobili viro Henrico, duci Bavarie, comiti palatino Reni.* Cum pro exequendis — Datum ut supra [V kalendas julii, anno decimo octavo]. »

5519 27 juin 1334.

Tricastrino et Massiliensi episcopis, nuntiis apostolicis, in Flandria morandi licentiam dat. (Reg. 117, fol. 207, c. 1049 ; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 743, n. 3605).

« *Eisdem* [*Hugoni, Tricastrino, et Johanni Massiliensi episcopis, Apostolice Sedis nuntiis*]. Moram vestram in eis partibus, quia utilis sperabatur, acceptam habemus et gratam. Et si carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francie illustri, videatur expediens amplius illuc ulterior mora ipsa, volumus quod juxta formam commissionis alias vobis facte, mandatis et prohibitionibus contrariis nequaquam obstantibus, prout expedire videritis procedere debeatis, provisuri tamen ne terras illorum alligatorum sibi adversantium invicem supponatis, nisi vobis mandaremus specialiter, ecclesiastico interdicto, quia ex hoc magnum periculum posset sequi. Regi autem predicto necnon venerabili fratri nostro .. episcopo et capitulo Leodiensibus ac nobili viro .. comiti Flandrie scribimus juxta formam quam cedula continet presentibus interclusa. Datum V kalendas julii, anno decimo octavo. »

5520 Avignon, 28 juin 1334.

Littera de securo conductu pro Raymundo Delcasse, decano Lingonensi, et Bertrando Cariti archidiacono Vaurensi. ad partes Franciae pro quibusdam Ecclesiae Romanae negotiis destinatis. (Reg. 117, fol. 307, c. 1623).

« *Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris, rectoribus et aliis ecclesiarum prelatis ipsorumque vices gerentibus, capitulis quoque, conventibus ceterisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Camaldulensis, sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum ac domorum Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, beate Marie Theotonicorum, Calatravensis et Humiliatorum magistris, prioribus et preceptoribus eorumque locatenentibus, necnon nobilibus viris ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, senescallis, justiciariis, potestatibus, capitaneis, rectoribus, bailivis, officialibus ceterisque dominis temporalibus, universitatibus quoque ac communitatibus civitatum, terrarum, castrorum, villarum et aliorum quorumcunque locorum et aliis universis et singulis ad quos presentes littere pervenerint.* Cum nos dilectos — Datum Avinione, IIII kalendas julii, anno decimo octavo.»

5521 Avignon, 30 juin 1334.

Raymundo Delcasse quod uni clerico tabellionatus officium concedere possit. (Reg. 117, fol. 181, c. 904).

« *Dilecto filio magistro Raymundo Delcasse, decano ecclesie Lingonensis, Apostolice Sedis nuncio.* Cum te de — Datum Avinione, II kalendas julii, anno decimo octavo.

In e. m. magistro Bertrando Cariti, archidiacono Vaurensi, Apostolice Sedis nuncio. Datum ut supra. »

5522 Avignon, 30 juin 1334.

Bertrando Cariti ut de pecuniis quas Geraldus de Bisturre, decanus Andegavensis in provincia Senonensi

collectas in certis locis deposuerat se informet easque exigat. (Reg. 117, fol. 181, c. 905).

« *Eidem Bertrando* [*Cariti, archidiacono Vaurensi*]. Cum quondam Geraldus de Bisturre, decanus ecclesie Andegavensis, capellanus noster, collector annalium fructuum beneficiorum ecclesiasticorum apud Sedem Apostolicam vacantium in civitate et diocesi ac provincia Senonensibus deputatus et quidam subcollectores ejusdem nonnullas pecunie summas nostram Cameram contingentes in certis locis earum partium duxerint sicut accepimus deponendas, nos ipsam Cameram de illis volentes effici certiorem discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus pecunias hujusmodi, ubicumque et apud quoscumque depositas vel dimissas, super quibus te summarie de plano et simpliciter si necesse fuerit te informes, petere, exigere ac recipere nostro et ejusdem Camere nomine studeas diligenter, contradictores quoslibet super hiis et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione posposita compescendo, non obstante si eis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem quod eos a quibus pecunias hujusmodi receperis possis absolvere plenius et quitare de hiis que inde receperis ab eisdem, faciendo super singulis assignationibus tibi exinde faciendis duo consimilia confici publica instrumenta, quorum altero penes assignantes ipsos dimisso reliqum ad predictam mittere Cameram non postponas. Datum Avinione, II kalendas julii, anno decimo octavo. »

5523 Avignon, 1er juillet 1334.

Johannem de Montesquino vicarium cum plena potestate in conventu Beatae Mariae de Montecarmelo Avinionensis post mortem Petri Pelagii constituit. (Reg. 117, fol. 300, c. 1572; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, p. 63451).

« *Dilecto filio Johanni de Montesquino, ordinis Beate Marie de Montecarmelo, vicario in conventu ejusdem ordinis fratrum Avinionensium.* Dudum nos qui ordinem Beate Marie de Monte Carmelo, cujus professor existis, sincera in Domino dilectione prosequimur et libenter ea que ordinis ipsius honorem et exaltationem respiciunt quantum cum Deo possumus promovemus diligentius, attendentes eidem ordini expedire quod in conventu fratrum Avinionensium persone ydonee per quarum salutarem doctrinam, vitam exemplarem et conversationem laudabilem fidelium ad ordinem ipsum cresceret devotio, maxime propter curie Romane presentiam morarentur, quodque premissa per quondam Petrum Pelagii ejusdem ordinis sacre theologie professorem tunc in humanis agentem in eodem conventu poterant utiliter et laudabiliter, inspectis virtutibus sibi traditis a Domino, promoveri, eundem Petrum in predicto conventu vicarium duximus usque ad nostrum beneplacitum per nostras certi tenoris litteras deputandum, fratres ejusdem conventus et alios prelibati ordinis ad ipsum convenientes conventum visitandi, corrigendi et si necesse foret a suis officiis amovendi, ac electos ad eadem officia confirmandi, excommunicandi et ab excommunicationibus hujusmodi absolvendi, super irregularitatibus quibus potest dilectus filius .. prior generalis predicti ordinis dispensandi, novicios receptandi et receptos ad professionem admittendi, fugitivos ipsius ordinis capiendi et ad misericordiam ordinis recipiendi, apostatas rebelles et inobedientes movendi, excommunicandi, capiendi, ligandi, carceri mancipandi salutaresque penitentias injungendi, loca et voces restituendi, conventus ejusdem fratres ad conventus alios seu provincias ipsius ordinis transmittendi et illos de aliis conventibus et provinciis vocandi et in dicto conventu pro conventualibus etiam in officiis assignandi, necnon superiores quoscumque prefati ordinis ne fratres quos ad dictum conventum vocaret impedirent sed potius studentibus per ipsum vocatis sicut aliis pro studendo missis ad studia generalia per suas provincias de communi suarum provinciarum providere haberent, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, et alia gerendi et exercendi que ad officium vicariatus hujusmodi pertinent plenaria facultate concessa. Volumus quoque quod si quis alius esset in eodem conventu per eundem priorem generalem pro vicario forsitan assignatus, pro revocato et amoto quem nos etiam amovimus haberetur, quodque per hoc eidem priori et succes-

soribus suis nequaquam derogaretur quominus ibidem post tempus dicti Petri assignare (*sic*) vicarium quociens oportunum existeret et semper cum presentes essent in eodem conventu possent suum officium exercere sicut in predictis litteris inde confectis plenius continetur. Sane quia dictus Petrus pridem sicut Domino placuit diem clausit extremum, nos ne conventus predictus vicario careat providere volentes, te de cujus provida circumspectione confidimus vicarium in eodem conventu usque ad nostrum beneplacitum tenore presentium assignamus, tibi eandem quam dicto Petro ut prefertur concessimus et insuper fratribus per te de conventu predicto pro studendo Parisius transmittendis, necnon procuratori generali sepedicti ordinis ac lectori bacallario prelibati conventus et aliis contributiones taxatas per generale dicti ordinis capitulum ministrari secundum mores et observantias predicti ordinis faciendi, contradictores quoque ad hoc censura simili compellendi potestatem nichilominus concedentes. Datum Avinione, kalendis julii, anno decimo octavo. »

5524 Avignon, 1er juillet 1334.

Johanni Gilberti quasdam potestates ad plenius exercendum procuratoris officium concedit. (Reg. 117, fol. 300 v°, c. 1572; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63450).

« *Dilecto filio Johanni Gilberti, ordinis Beate Marie de Montecarmelo procuratori generali.* Dudum de tue circumspectione et industrie fidelitate confisi te procuratorem generalem ordinis Beate Marie de Montecarmelo cujus professor existis per nostras certi tenoris litteras duximus deputandum, potestatem quam procuratores generales ejusdem ordinis habere consueverunt in Romana curia et alibi tibi generaliter concedendo, sicut in eisdem litteris plenius continetur. Sane quia de revocatione aliorum quorumcumque procuratorum generalium dicti ordinis, et quod causas et lites conventuum et fratrum dicti ordinis tractare posses ut procurator in Romana curia, quodque super fratres in eadem curia residentes vel ad eam venientes potestatem haberes et provisionem ab ordine predicto perciperes consuetam expressa in predictis litteris mentio non habetur, tibi circa tui predicti executionem officii multa impedimenta tibi prestantur sicut nobis exponere curavisti, nos ut officium ipsum plenius et utilius ad utilitatem et honorem dicti ordinis possis exequi volentes ad tollenda impedimenta hujusmodi de oportuno super hiis remedio providere, quod omnes alii procuratores generales dicti ordinis per quosvis alios antea constituti sint et esse censeantur eo ipso quo nos te procuratorem ut prefertur deputavimus revocati penitus et amoti; et insuper quod tu in causis et litibus conventuum et fratrum predicti ordinis ad dictam Curiam devolutis vel devolvendis agendi et defendendi, aliaque in judicio et extra judicium faciendi, gerendi et exercendi circa eas que ad officium procuratoris pertinent plenariam potestatem, et illam etiam supra dictos fratres in Curia memorata residentes vel ad eam venientes habeas quam procuratores generales prelibati ordinis hactenus soliti sunt habere; et insuper quod dilectus filius prior generalis prefati ordinis tibi quamdiu dictum officium gesseris illam provisionem de communibus proventibus ipsius ordinis exhiberi faciat que procuratoribus generalibus supradicti ordinis hactenus consuevit prestari, nostre intentionis et voluntatis extitisse ac existere tenore presentium declaramus. Nulli ergo etc... Datum ut supra. »

5525 Avignon, 2 juillet 1334.

Johanni de Barro et Sifredo ecclesiae Beati Pauli de Massuguerio priori de duobus millibus florenorum auri, quos a quondam Beraudo, episcopo Albiensi, Apostolicae Sedi legatos persolverant, quittat. (Reg. 117, fol. 314, c. 1651).

« *Dilectis filiis Johanni de Baro, capelle Beate Marie de Fargis, Albiensis, et Sifredo, ecclesie Beati Pauli de Massuguerio Albiensis diocesis prioribus, executoribus testamenti bone memorie Beraudi episcopi Albiensis.* Vestra coram nobis proposita peticio continebat quod bone memorie Beraudus, episcopus Albiensis, in suo testamento ultimo, quod de licencia Sedis Apostolice condidit, vobis una quibusdam aliis sub certa forma executoribus testamenti hujusmodi deputatis, nobis duo milia florenorum auri legavit. Cum igitur vos pro vobis et aliis vestris executoribus nobis dicta duo milia florenorum auri duxeritis persolvenda, nos vestris et eorundem coexecutorum vestrorum

volentes indempnitatibus super hiis providere vos et ipsos ac vestra et sua prefatique episcopi bona de predictis duobus milibus florenorum auri absolvimus tenore presentium et quitamus. Datum Avinione, VI nonas julii, anno decimo octavo. »

5526 Avignon, 3 juillet 1334.

Guillelmo, episcopo Parisiensi, quod tabellionatus officium uni clerico a Philippo de Meleduno, archidiacono Remensi, praesentando concedere possit. (Reg. 117, fol. 181 v°, c. 907 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63479).

«*Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Parisiensi.* Dilecti filii magistri — Datum Avinione, V nonas julii, anno decimo octavo. »

5527 4 juillet 1334.

Regi Franciae commendat Johannem Sancti Angeli diaconum cardinalem et Agapitum de Columpna, ejus fratrem, quaedam in regali curia expedire habentes. (Reg. 117, fol. 204 v°, c. 1037).

« *Regi Francie.* Cum dilecti filii nostri Johannes Sancti Angeli diaconus cardinalis et Agapitus de Columpna frater suus quedam habeant negocia, sicut accepimus, in regali curia expedire, regiam excellentiam attentius deprecamur quatinus super hiis que conjunctim vel divisim habent in ipsa curia expedire velit cum effectu mandare regalis circumspectio fieri quod justicia suadebit. Datum IIII nonas julii, anno decimo octavo. »

5528 Avignon, 7 juillet 1334.

Episcopo Carpentoratensi, abbati de Marsilhaco et praeposito Coloniensi, ut Bernardo Stephani, archidiacono Figiacensi in ecclesia Caturcensi, notario apostolico, de fructibus beneficiorum suorum in absentia provideri faciant, vigore constitutionis factae pro residentibus in curia. (Reg. 117, fol. 181 v°, c. 908 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63494).

« *Venerabili fratri .. episcopo Carpentoratensi, ac dilectis filiis .. abbati de Marsilhaco, Caturcensis diocesis, et .. preposito Coloniensi.* Cum jamdudum ordinaverimus — Datum Avinione, nonis julii, anno decimo octavo ».

5529 10 juillet 1334.

Ademarum episcopum Valentinum hortatur ut treugas inter eum et Imbertum dalphinum Viennensem indictas observet eique nuntiat archiepiscopum Brundisinum ad eundem dalphinum mandatum fuisse. (Reg. 117, fol. 303, c. 1595).

« *Ademaro, episcopo Valentino.* Percepto displicibiliter hiis diebus quod contra treugas per venerabilem fratrem nostrum Petrum, episcopum Aurasicensem, et dilectum filium Girbertum, abbatem monasterii Sancti Egidii, ordinis sancti Benedicti Nemausensis diocesis, Apostolice Sedis nuncios inter te ex parte una et dilectum filium nobilem virum Imbertum dalfinum Viennensem ex altera indictas pridem auctoritate apostolica, quedam fuerant temere attemptata, nos desideriis obtentantes intensis pacem invicem inter vos reformari, et illis obviari salubriter interim per que pericula provenirent et scandala viaque pacis hujusmodi difficilior redderetur, prefato Dalfino alias inde scripsimus et nunc etiam per litteras scribimus oportunas. Et ut melius et plenius in hac parte satisfieri valeat votis nostris, venerabilem fratrem nostrum Guillelmum, archiepiscopum Brundusinum, virum utique circumspectum et providum ac pacis et concordie hujusmodi fervidum zelatorem, ad eundem Dalfinum et partes illas providimus destinandum. Quocirca fraternitatem tuam rogamus et hortamur attentius, sano tibi nichilominus consilio suadentes quatinus predictas observes treugas, et ne penis et sententiis contra violatores earum promulgatis involvaris, facias a tuis gentibus et subditis observari, ab offensionibus contra eundem Dalfinum vel gentes suas quomodolibet faciendis, cum ipsum ad hoc idem exhortamur, etiam spiritualiter donec de oportuno et salubri provisum extiterit remedio nichilominus abstinendo. Datum VI idus julii, anno decimo octavo. »

5530 10 juillet 1334.

Ademaro de Pictavia ut easdem treugas observet. (Reg. 117, fol. 303, c. 1596).

« *Nobili viro Ademaro de Pictavia.* Percepto etc. — Datum ut supra [VI idus julii, anno decimo octavo]. »

5531 12 juillet 1334.

Magistro Hospitalis Francisquinum de Provana commendat. (Reg. 117, fol. 305 v°, c. 1614).

« *Eidem magistro* [*Heliono de Villanova*]. Dilectum filium Francisquinum de Provana, fratrem domus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, cujus magister existis, qui jam septennio moram traxisse in partibus transmarinis ejusdem Hospitalis obsequiis insistendo asseritur, tue benivolentie ut eidem de aliqua domo competenti secundum sua merita offerente sibi facultate graciose provideas propensius commendamus. Datum IIII idus julii, anno decimo octavo. »

5532 17 juillet 1334.

Guillelmo, episcopo Sancti Papuli, ut Petrum Durandi, decanum, et quosdam canonicos ecclesiae Sancti Michaelis Castrinovi de Arrio, Sancti Papuli diocesis, ad restituendum pecunias thesauro ejusdem ecclesiae pertinentes compellat. (Reg. 117, fol. 182 v°, c. 910 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63582).

« *Venerabili fratri Guillermo, episcopo Sancti Papuli.* Ad nostrum fidedigne relationis assertione pervenit auditum quod dilecti filii Petrus Durandi decanus, Petrus Raynaldi, Raymundus Bernardi de Scayraco et quidam alii canonici ecclesie Sancti Michaelis Castrinovi de Arrio, tue diocesis, necnon Bernardus Fabbe rector ecclesie de Brugeriis Tholosane diocesis, tunc ejusdem ecclesie Castrinovi canonicus, contra ordinationem per nos olim factam ex auctoritate apostolica super statu ipsius ecclesie Castrinovi venire temere penasque contra tales per nos inflictas incurrere dampnabiliter in suarum animarum periculum non verentes, nonnullas pecuniarum summas ad thesaurum ipsius ecclesie juxta tenorem ordinationis ejusdem pertinentes receperunt et per multa detinuerunt tempora sicut adhuc detinent, ea restituere thesauro ipsius ecclesie non curantes. Nos igitur volentes ordinationem predictam observari tenaciter et transgressores ejusdem penis in ea contentis debite castigari, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus per te vel alium seu alios super premissis summarie, de plano sine strepitu et figura judicii te informans, prefatos decanum, canonicos et rectorem in ea que de thesauro predicto eos recepisse per informationem predictam repereris infra certum peremptorium terminum competentem per te sibi super hoc prefigendum dicto thesauro realiter et cum effectu restituere cum integritate procurent, nec talia vel similia de cetero attemptare presumant, moneas efficaciter et inducas ; quod si monitioni hujusmodi non obtemperaverint cum effectu, eos citare peremptorie non omittas ut infra alium certum peremptorium terminum competentem eis similiter prefigendum apostolico conspectui personaliter se presentent, pro demeritis recepturi nostrisque mandatis et beneplacitis humiliter parituri ; diem autem hujusmodi citationis et formam et quicquid inde feceris nobis per instrumentum publicum quod inde fieri volumus tuo sigillo munitum studeas intimare. Datum XVI kalendas augusti, anno decimo octavo. »

5533 17 juillet 1334.

Regi Franciae de facto Sancte Columbe ac de negociationibus inter Januenses et reges Aragoniae Majoricarumque initis. (Reg. 117, fol. 204 v°, c. 1033).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Quid super facto Sancte Columbe fuerit ordinatum per litteras apostolicas mittendas per nuncium proprium celsitudini regie nunciavimus. Magister Reginaldus nuncius regius, qui jam aliquos febriles motus habuerat, cavens si remaneret ulterius pregravari, ad eum qui eum miserat dirigere gressus suos [statuit]. Januenses, sicut nobis heri per mercatores de Florentia expressum extitit, jam ordinaverant nuncios mittendos ad curiam pro concordia cum carissimis in Christo filiis nostris Alfonso, Aragonie, et Jacobo, Majoricarum regibus illustribus tractanda. Gratia Domini Nostri Jhesu Christi cor dirigat in agendis regium et protegat ab adversis. Datum XVI kalendas augusti, anno decimo octavo. »

5534 17 juillet 1334.

Regi Franciae commendat Archambaldum, comitem Petragoricensem. (Reg. 117, fol. 204 v°, c. 1034).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Cum sicut accepimus dilectus filius nobilis vir Archambaldus, comes Petragoricensis, ratione bonorum hereditariorum quondam Reginaldi de Ponte, ad dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Johannam comitissam Petragoricensem uxorem suam ac sororem Reginaldi predicti ut asseritur spectantium, [quedam] habeat expedire, serenitatem regiam attentius deprecamur quatinus fidelitate sincera quam idem comes ejusque progenitores ad domum hactenus gesserunt regiam et obsequiis per ipsos eidem impensis consideranter attentis, predictorum comitis et comitisse in hac parte justiciam habere velit regia benignitas favorabiliter commendatam. Datum ut supra [XVI kalendas augusti, anno decimo octavo].

In eundem modum Johanne, regine Francie.

In eundem modum Philippo, regi Navarre.

In eundem modum Carolo, comiti Alenconii, verbis competentibus mutatis. »

5535 17 juillet 1334.

Guillelmo de Sancta Maura eumdem Petragoricensem comitem commendat. (Reg. 117, fol. 204 v°, c. 1035).

« *Guillelmo de Sancta Maura cancellario regio.* Cum sicut accepimus etc., usque expedire, discretionem tuam attentius deprecamur quatinus predictorum comitis et comitisse in hac parte justiciam habere velit tua prudentia favorabiliter commendatam. Datum ut supra.

In eundem modum Miloni, domino de Noeriis.

In eundem modum Petro, archiepiscopo Rothomagensi usque expedire; fraternitatem tuam attentius deprecamur quatinus predictorum comitis et comitisse in hac parte justiciam recommendatam habeas eamque carissimo in Christo filio nostro Philippo regi Francie illustri, cui super hoc per alias litteras nostras scribimus, presentando sibi litteras hujusmodi recommendes. Datum ut supra. »

5536 17 juillet 1334.

Imberto dalphino Viennensi de pace inter eum et comitem Sabaudiae servanda. (Reg. 117, fol. 304 v°, c. 1602).

« *Imberto, dalfino Viennensi.* Exultavit cor nostrum in Domino, quam constanter in tractatu pacis inter te et dilectum filium nobilem virum comitem Sabaudie, spretis multorum variis vocibus, te habueris intellecto, ex qua speramus in pacis Actore quod innumera tam animarum quam corporum quam rerum vitabuntur pericula, viaque ad ea que Deo grata, utrique vestrum subditorumque vesrorum noscuntur accomoda per pacem hujusmodi est aperta. Sane quia non minor est virtus quam querere parta tueri, nobilitatem tuam rogamus in Domino et hortamur attente ut circa pacem tam utilem observandam cures operosum studium adhibere. Nos autem fecimus que pro dicto credimus negocio oportuna. Super facto Sancte Columbe venerabili fratri nostro ..archiepiscopo Brundusino aliisque nunciis quos ad ea qui tuum respiciunt honorem et commodum fervidos novimus, tibi per eos referendum quid te deceat et expediat duximus exponendum. Ceterum, ut circa ea que habes agere cum ecclesia Valentinensi et dilecto filio nobili viro Ademaro de Pictavia, comite Valentino, nichil innoves, circumspectionem tuam toto cordis rogamus affectu. Tenemus enim indubie quod jus tuum habere poteris sine odiis, periculis, sumptibus et expensis, prout hec etiam exposuimus nunciis supradictis. Gratia Domini Nostri Jhesu Christi sit tecum que te dirigat in agendis.

In e. m. dilecto filio nobili viro Aymoni, comiti Sabaudie. Datum XVI kalendas augusti, anno decimo octavo. »

5537 18 juillet 1334.

Regi Franciae proponit duas vias ad expediendum negotium Sanctae Columbae. (Reg. 117, fol. 202 v°, c. 1028).

« *Philippo, regi Francie.* Sicut habet litterarum regiarum nobis missarum noviter lectio, dilectus filius magister Raynaldus, nuncius regius, serenitati regie nunciavit quod super facto Sancte Columbe

a nobis responsum aliquod non poterat reportare. Quare circumspectio regia noviter nobis scripsit ut eidem responsum dare breviter curaremus. Profecto, fili carissime, super ipso negocio responsum plenum non potuimus sibi dare quia dum post ejus adventum ad hoc incipissemus intendere, supervenientibus nunciis regiis pro facto Alamannie destinatis, sic nos dictum occupavit negocium quod super prefato Sancte Columbe negocio nequivimus finem dare, et hec dicto magistro Raynaldo respondimus sepius, et interdum in regiorum presencia nunciorum. Sed, illo finito negocio quoad illa que ad presens per nos fieri poterant, statim antequam reciperemus litteras regias supradictas ad prefatum Sancte Columbe negocium nos convertimus, deliberantes cum certis ex nostris fratribus qui alias pro dicto negocio evocati fuerant. Et quia vota ipsorum erant in diversa divisa, vocatis aliis pluribus, frequenter cum ipsis contulimus quid facere in dicto negocio poteramus. Quorum omnium in hoc resedit consilium quod, nisi informatione prehabita venerabili fratri nostro.. archiepiscopo Viennensi ut tractatum habitum inter gentes regias et ipsum super eodem facto Sancte Columbe posset perficere, non poteramus simpliciter, sicut fieri petebatur, licentiam impertiri, illa inter alia potissima ratione quia procuratores dilectorum filiorum capituli et.. dalfini Viennensium se opponebant multaque in facto consistentia proponentes ad que probanda se petebant instanter admitti. Sed ecce quod ibidem, de eorundem fratrum consilio, pro meliori judicio omnium duximus ordinandum quod.. archiepiscopum ac majores et meliores dicti Viennensis capituli, necnon et prefatum dalfinum Viennensem ad certum terminum vocaremus et mandaremus ut privilegia, si qua habeant prefatum tangentia negocium, secum ferant ad finem quod si prefati capitulum et dalfinus minus rationabiliter ad impediendum tractatum hujusmodi moveantur, nos ipsos de suo irrationabili proposito poterimus, ut speramus, rationabiliter revocare. Quod si rationi renuerint assentire, nos utique justius et rationabilius poterimus procedere in negocio antedicto. Nam et si quod jus ipsis competit in predictis, nos indubie supponentes quod non est intentionis regie jus alicujus nisi quantum justicia sineret in dicta villa vel alibi occupare, sufficientem recompensationem pro parte regia ipsis et eorum cuilibet offeremus. Et profecto, fili dilectissime, per hanc viam claudentur ora contra nos et te latrantium et vociferantium, satisfiet justicie negociumque acceptius erit Deo. Fuit insuper alia via tacta super dicto negocio non recedendo a via predicta, sed illa pocius procedente : si casu aliquo in via predicta nostro predicto proposito frustraremur, quod satisfaciendo justicie super oppositione predicta et voto regio adimplendo super licentia una vel alia via debite impendenda, regia tamen super hoc voluntate retenta, videlicet quod quia prefati oppositores contendunt et asserunt et super hoc promptam fidem offerunt in superioritate et jurisdictione dicte ville et pertinentiarum ejusdem et alias in eodem loco et ejus pertinenciis multipliciter jus habere, jus etiam quod dictus archiepiscopus in predictis habere se dicit inficiendo, quod nos tribus personis non suspectis committeremus ut se de jure quod idem archiepiscopus habet in villa predicta ac de utilitate ecclesie, si et quam consecutura est si tractatus ipse perficiatur, necnon et de prejudicio alio vel aliis ratione juris seu jurium, si quod vel si que obtineant in villa predicta seu pertinentiis ejusdem ex officio, absque eo quod aliquis pro te vel tuo nomine partem in predictis habeat facere nisi velit simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii se debeant informare, repulsis quibuslibet articulis aliis qui possent alia concernere vel alios effectus habere. Et si repererint jura et alia dicte ville que deducit in tractatu predicto dictus archiepiscopus ad eum pertinere, quodque per ipsum tractatum sit ecclesie Viennensis condicio melior, prout in talibus jura requirunt, procedant tres ipsi commissarii vel duo ex ipsis ad impertiendam auctoritate apostolica ipsi archiepiscopo licenciam postulatam, hoc tamen salvo quod si forsan repererint quod prefatis opponentibus in predicta villa jus competit, ut est dictum, quod ipsis recompensatio justa fiat, prout melius cum eisdem poterit super hoc amicabiliter conveniri ; vel si super hoc difficultas occurreret, propter quam negocium deberet nimium retardari, nobis referant indilate, ut possimus super hoc prout melius poterimus providere. Sic enim quod justum est executioni juste mandabitur nec per consequens remanebit alia justa materia conquerendi, cumque securiori conscientia poterit excellentia regia exequi quod intendit. Super qua via an sibi placeat quod eo casu quo forsan in prima deficeremus, quod tamen nullatenus opinamur, per eam procedamus, cum stantibus supradictis in contra-

dictione predicta nobis breviter que sit justicie et sane conscientie consonet non occurret, velit serenitas regia pro dicto negocio in omnem adventum abreviando, nos ut citius poterit reddere certiores. Excellentiam autem regiam rogamus et hortamur in Domino ne interim aliqua circa premissa faciat innovari, etiam si aliqui qui rerum circumstantias et consequentias et multa alia que circa predicta nobis et nostris fratribus occurrerunt et alias occurrere possunt que ad plenum forsitan non attendunt velint tibi aliud super hoc suadere. Ex quo et si secundum tuam puritatem crederis agere, gravius tamen offense Dei et enormis lesio tam Ecclesie quam proximi de facili possent sequi, que scimus te velle in tuis et tuorum negociis sicut princeps cultor justicie pro viribus evitare. Ceterum et si, ad finem tuam ubi expediret salubriter ut tenemur informandi conscientiam contulerimus cum pluribus de fratribus nostris quid in tali casu ubi nec prelati voluntas neque consensus sed potius contradictio capituli, nec auctoritas Apostolice Sedis aderunt regi alicui vel imperatori liceret in suo imperio sive regno, hec ultra non prosequimur cum indubie teneamus ex parte tua sic juste sicque mature fore procedendum, presertim cum clare possis conspicere nos, quantum est possibile, velle nos regiis super hoc beneplacitis coaptare, quod nichil hiis presertim pendentibus ages omnino quod possit in offensam Dei, Ecclesie vel proximi redundare; ac ex parte nostra modis predictis et alias prout pro breviori expeditione negocii nobis Dominus ministrabit, speremus taliter de consensu partium vel sine consensu ipsarum, in quantum citra Dei offensam et aliorum injuriam possibile nobis erit, sic in premissis agere quod utilitati tam Ecclesie quam regie necnon et publice ad plenum actore Domino satisfiet. Datum XV kalendas augusti, anno decimo octavo. »

5538 18 juillet 1334.

Regi Franciae exponit quod informationem an villa Sanctae Columbae sit de regno Franciae Sedes Apostolica fieri non fecit. (Reg. 117, fol. 203 v°, c. 1029).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Ex regiarum litterarum nobis directarum percepimus serie celsitudini regie super facto Sancte Columbe multa falsa fuisse suggesta. In primis quidem quod nos, volentes ad processum deducere negocium dicte ville, miseramus ad (1) capitulum Viennense et ad nonnullos alios, ad sciendum si illi vellent se in aliquo opponere tractatui habito inter gentes regias et venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Viennensem super facto ville Sancte Columbe predicte, significantes eisdem quod si ipsi credebant habere jus aliquod in eadem aut crederent quod perfectio supradicti tractatus esset vel esse posset in eorum prejudicium sive dampnum, quod ipsi venirent hec in nostra presentia ostensuri. Secundo fuit falso suggestum regie majestati quod nos in dicta villa Sancte Columbe faciebamus informationen fieri utrum esse de regno Francie censeatur. Profecto, fili carissime, hec prorsus sunt obvia veritati. Licet enim procuratores dilectorum filiorum capituli ac nobilis viri dalfini Viennensium circa tempus quo primo tua magnificentia super illo negocio nobis scripsit ad nostram venerunt presentiam, in presentia plurium fratrum nostrorum cardinalium, qui inter alios sunt honoris regii fervidi zelatores, quos pro dicto Sancte Columbe negocio ad nostram presenciam duximus specialiter evocandos, plura duxerunt proponenda propter que dicebant nos non debere prefato archiepiscopo Viennensi super perficiendo tractatu predicto postulatam licentiam impertiri. Ad hoc tamen nunquam fuerunt per nos vocati, requisiti, moniti seu inducti, sed per se et suo solo motu ad veniendum et predicta proponendum nobis penitus insciis processerunt. Quibus auditis, et si ipsos separatim diversos dies, unam uni et alteram alteri, ne videremur aliquod ordinarium judicium pro nobis per privilegia, si que habebant super illis que proposuerant, ut est dictum, aliqualiter informandum, providerimus per nostras litteras directas dictis partibus assignandum, quibus diebus coram nobis aliqua duxerunt exhibenda, dicentes in partibus proposita pro se plene posse probare, petentes a nobis ad hoc cum instantia se admitti, nos tamen nec tunc nec adhuc ad hoc ipsos voluimus admittere, super hoc beneplacitum regium providerimus expectandum, sicut in nostris aliis litteris, quas tibi super hoc dirigimus, plenius continetur. Quod autem nos fecerimus aut faciamus informationem fieri, utrum dicta villa Sancte Columbe sit de regno Francie, prorsus obviat veritati, quia nec scriptura (2) aliqua super facto

(1) Reg. *ac.*
(2) Reg. : *scriptum.*

Sancte Columbe per nos nec auctoritate nostra, facta extitit, nec testes vel probatio alia super hoc, videlicet an dicta villa Sancte Columbe sit de regno Francie vel non, facta extitit nec admissa, nec hiis debet benivolencia regia fidem dare, quoniam, ut est dictum, informationem super facto Sancte Columbe nemini voluimus committere sine regia voluntate. Quare, fili carissime, nolit talibus falsidicis, qui non student nisi ut zizanias seminent, fidem dare. Nos enim ad ampliandum regnum predictum unde originem traximus et in quo Ecclesie sponsus, videlicet Christus, singulariter colitur, eique honor et reverentia specialiter exhibetur, non ad illud artandum opem et operam apponere prompti sumus et avidi et erimus, dante Domino, dum vivemus. Datum ut supra [XV kalendas augusti, anno decimo octavo]. »

5539 18 juillet 1334.

Regi Franciae quaedam de negotio Romaniae scribit. (Reg. 117, fol. 204, c. 1030).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Nova que noviter de partibus Romanie recepimus ordinaveramus ad noticiam deducere regiam eamque precibus et exhortationibus inducere ut suum deberet ad partes illas nuncium destinare. Sane quia post dies aliquos nuncius pro dictis negociis ad nos missus, licet antea ipsi injunxissemus expresse quod suam credenciam nobis in scriptis assignare deberet, quedam subticuit que nobis postea revelavit, que utique non parum videntur obviare hiis que prius fuerant assignata, qua re non possumus scribere sicut fuerat ordinatum. Sed quia ex hiis in multis et specialiter in scribendo sibi poterit circumspectio regia informari, ecce quod illa primo oblata explicuit (1) cedula presentibus interclusa, ex quibus percipere celsitudo poterit regia quantum secundum illa processum in tam arduo negocio fuerat, quantu[m]que pie viam passagio Dominus preparabat. Et quia Dei perfecta sunt opera et istud ex scriptis que mittimus a Deo credimus processisse, non desperamus, immo speramus ut qui cepit tam pium tamque diu a catholicis desideratum negocium non deseret imperfectum. Et ecce quod ad partes illas certum cum litteris nostris mittimus nuncium, ut quid intendat facere et quid sibi fieri nobis per suas litteras intimare [procuret]. Si autem serenitas regia interim sibi intendat scribere, salva deliberatione regia expediens videretur quod sibi insinuet quomodo ipsum ad transmarinum passagium invitasset, cum multum desideret ipsum magnifice aggredi et prosequi negocium antedictum. Sed quia ab unitate Sancte Romane Ecclesie catholice dicebatur divisus, hoc non potuerat adimplere, quare hortabatur te in Domino et rogabat ut [ad] gremium et unitatem dicte rediret Ecclesie, quo facto ipse rogabat eundem ut ad dictum passagium se disponeret in prefixo termino faciendum, tuaque procuraret excellencia quod crux deberet in illis partibus et indulgentia predicari. Datum ut supra [XV kalendas augusti, anno decimo octavo]. »

(1) Reg. : *explicuit continet.*

5540 18 juillet 1334.

Archiepiscopo Rothomagensi quaedam de negotio Romaniae, de facto Sanctae Columbae et de venditione villae Macliniensis scribit. (Reg. 117, fol. 204, c. 1031).

« *Petro, archiepiscopo Rothomagensi.* Nova quedam que de partibus Romanie hiis diebus recepimus in quodam papiri rotulo intercluso in litteris regiis nunciamus. Sane quia illa secreto teneri ad presens expedit, licet hec regi scribamus, fraternitatem tuam hortamur in Domino et rogamus ut quod ad presens per illos quibus forsan illa manifestabis, sub secreto tenere debeant, suam excellentiam solicitam studeas reddere, ut videris expedire. Super facto Sancte Columbe celsitudini regie quod super eo de consilio multorum ex nostris fratribus ordinatum fuerit intimamus, quod, si bene intellexerit, credimus quod reperiet quod disponimus facere quod, sine Dei offensa proximique injuria per nos fieri poterit circa illa. Episcopum Leodiensem ejusque capitulum ipsis non auditis ad restitutionem precii ville Mageloniensis compellere non possumus justicia inoffensa, sed nunciis nostris certam commissionem facimus, providentes indempnitati dicte ecclesie et ut cesset illa periculosa dissensio, ut possumus, providentes. Datum ut

supra [XV kalendas augusti, anno decimo octavo]. »

5541 18 juillet 1334.

Reginam Franciae de statu ipsius informat, optans de proprio ac Philippi regis Johannisque ducis Normanniae statu informari. (Reg. 117, fol. 204 v°, c. 1036).

« *Regine Francie.* Ut de statu nostro fiat certior regia celsitudo, ecce quod Dei misericordia nos quantum ad hominem exteriorem sospitate perfrui nunciamus eidem, quantum autem ad interiorem propter multa que in offensam Dei animarumque periculum et cure nostre commissi populi cernimus fieri multipliciter anxiamur. Sed in Eo cui cum voluerit subest posse jacientes anchoram spei nostre, sperantes quod nos orta per nos agenda diriget taliumque inclinabit animos ut dimisso inicio ad viam regalem et rectam curent convertere pedes suos convertant. Et quia quotiens de statu tuo, filia carissima, audimus prospera exultat cor nostrum in Domino, benivolentiam rogamus regiam ut tam de ipso quam carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francie illustris viri dilectique filii incliti principis Johannis ducis Normannie nati tuorum nos interdum velit reddere certiores. Gratia Domini Nostri Jhesu Christi cor tuum dirigat ad agenda ea que sibi placita sunt exequenda. Datum XV kalendas augusti, anno decimo octavo. »

5542 18 juillet 1334.

Tricastrino et Massiliensi episcopis, nuntiis, de eorum reditu ad Franciae regem et de venditione villae Macliniensis scribit. (Reg. 117, fol. 207, c. 1051) ; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 746, n. 3613).

« *Eisdem nuntiis* [*Hugoni, Tricastrino, et Johanni, Massiliensi episcopis*]. Litteras vestras per quas iter ceptum ad nostram redeundi presentiam, nostris receptis litteris, intermisisse, et vos redire ad carissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francie illustrem inter cetera intimastis benigne recepimus, gratum habentes vestrum ad regem reditum pariter et acceptum, ac volentes quod juxta tenores litterarum quas nunc mittimus et alias etiam misimus, super negocio vobis commisso solerter et fideliter procedatis. Commissionem autem quam vobis mittimus super dissolutione venditionis ville Magelinensis volumus quod nulli eam pandatis nisi celsitudini regie et venerabili fratri nostro P., archiepiscopo Rothomagensi, cui sub secreto ipsam ostendatis. Similem autem mittimus dicto regi . Scribatis nova illarum partium que rescribenda videritis, cum negociorum offeret se facultas. Datum XV kalendas augusti, a[nno] decimo octavo. »

5543 19 juillet 1334.

Tricastrino et Massiliensi episcopis, nuntiis, de dissolutione venditionis ville Macliniensis. (Reg. 117, fol. 207, c. 1050 ; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 746, n. 3614).

« *Eisdem nuntiis* [*Hugoni, Tricastrino, et Johanni, Massiliensi episcopis*]. Licet pridem super facto dissolutionis venditionis ville Magelinensis tam carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francie illustri, quam venerabili fratri nostro .. episcopo ac dilectis filiis capitulo Leodiensi et comiti Flandrie per diversas litteras, quarum transcriptum vobis misimus, et subsequenter scabinis ejusdem ville ut se liberales super predictis exhiberent, scripserimus, hujusmodi tamen litteras adhuc propter viarum pericula mittimus dupplicatas, ut eas vel illas ex ipsis presentetis vel subticeatis de quibus et prout negocii qualitate attenta videritis expedire. Datum XIIII kalendas augusti, anno decimo octavo. »

5544 19 juillet 1334.

Miloni domino de Noeriis Bertrandum de Mier commendat. (Reg. 117, fol. 205, c. 1039).

« *Nobili viro Miloni, domino de Noeriis.* Cum ad presentiam regiam dilectum filium nobilem virum Bertrandum de Mier militem, familiarem nostrum, cum certis nostris litteris destinemus, militem ipsum et ejus expeditionem felicem et celerem nobilitati tue affectius commendamus.

In eundem modum verbis competentibus mutatis Guillelmo de Sancta Maura, cancellario regio.

Datum XIIII kalendas augusti, anno decimo octavo.»

5545 21 Juillet 1334

Regem Franciae rogat ne detractoribus Petri, tituli Sancti Stephani in Celio monte cardinalis, fidem adhibeat. (Reg. 117, fol. 204, c. 1032).

« *Regi Francie.* Hoc tenemus (1) de circumspectione regia quod contra illum quem diu et in multis fidelem reperit, verba non admittet detractoria, sed qualem ipsum repererit, non qualem ipsum describit lingua detractoria, judicabit. Quamdiu autem et in quantis domus regia dilectum filium nostrum Petrum, tituli Sancti Stephani in Celio monte presbiterum cardinalem, fidelem repererit, celsitudinem regiam firmiter supponimus non latere, quare tenemus indubie quod lingua tercia nequibit contra ipsum animum regium commovere. Et licet sibi sufficere debeat testimonium consciencie regie, sana tamen consciencia dicimus quod non percepimus quod in negociis regiis contra honorem vel utilitatem se numquam opposuerit, immo per oppositum multorum judicio interdum pro illis importune nimium insistit. De carissimo in Christo filio nostro E., rege Anglie illustri, dicimus quod, cum in ejus regno obtineat beneficia non parvi valoris, oportet quod interdum non in hiis que tuam, fili carissime, magnificenciam in aliquo tangerent, ipsi studuit (*sic*) complacere. Quare benivolentiam regiam rogamus attente ut, si quando nonnulli contra ipsum linguas laxarent, preteritorum memoria illis obviet, ne possint contra ipsum in aliquo regium animum perturbare. Datum XII kalendas augusti, anno decimo octavo. »

5546 23 juillet 1334.

Abbati monasterii Cluniacensis ut pecunias et bona a quondam Guillelmo de Mier, priore de Volta, Sancti Flori diocesis, Bertrando de Mier, ejusdem Guillelmi fratri, debita restitui faciat. (Reg. 117, fol. 198, c. 992).

« *Petro, abbati monasterii Cluniacensis.* Expositonobis per dilectum filium nobilem virum Bertraan dum de Mier, familiarem nostrum, quod quondam Guillelmus de Mier prior prioratus de Volta, Sancti Flori diocesis, frater suus, cujus bona mobilia ad manus tuas pervenisse dicuntur, in certis pecunie quantitatibus eidem nobili certis causis rationabilibus tenebatur astrictus, sinceritatem tuam attente rogamus quatinus prefatum nobilem habens super hiis et aliis suis negociis que tecum habet agere favorabiliter commendatum, de dictis bonis et de hiis ex quibus prefatum priorem teneri sibi repereris sic promptam et debitam satisfactionem impendi facias quod tue devotionis prudentia provide debeat de prompta justicia commendari. Datum X kalendas augusti, anno decimo octavo. »

5547 24 juillet 1334.

Episcopo Atrebatensi Bertrandum de Mier, qui quaedam super facto Sanctae Columbae regi Franciae exponere habet, commendat. (Reg. 117, fol. 205, c. 1038).

« *Andree, episcopo Atrebatensi.* Certa super facto Sancte Columbe et quibusdam aliis carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francie illustri, per dilectum filium nobilem virum Bertrandum de Mier, militem, familiarem nostrum, scribimus per nos ad ipsius presentiam destinatum. Quocirca fraternitatem tuam rogamus attente ut nobilem ipsum super expeditione premissorum celeri habens propensius commendatum, sedulam adhibeas diligentiam ut responsales super predictis littere si eas rex prefatus facere voluerit nobis evestigio transmittantur.

In eundem modum verbis competentibus mutatis nobili viro Henrico, domino de Valgoria. Datum IX kalendas augusti, anno decimo octavo. »

5548 31 juillet 1334.

Regi Franciae de morte cujusdam consanguinei consolatur. (Reg. 117, fol. 196, c. 974).

« *Eidem regi* [*Francie*]. Fili carissime, si circumspectio regia consideranter attenderit quod statutum est omnibus hominibus semel mori, a quidem statuto nullum quidem dignitatis eminentia excipit, nullum contra ipsum potentia ac divitie

(1) Reg. : *tenenemus.*

muniunt, nec ad mitiorem illius sententiam etatis miseratio provocat aut secus invitat; si attente considerationis censura recenseas quod mortis jactura restitutionis beneficium non admittat; adhuc si provide consideraveris quod ab Illo morti quis traditur in cujus manu mors et vita consistunt nec cuiquam hanc inferendo infert injuriam cum uti jure suo hoc faciendo noscatur, profecto credimus quod contra mortem carorum tuorum sic mentem tuam in spiritu fortitudinis preparabis quod pro illa humanis non indulgebis affectibus, sed cum beato Job dices: « Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est. Sit nomen Domini benedictum ». Quesumus itaque ac rogamus ut prudentia regia premissa cogitans et recogitans diligenter sic animum, qui ex regali magnanimitate semper haberi debet in adversis fortior, ob premissa dolore non deprimas sed pocius sic consolationis robore munias quod sis in exemplum ceteris qualiter se habere debeant in premissis. Per hoc utique Deo cujus te conformabis beneplacito fies acceptior merito, ipsumque consolatorem in hac valle miserie promptiorem reperies, ac mercedem ampliorem recipere mereberis in resurrectione justorum, quod tibi dignetur concedere qui suis in omni tribulatione solitus est misericorditer consolationis solacia ministrare. Datum II kalendas augusti, anno decimo octavo. »

5549 31 juillet 1334.

Regi Franciae negotia quae Gualhardus de Monteacuto, dominus Montislavardi, in regali curia expedire habet commendat. (Reg. 117, fol. 198, c. 993).

« *Regi Francie.* Cum dilectus filius nobilis vir Gualhardus de Monteacuto, dominus Montislavardi, diocesis Caturcensis, familiaris noster quedam sua negocia habeat sicut accepimus in regali curia expedire, ipsum nobilem ac negocia hujusmodi regali benivolentie propensius commendamus. Datum II kalendas augusti, anno decimo octavo.

Archiepiscopo Rothomagensi. Cum dilectus filius etc. ut supra, mutatis mutandis.

In e. m. Miloni, domino de Noeriis.

In e. m. Roberto Bertrandi, domino de Baresembeth, marescallo Francie. Datum ut supra. »

5550 31 juillet 1334.

Archiepiscopo Viennensi ut negotii Sanctae Columbae occasione ad Curiam cum quibusdam Viennensibus canonicis ac discretis viris veniat. (Reg. 117, fol. 205, c. 1040).

« *Bertrando, archiepiscopo Viennensi.* Cum sit nobis pro certis negociis et presertim super facto ville Sancte Columbe prope Viennam, super quo informari voluimus, tua presentia oportuna, fraternitati tue tenore presentium mandamus quatinus diligenter et celeriter tam per te ipsum quam cum dilectis filiis capitulo ecclesie Viennensis, instrumentis, privilegiis et munimentis jus tuum et ejusdem ecclesie super facto predicto concernentibus perquisitis, ad nostram cures e vestigio presentiam te conferre. Volumus autem quod dilecti filii Petrus de Verneto, cantor, Pontius Mite, Jacobus de Aquis et Jacobus alias dictus Vielle, canonici Viennenses, viri utique sicut audivimus discreti et providi, tecum veniant, per dictum capitulum cui super hoc scribimus, destinati quodque tu et ipsi privilegia instrumenta et munimenta hujusmodi, vel eorum transumpta in formam redacta publicam, et alia per que jus ejusdem ecclesie in hac parte posse fulciri credideritis, deferatis. Datum II kalendas augusti, anno decimo octavo. »

5551 31 juillet 1334.

Capitulo Viennensi, de eodem. (Reg. 117, fol. 205 c. 1041).

« *Capitulo Viennensi.* Cum venerabili fratri nostro Bertrando, archiepiscopo Viennensi, scribamus ut tam per se quam vobiscum privilegiis instrumentis et munimentis jus ecclesie Viennensis super facto ville Sancte Columbe concernentibus diligenter et celeriter perquisitis ad nostram studeat presentiam se conferre, quodque secum dilecti filii Petrus de Verneto cantor, Pontius Mite, Jacobus de Aquis, Jacobus dictus Vielle vestri concanonici, viri utique sicut audivimus discreti et providi, veniant, per vos cum instructione plenaria destinati, predicta privilegia instrumenta munimenta et alia per que jus ecclesie predicte posse in hac parte fulciri credideritis vel eorum transsumpta

in formam redacta publicam deferendo. Volumus autem et discretioni vestre mandamus quatinus eadem privilegia instrumenta et munimenta que apud vos fuerint sicut oportunum extiterit exhibentes prefatos vestros concanonicos cum eodem archiepiscopo ad nostram presentiam ut premittitur transmittatis. Datum ut supra. »

5552 31 juillet 1334.

Episcopum Valentinum ad suam presentiam mandat, ad terminandum negocium ipsum ac dalfinum Viennensem et Ademarum de Pictavia tangens. (Reg. 117, fol. 304 v°, c. 1603).

« *Ademaro, episcopo Valentino.* Negocium quod te ac dilectos filios nobiles viros Imbertum, dalfinum Viennensem, et Ademarum de Pictavia contingere noscitur per viam cupientes pacificam terminari, volumus et tue fraternitati mandamus quatinus cum instrumentis, privilegiis et munimentis per que jus partis tue posse melius fulciri credideris, ad nostram studeas presenciam, cessante cunctatione qualibet, te conferre, facturus et procuraturus nichilominus quod tecum discreti aliqui pro parte dilectorum filiorum communis civitatis Valentinorum, quibus super hoc scribimus, veniant instructi super hoc et mandato sufficienti muniti. Datum II kalendas augusti, anno decimo octavo. »

5553 31 juillet 1334.

Communi Valentino ut praedicto episcopo pro dictis discretis viris mittendis acquiescant. (Reg. 117, fol. 304 v°, c. 1604).

« *Eidem communi* [*Valentino*]. Cum venerabili fratri nostro Ademaro, episcopo Valentino, scribamus ut super negocio quod ipsum ac dilectos filios nobiles viros Imbertum dalfinum Viennensem et Ademarum de Pictavia contingere noscitur ad nostram absque cunctatione qualibet una cum aliquibus discretis per vos mittendis etiam diligenter instructis super hoc et mandato sufficienti munitis studeat presentiam se conferre, vos requirimus et hortamur quatinus eidem episcopo circa mittendos discretos hujusmodi, ut negocium ipsum melius ad finem perduci pacificam sicut optamus valeat, acquiescere studeatis. Datum ut supra. »

5554 31 juillet 1334.

Ademaro de Pictavia pro eadem pace. (Reg. 117, fol. 304 v°, p. c. 1604.

« *Ademaro de Pictavia.* Negocium quod te ac venerabilem fratrem etc... ut supra (1), verbis competentibus mutatis. Datum ut supra [II kalendas augusti, anno decimo octavo].

5555 Avignon, 1er août 1334.

Pastorem de Sarrescuderio ab obedientia et subjectione Geraldi Othonis, ordinis Minorum generalis, eximit. (Reg. 117, fol. 183 v°, c. 911 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63649).

« *Dilecto filio Pastori de Sarrescuderio, ordinis fratrum Minorum, sacre theologie professori.* Exposcit tue sinceritatis — Datum Avinione, kalendis augusti, anno decimo octavo. »

5556 Avignon, 7 août 1334.

Bernardo Stephani quod dimissio praepositurae Bunensis Coloniensis ab ipso post captam possessionem archidiaconatus sui Alniciensis in manibus Gasberti Arelatensis archiepiscopi, camerarii apostolici facta, valeat. (Reg. 117, fol. 183 v°, c. 913 ; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63728).

« *Dilecto filio magistro Bernardo Stephani, archidiacono Alniciensi in ecclesia Xanctonensi, notario nostro.* Pridem meritis tuis exigentibus volentes tibi gratiam facere specialem, archidiaconatum Alniciensem in ecclesia Xanctonensi tunc vacantem motu proprio non ad tuam vel alterius pro te nobis oblate petitionis instantiam tibi duximus auctoritate apostolica conferendum, volentes ut postquam fores ejusdem archidiaconatus pacificam possessionem adeptus, prepositurum ecclesie Bunensis Coloniensis quam tum obtinebas quamque

(1) Cf, n. 5552.

nos ex tunc vacare decrevimus omnino dimittere tenereris, sicut in litteris nostris inde confectis plenius continetur. Sane cum ad tuam pervenerit noticiam, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, quod procurator tuus ad hoc constitutus ejusdem archidiaconatus possessionem extitit tuo nomine pacificam assecutus, tu prepositurum predictam in manibus venerabilis fratris Gasberti, archiepiscopi Arelatensis, camerarii nostri, de mandato nostro verbotenus sibi facto recipientis verbaliter et realiter ut tenebaris die date presentium dimisisti. Ne igitur de hiis valeat imposterum dubitari, nos tuis supplicationibus inclinati presentes tibi litteras in premissorum testimonium concessimus, nichilominus decernentes perinde valere dimissionem hujusmodi ac si illam coram tuo in hac parte ordinario facta esset. Datum Avinione, VII idus augusti, anno decimo octavo.»

5557 13 août 1334.

Aymoni comiti Sabaudiae magistrum Guillelmum de Campiniaco canonicum Remensem procuratorem ejus quaedam explicaturum remittit. (Reg. 117, fol. 304 v°, c. 1605).

« *Aymoni, comiti Sabaudie.* Quedam statum tuum tangentia dilecto filio magistro Guillelmo de Campiniaco, canonico Remensi, procuratori tuo, verbotenus exposuimus, per eum tue nobilitatis prudentie seriosius explicanda, super quibus et fidem adhibeas credulam et quod faciendum et expediens super illis tibi videbitur nobis rescribere non omittas. Datum idibus augusti, anno decimo octavo.»

5558 Avignon, 17 août 1334.

Comiti Sabaudiae ut Guillelmo Ramundi de Cavomonte ad partes Italiae accedenti de securo conductu provideat. (Reg. 117, fol. 306, c. 1616).

« *Dilecto filio nobili viro Aymoni, comiti Sabaudie,* Cum dilectus filius nobilis vir Guillermus Raimundi de Cavomonte, familiaris noster, exhibitor presentium ad partes Italie pro negociis certis accedens habeat sicut asserit per terras tue ditioni subjectas transire, nobilitatem tuam rogamus attente quatinus eundem nobilem cum per terras ipsas ad predictas partes accedendo transierit habens pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatum, ne sibi aut familiaribus suis in personis aut rebus eorum inferantur molestationes, impedimenta vel injurie, faciat eadem tua nobilitas sic prompte securum eidem in terris supradictis prestari conductum quod nos devotionem sinceram quam geris ad nos et Romanam Ecclesiam valeamus propter hoc merito commendare. Datum Avinione, XVI kalendas septembris, anno decimo octavo.»

5559 Avignon, 17 août 1334.

Gubernatoribus Dalphinatus Viennensis similiter pro eodem Guillermo Raimundi de Cavomonte. (Reg. 117, fol. 306, c. 1617).

« *Dilectis filiis nobilibus viris gubernatoribus Dalfinatus Viennensis.* Cum dilectus filius — Datum ut supra [XVI kalendas septembris, anno decimo octavo].»

5560 19 août 1334.

Regi Franciae de inquisitore Carcassonensi apud regem mandato. (Reg. 117, fol. 197 v°, c. 991).

« *Regi Francie.* Receptis excellentie regalis litteris super missione.. inquisitoris Carcassonensis, ibidem quia presens erat injunximus ut ad regalem presentiam se conferret. Ipsi autem antea licentiam dederamus ut ad exequendum suum officium ad partes Carcassonenses se conferre deberet, sperans quod per venerabiles fratres nostros quibus dictum commiseramus negocium deberet breviter aliquid ordinari, distulit executioni mandare (1). Datum XIIII kalendas septembris, anno decimo octavo.»

(1) Les deux derniers mots exponctués ?

5561 21 août 1334.

Regi Franciae de venditione ville Magclinensis iterum scribit. (Reg. 117, fol. 207, c. 1052; — Fayen, *op. cit.*, t. II, p. 753, n. 3625).

« *Regi Francie.* Ecce, fili carissime, quod super non alienanda nec distrahenda (1) per venerabilem fratrem nostrum Adulfum (2), episcopum, et dilectos filios capitulum Leodiense pecunia precii venditionis ville Magelinensis, ut (3) si contingat rescindi venditionem hujusmodi haberi promptius valeat, providimus, prout in litteris nostris patentibus inde confectis quas serenitati regie mittimus, regalis providentia plenius poterit intueri. Datum XII kalendas septembris, anno decimo octavo. »

5562 Avignon, 23 août 1334.

Raymundo de Valle quod quotidianas distributiones integras praebendae suae Albiensis in quatuor anni festivitatibus et fructus ejusdem omniumque beneficiorum suorum usque ad triennium in absentia percipere possit. (Reg. 117, fol. 184, c. 914; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63797).

« *Dilecto filio magistro Raymundo de Valle, archidiacono Montismirabilis in ecclesia Albiensi, familiari nostro.* Grata tue devotionis — Datum Avinione, X kalendas septembris, anno decimo octavo.

Judicibus : dilectis filiis.. decano Sancti Pauli de Fenolhadesio, Electensis diocesis, ac Agathensis et de Montepensato Caturcensis archidiaconis ecclesiarum. Quocirca discretioni vestre — Datum ut supra. »

5563 Avignon, 27 août 1334.

Johannae de Castilione fundandi et dotandi unam capellam facultatem concedit. (Reg. 117, fol. 184 v°, c. 915; — *Jean XXII, Lettres communes*, t. XIII, n. 63814).

« *Dilecte in Christo filie nobili mulieri Johanne de Castilione, comitisse Brene, relicte quondam Galteri ducis Athenarum vidue.* Sinceritatem devotionis eximie quam ad nos et Apostolicam Sedem habere te novimus benignius attendentes, piis presertim votis tuis libenter annuimus et favoris apostolici presidium impertimur. Cum itaque sicut ex tenore petitionis tue nobis oblate percepimus, tu tanquam filia benedictionis ex gratie zelo pure devotionis accensa terrena cupiens in celestia et transitoria in eterna felici commercio commutare, ad laudem et honorem Domini Nostri Jhesu Christi et gloriosissime virginis Marie matris ejus ac pro tue et progenitorum et quondam Galteri ducis Athenarum viri tuorum animarum salute unam capellam, in qua per rectorem seu perpetuum capellanum instituendum in ea missarum solennia et alia divina officia perpetuo celebrentur, in fundo proprio fundare, construere et edificare eamque annuis et perpetuis amortizatis redditibus triginta librarum turonensium parvorum dotare proponas, nos hujusmodi laudabile tuum propositum multipliciter in Domino commendantes ac volentes tibi ut illud adimplere valeas favorem apostolicam impertiri, tuis in hac parte supplicationibus inclinati devotioni tue fundandi, construendi et edificandi capellam predictam in loco congruo, hujusmodi dote triginta librarum dicte monete in annuis et perpetuis amortizatis redditibus ut prefertur pro dicta capella primitus in locis congruis assignata et jure parrochialis ecclesie et cujuslibet alterius in omnibus semper salvo, plenam et liberam licentiam auctoritate apostolica tenore presentium elargimur, jus presentandi rectorem seu perpetuum capellanum ad capellam ipsam postquam dotata et constructa fuerit ut prefertur instituendum in ea canonice hac vice et quociens eam vacare contigerit tibi quamdiu vitam duxeris in humanis, et postquam de hac luce migraveris heredibus tuis imperpetuum de speciali gratia reservantes. Nulli ergo etc... Datum Avinione, VI kalendas septembris, anno decimo octavo. »

5564 Avignon, 1er septembre 1334.

Cancellario Parisiensi ut Fortanerium Vassalli, ordinis Minorum ad magisterii in theologia honorem recipiat. (Reg. 117, fol. 184 v°, c. 916).

« *Dilecto filio .. cancellario ecclesie Parisiensis.* Habet assertio fide digna quod dilectus filius Fortanerius Vassalli, ordinis fratrum Minorum, in

(1) Reg. : *alienandi nec distrahendi.*
(2) Reg. *Artholdum.*
(3) Reg. : *sed si.*

sacra theologie facultate bacallarius, adeo in facultate ipsa laudabiliter divina sibi gratia suffragante profecit quod, ad recipiendum magisterii honorem in eadem facultate ydoneus reputatus, per eundem ordinem extitit ad magisterium promovendus hujusmodi presentatus. Nos igitur domum Domini viris insignitis virtutibus ac in opere potentibus et sermone, qui resistere valeant ascendentibus ex adverso ad divini nominis laudem et gloriam ipsiusque decorem domus cupientes Domino dirigente fulciri, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus dictum Fortanerium, si eum ad hujusmodi magisterii ydoneum fore repereris presentatusque ad illum pro parte ordinis predicti fuerit ut prefertur, ad ejusdem magisterii statum, non obstante quod aliqui bacallarii in facultate predicta in ordine recipiendi magisterium hujusmodi precedant eundem, seu quod hoc anno bacallarii ejusdem ordinis vel alii ex ordinatione seu statuto studii Parisiensis aut memorati ordinis non debeant promoveri, ad predictum magisterium infra unum mensem a die receptionis presentium computandum nisi aliud legitimum impedimentum circa hec occurrerit studeas promovere. Nos enim bacallariis ipsis quin ipsi ad ejusdem magisterii honorem post promotionem hujusmodi ordine a temporibus debitis valeant promoveri aut eisdem statuto et ordinationi nullum volumus per hoc prejudicium generari. Datum Avinione, kalendis septembris anno decimo octavo. »

5565 Avignon, 1er septembre 1334.

Electo Albiensi quod ordines minores et majores a quo maluerit antistite recipere possit. (Reg. 117, fol. 185, c. 917).

« *Dilecto filio Petro, electo Albiensi.* Cum pridem de — Datum ut supra [Avinione, kalendis septembris anno decimo octavo]. »

5566 Avignon, 4 septembre 1334.

Archiepiscopo Lugdunensi ut ad pacem inter Humbertum de Vilariis ejusque natum ex una parte, et Petrum de Palude de Varrambonis, Galhardum de Balma de Vallasin, et Ludovicum de Palude de Virocastro, Lugdunensis et Bisuntinae diocesum, ex altera, reformandam partes suas interponat. (Reg. 117, fol. 185, c. 918).

« *Venerabili fratri Guillelmo archiepiscopo Lugdunensi.* Attendentes quod dissentiones et guerre, quas inter nonnullos Christi fideles suscitavit hactenus et suscitare non desinit hostis pacis, preter lapsus rerum ac corporum et animarum que secum trahere noscuntur sepius verenda pericula, prestare impedimenta varia transmarino per nos inducto in subsdium Terre Sancte ac christicolarum transmarinarum partium generali passagio comminantur, et propterea cupientes dissensiones et guerras hujusmodi per vias sopiri pacificas vel saltim per treugas que pacis representent ymaginem, ne passagium ipsum propter hoc detrimentum patiatur suspendi, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus quatinus, consideranter attendens quod ad tuum spectat officium dissidentes in tuis civitate ac diocesi presertim propter dicti favorem passagii ad pacem et concordiam revocare, circa pacis concordiam inter dilectos filios nobiles viros Humbertum dominum de Vilariis et Humbertum ejus natum, Lugdunensis diocesis, ex parte una, et Petrum de Palude de Varrambonis senescallum Carcassonensem, Galhardum de Balma de Vallasin et Ludovicum de Paludo de Virocastro dominos, ejusdem Lugdunensis et Bisuntine diocesum ex altera, dissidentes invicem, quibus inde per alias nostras litteras scribimus, reformandam vel saltem treugas inter eos mutuo ineundas usque ad longi temporis spacium duraturas, partes tue sollicitudinis viis et modis quibus expedire cognoveris efficaciter interponas. Nos enim tibi faciendi et exercendi que in hac parte tibi necessaria vel oportuna fuerint placita concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione, II nonas septembris, anno decimo octavo ».

5567 4 septembre 1334.

Regi Franciae ut compositionem olim inter genitorem suum et decanos capitulumque ecclesiae Carnotensis factam observari faciat. (Reg. 117, fol. 198, c. 994).

« *Regi Francie.* Ex parte dilectorum filiorum decani et capituli ecclesie Carnotensis accepimus quod licet in quadam compositione inter clare

memorie genitorem tuum ex parte una et ipsos ex altera super certis articulis seu juribus dudum facta et postmodum per te, fili carissime, postquam fuisti regiam dignitatem adeptus, auctoritate regia et ex certa scientia confirmata inter cetera continentur expresse quod bajulus et alii ministri Carnotensis temporalis jurisdictionis ibidem exercentes jurare tenentur se servaturos ea que in compositione continentur jamdicta, modo tamen ex eo quod procurator regius contra compositionem hujusmodi se opponens contenta in ea satagit multipliciter impugnare, prefati decanus et capitulum subire coguntur non sine variis molestationibus labores multiplices et expensas. Cum autem regalem deceat excellentiam ea que consulte ac pie per eundem genitorem acta fuerunt et per te ut premittitur auctoritate regia confirmata non infringere, sed potius erga illam presertim ecclesiam ad quam ob honorem et reverentiam precelse genitricis Dei Marie domine nostre reges Francie totaque domus regia devocionem gesserunt, sicut te, fili dilectissime, gerere supponimus precipuam observare, serenitatem regiam attencius deprecamur quatinus premissa et alia que circa hec prudentie regie possunt (1) occurrere consideranter attendens, et advertens nichilominus quod idem genitor qui circumspectione pollebat provida presumi non debet minus prudenter in hac parte gessisse aliqua, compositionem eandem, omissis ut teneris dictis oppositionibus, facias inviolabiliter observari, habendo nichilominus pro divina et Apostolice Sedis reverentia memoratos decanum et capitulum super premissis et aliis suis juribus et libertatibus favorabiliter commendatos. Datum II nonas septembris, anno decimo octavo. »

5568 4 septembre 1334.

Imbertum de Vilariis ejusque natum hortatur ut pacem cum Petro de Palude de Virambonis, Galhardo de Vallasin et Ludovico de Palude de Virocastro, Lugdunensis et Bisuntinae diocesum, facient intuitu passagii transmarini. (Reg. 117, fol. 304 v°, c. 1606).

« *Nobilibus viris Imberto, domino de Vilariis, et Imberto ejus nato, Lugdunensis diocesis.* Ad apostolatus nostri fidedigna relatio pervenit auditum quod hostis pacis humane quietis emulus cunctorumque malorum incentor inter vos ex parte una, et dilectos filios nobiles viros Petrum de Palude de Viranbonis, senescallum Carcassonensem, et Galhardum de Vallasin et Ludovicum de Palude de Virocastro, Lugdunensis et Bisuntine diocesum, ex altera, gravis dissensionis materiam studuit suscitare. Nos igitur, attendentes dissensionem hujusmodi utrique parti periculosam existere admodum et nocivam, posseque indicto per nos dudum generali transmarino passagio, cujus capitaneatum carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francie illustris assumpsisse noscitur, impedimenta forsitan ministrare, cupientesque periculis hujusmodi et impedimentis dicti passagii quantum cum Deo possumus paterne solicitudinis studiis obviari, nobilitatem vestram monemus, rogamus et in Domino attentius exhortamur quatinus pacis et concordie commoda et dissensionis incommoda, necnon quantum graviter offenderetis Altissimum si propter dissensionem hujusmodi ejusdem passagii negocium lederetur in aliquo considerantes attente, ad ipsas pacem et concordiam cum eisdem nobilibus reformandas vel saltim treugas ineundas duraturas usque ad alicujus longi temporis spacium, infra quod dictum negocium auctore Domino prosperetur vestros animos abilitare curetis, venerabilis fratris nostri Guillelmi archiepiscopi Lugdunensis cui super hoc scribimus monitis consiliis et persuasionibus salubribus humiliter et effectualiter nichilominus super hiis parituri.

In eundem modum eisdem Petro, Galhardo et Ludovico, verbis competentibus mutatis. Datum II nonas septembris, anno decimo octavo. »

5569 4 septembre 1334.

Henrico episcopo Vivariensi ut ad pacem inter praefatos dominos de Vilariis, ex una parte, dictosque Petrum, Galhardum et Ludovicum ex altera procurandam studium adhibeat. (Reg. 117, fol. 305, c. 1607).

« *Henrico, episcopo Vivariensi.* Ad nostri apostolatus fide digna relatione pervenit auditum quod hostis pacis humane quietis emulus cunctorumque malorum incentor inter dilectos filios nobiles viros Imbertum dominum de Vilariis geni-

(1) Reg. : *possunt debent occurerre.*

torem et Imbertum ejus natum germanum tuos ex parte una, et Petrum de Palude de Virambonis etc. ut supra usque obviari, verbis competentibus mutatis, eosdem nobiles exhortamur ut ad pacem et concordiam mutuam vel saltem treugas usque ad longi temporis spacium duraturas invicem ineundas suos animos abilitent et inclinent. Cum autem te premissa exigente jure sanguinis et officio pastorali urgente deceat procurare, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente quatinus super hiis sic tue solicitudinis studium interponas quod exinde possit et debeat merito tua circumspectio commendari. Datum ut supra. »

Imp. F. BOISSEAU, Rue du Taur, 34 - TOULOUSE (France)
Dépôt légal, 4e trimestre 1972

700005

BQX
803
.A6
v.3
pt.2
Johannes XX

Johannes XXII. Pope.

Lettres secretes et curiales.

BQX
803
.A6
v.3
pt.2

PONTIFICAL INSTITUTE
OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK
TORONTO 5, CANADA